NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08753630 0

THE BEQUEST OF

ISAAC MYER

RECEIVED FEBRUARY 1904

Observations


NVZ

OBSERVATIONVM SELECTARVM

AD

REM LITTERARIAM SPECTANTIVM.

TOMVS III.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ An. 1701.

Proſtat in officina Libraria Rengeriana.

286666

PRAEFATIO.

Lectori Beneuolo, S.

NOn dubito fore plerosque, quibus aut mirum iam videatur, aut videri ſane poſſit, has ſelectas, quas cernis obſeruationes ſine præſidio prodire, nec Principis cuiusdam nomine, nec alio quodam dedicationis elatæ titulo ſuperbire. Eſt enim hæc conſuetudo ſic communis ac inueterata, vt illi nullam decori rationem habere videantur, qui libros, quos in vulgus emittunt, hoc ornatu denudant; & ſine nuptiali, vt ita loquar, veſtimento ad publica Virorum eruditorum ſubſellia ablegant. Quamobrem non incongruum forte fuerit, Authorum illorum rationes, quibus ab hoc in-

ſtituto abſterrentur, paulo laxius exponere, ne nihil commemorando adfectatæ cuiusdam obſtinationis aut maioris alicuius vitii rei peragantur. Nam-quantum mihi quidem perſpicere datum eſt, multa ſunt, quæ eos impediunt; & plura multo, quæ iis contrarium perſuadent; licet non ſit diffitendum, multos clariſſimos Viros eruditione præſtantes, authoritate ſummos, aliam hic viam cacaſſe, iisque, ſi inanibus commoueri poſſent, ad imitationem quaſi præluxiſſe. At enim hoc ipſum maxime fuerat, quod nonnihil ſcrupuli iniiciebat. Sunt enim illi in ea opinione dudum confirmati, non conuenire Viris honeſtis immodice laudare eos, qui in excelſo ætatem agunt, tum quod ex illis laudibus adulationis quædam ſuſpicio ſubnaſcatur; tum quod ſatius omnino ſit ab omnibus Panegyricis abſtinere, quippe qui parum veritatis, multum autem mendacii ac vanitatis in ſe continere deprehenduntur. Iam vero iudicet æquus Lector an non pleræque dedicationes ita conceptæ ſint, vt nauſeam creare legentibus pos-

poſſint, quibus adhuc aliquid candoris eſt, vel ſinceritatis. *Sane ſi in ipſam* hominis naturam penitiꝰ inquirere velimus, deprehendemus credo talia indicia, ex quibus tuto inferre poſſis, omnes & ſingulos mortalium adeo corruptos eſſe, vt nunquam aliquid boni ab iis proficiſcatur, niſi quidem minorem malitiam virtutis titulo commendare, aut fictam probitatem ſub veræ honeſtatis ſpecie obtrudere auſis. Meo iudicio auaritia, ambitio, voluptas pari paſſu ambulant, nec vel huius, vel illius conſtantiæ attribuendum eſt, quod nullis auaritiæ vel voluptatis ſtimulis vrgeatur. Natura eum alior ſum rapit, & prædominans ille affectus; non virtus, aut voluntas aliqua recta, quæ vbique deficit, & non niſi inter cœlites, ac beatiſſimarum animarum conſortia reperitur. Igitur, ſi dicendum, quod res flagitat, laudare prope mentiri eſt: ſed quod tamen in omnibus dedicationibus ita inualuit, vt is officio ſuo minus recte videatur functus, qui ex pumilione Atlantem, ex Sardanapalo Herculem, & ex Mida A-

 pol-

pollinem formare vel fingere neglexit. Neque enim putandum eſt, has delicias ſolis Poetis eſſe proprias, qui grallis incedendo meras hyperbolas proiiciunt, & ex parua ſcintilla ſolem vel incendium facere conſueuere; cum longius hoc malum ſerpſerit, ac in eorum etiam animis egerit radices, qui ſacro umbone tecti nil niſi candorem ac pietatem præ ſe ferunt. Exempla ſunt odioſa, ſed quorum inſignis numerus ſuppeteret, niſi anathemata metueremus, vel ſanctas iras, quas non guttatim effundunt Miniſtri Dei, ſed pleno modio aliis admetiuntur, quos diuerſa ſaltem ſentire ſuſpicantur. Quapropter, ne nos quoque tali periculo ſubiiciamur, *Philippum Melanchtonem* primum nominaſſe ſufficiat, qui ob variatam Confeſſionem Auguſtanam commune iam Theologorum Lutheranorum odium ſuſtinet, quiue libro III. epiſt. ad *Iohannem Heſſum* inſigne moderationis ſuæ ſpecimen videtur edidiſſe. Ita enim ille p. 216. *Orationem Tibi dedicaueramus; ſed officii gratia Legatus quidam Cæſareanus intercepit cui inſcribenda*

fuit,

fuit Oratio, aulæ ſtudio, hoc eſt, adſentandi gratia NB. Sic enim ſenſim & nobis Theologis faciendum videtur iuuandæ publicæ cauſæ ſtudio. Iam ſi ea adhuc eſſet Melanchtonis authoritas, quæ teſte *Camerario* in vita eius p. 12. ſuperiore ſeculo fuit, non dubitarem profecto, quin ſtudioſi vel alii etiam hunc dedicandi morem ſint imitaturi, quemadmodum & eiusdem inceſſum, & linguæ balbutiem, & neſcio quem palpebrarum motum, aliasque geſticulationes ac defectus corporis in exemplum ac imitationem ſibi ridicule propoſuere. Sed enim, cum iam multi ad eam lucem peruenerint, vt vitia Philippi ab eiusdem virtutibus probe norint diſcernere, intempeſtiuus ſane metus eſſet, ſi viros ſapientes ad has ineptias prolapſuros denuo exiſtimaremus. Minimum Authores obſeruationum ſelectarum tanti hæc non æſtimant ſed potius firmisſime ſibi perſuadent, nihil perniciofius eſſe, quam ſtolidam adulationem, quæ plerumque magnæ fortunæ comes, inanes Principum ac Regum ſpes ita inflare apta eſt,

vt naſcentibus virtutibus oppreſſis ambitionis oeſtro agitentur, *cæloque ſibi aperto & Herculem, & Patrem Liberum & cum Polluce Caſtorem nouis Numinibus ceſſuros cum Alexandro* M. ſuauiſſime interdum ſomnient (*Curt.* lib. 8. c. 5.) Eſt enim exiguus illorum Principum numerus, qui propitias aures Gnathonibus denegant & pinguem alapam præmii loco impingunt; quod de *Sigismundo Romanorum* Imperatore Maiorum annales teſtantur. Plerique hodie a teneris occæcati veritatem non vident, poſteaquam ſemel ad ima præcordia immodicæ adſentatorum laudes deſcenderunt. Hinc facile ſibi perſuaderi patiuntur; Phœbum ad ipſorum præſentiam Lyram deponere, gloriamque quam acquiſiuerunt, non in Meridionali plaga, ſed in Vrſæ maioris confiniis, vel ſi quid vlterius eſt, terminari. Miſeros mortales quos Pædagogus, Migdilybs, biſulcilingua, adulator ita decipit ac in gyrum agitat, vt nec næuos ſuos animaduertere, nec originem ſuam poſſint agnoſcere, quæ terreſtris eſt, non cœleſtis, humana non di-

vina. Sed ita tamen eſt. Eo audaciæ proceſsit hoc hominum genus, vt iam *Appion* apud Plinium publice iactari non erubuerit, *ſe immortalitatem donare illis, ad quos aliquid commentaretur*, quaſi ſcilicet homo nihili ab interitu vindicare alios poſſet, cuius ſcripta æterna obliuio dudum ſepeliuit. Quis autem foret tam amens, vt ſempiternis ſe florere laudibus ſomniaret, niſi ipſe animum excitauerit e veterno? An aliena forte mendacia tanti roboris erunt? An pauxillum chartæ tantæ efficaciæ? ſic quidem ſentit ad hæc vsque tempora puluerulenta ſchola, ſic Magiſtri credidere atque Doctores, qui ius atque normam alienæ famæ penes ſe eſſe fingebant. Sed fingebant tantum ex inani quodam faſtu, quo in tranſuerſum acti nil rectum exiſtimarunt, niſi quod cum ipſorum moribus, vel ſyllogiſmis in Barbara, & Celarent, vel Doctrina de ſtillicidiis, vel ſyſtemate de Hæreticis perſequendis, vel alio quodam Medicæ fictionis Magnetiſmo, conueniret. Vnde etiam eſt, quod quilibet ſectæ ſuæ homines

tantum laudet aut iis opera ſua inſcribat, qui vel hypotheſibus ſuis fauent, vel ſeculari potentia turbulentis conſiliis adſiſtunt, vel alia quadam ſpe Ludimagiſtrorum ora hiantia ſuſtentant. Notabilis hic *Iacobi Cuiacii* dedicatio eſt, quam Paratitlis in Pandectas ad *Gregorium Lomellinum Patricium Genuenſem J. C.* præfixit, vbi ingenue: *quem colo, inquit, quem laudo, cui lucubrationes dedico meas eum oportet opinione mea omnem honorem, & cultum inſigniter promereri*, plane ac ſi Lomellinus nihil tale fuiſſet promeritus, niſi magni nominis IureConſultus *Cuiacius* opinionem ſuam de illius eruditione publice declaraſſet. Sed eſt hæc Viris Eruditis vana Philautia; ſuo Iudicio ſtare & cadere volunt alios, quos pedibus pulſare terram arbitrantur; ipſi Pegaſi, volantes in aere, circumſpicientes, prouidi, ne quid detrimenti in his terris bonæ artes capiant; aut Orthodoxia ſubſidat, quæ Reipublicæ Chriſtianæ fulcrum eſt, aut certe ingens coloſſus. In hunc cenſum niſi fallor *Theodoricus Schnepſius* referendus eſt,

Bren-

Brentii gener, Theologus Suevus, qui ad *Johannem Fridericum II. Johannem Guilielmum, & Johannem Fridericum III.* Fratres Saxoniæ Duces a. 1555. confesſionem ſuam de Euchariſtia transmittens, inter alia ſic præfatur: *Nuper vero cum Zvvinglianorum quidam lucubrationum ſuarum dedicationibus vulpino quodam aſtu vel longius remotis fucum facere, vel poſteritati naſcituræ, quaſi & Veſtra Clementia Zvvinglianorum dogma amplexa fuerit, perſuadere ſunt conati; viſum mihi eſt, hunc qualemcunque libellum veſtræ Celſitudini dedicare, ut hic veſtræ etiam conſtantiæ, quam in tuenda doctrinæ puritate hactenus declaraſtis, cum inter præſentes, tum apud piam poſteritatem teſtimonium ferret.* Nemo autem non videt, quo prætextu hæc talia dicantur; cum, ſi ex dedicationibus foret augurandum Zwingliani non minus de horum Principum adſenſu posſint gloriari, quam Lutherani, vel bonus ille Schnepfius, cuius ſcriptum non niſi Wittebergæ, aut Tubingæ amplius colitur, vel etiam, quod temporum iniuriæ imputandum eſt, in publicis tabernis

nis inter piperis ac zingiberis odores vltimum ſpiritum trahit. Noſtris Authoribus neque hic ſcopus eſt, neque iſte finis. Noruntquippe Viros Principes tum demum ad æternam gloriam poſſe graſſari, ſi virtutis via incedant, nec Orthodoxorum teſtimoniis habere opus, ſi probitate ſua commendentur. Doctrinæ vero vel honeſtatis laudem tantum abeſt vt a dedicatione aliqua deriuari in alios poſſe credant, vt potius firmisſime animum inducant, non leui eos ignorantiæ, aut vitiorum ſuſpicione grauari, qui non niſi aliorum Panegyricis volunt inclareſcere. Itaque non poteſt illis *Iuſti Reuberi ſimplicitas probari*, vel inanis amor ſui, dum ipſe a *Franciſco Hottomanno* petiit, *vt ſui mentionem publice iniiceret*, *ſeque*, *quod ridiculum* eſt, encomio quodam dignaretur. Verba eius in Epiſtola quæ eſt inter Hottomannianas 181. pag. 231. adhuc hodie leguntur: *Primo quod etiam mei in præfatione tua honorificam mentionem facis gratias ago. Vellem etiam de integritate, animiq; can-*

do-

dore, & continentia aliquid additum fuiſſet; cui iungenda eſt epiſt. 164. p. 211. vbi vel paria habentur, vel certe non minus inficeta. Sed fuit hic temporum illorum genius, quem imitari hodie abſonum adeo foret, quam ſi quis Lutheri ſtilum, qui interdum a manſuetudine deflectit, velit exprimere.

Interim fateor eſſe adhuc cauſas alias, quæ Viros Doctos ad hunc morem conſeruandum impellunt; imprimis ſpes numorum, qui ab illorum beneficentia exſpectantur, qui in lauta parte poſiti ſunt, & vel laude aliqua inſulſa, vel gnome ex Homero, Ouidio, aut Cicerone deſumta intempeſtiue ſæpe titillantur. Vnde ampliſſima ingenia videas deſudare, ac meditari diu, cuinam potiſſimum libros ſuos inſcribant, quos & immortalitate, & ſimul non exiguo præmio iudicant dignos. Norunt enim Viri ſagaciſſimi non eodem omnes animo eſſe, nec etiam eadem liberalitate; poſteaquam ſcriptitantium multitudo nimium excreuit, & tam Principum, quam aliorum Diuitum homi-

mi-

minum oſtia impudentius paulo pulſantur. Sponderem ergo vel omnes, vel certe plures cum dedicationes ſcriptis ſuis præfigunt eandem vel ſimilem intentionem habere; ſiue Theologi ſint, ſiue Iure-Conſulti, ſiue etiam Philoſophorum nomen mentiantur. Habet quippe horum hominum natura aliquid peculiare. Nihil pene agunt ſine ſpe alicuius lucri, licet innocentisſimus animus oſtendatur. Latet vbique auri ſacra fames; latent prætenſa commoda, quæ honeſta ſæpe ſpecie involuuntur; ne cuiuis ex Vulgo, Eruditorum artes pateſcant. Quare ſi qua inter illos differentia eſt, ea ſola videtur, quod quidam cautius occultare affectus ſciant; nonnulli vero veluti ſorex ſuo ſe indicio prodant. Quam vellem vero vt ex hac claſſe eximere liceret Viros authoritate pollentes, quosque Orbis Eruditus inter ſapientisſimos huc vsque collocauit, ne in eam ſuſpicionem videar incidiſſe, ac ſi illorum famæ atque gloriæ aliquid vellem detractum. Sed ipſa loquitur

ve-

veritas, etiamſi mihi exiſtimarem tacendum; nec ſcio an ex proprio ingenio fingere quidquam ſit conſultum, cum talia in eorum libris magno numero legantur. Quæ quidem nec occultanda cenſeo, quia publice ſcripta ſunt, nec minuenda, ne ii ſolum, qui rus colunt, vitiis repleti exiſtimentur. Ergo ignoſcat mihi quem ſupra nominavi *Franciſcus Hottomannus* cui *Iuſtus Reuberus* conditionem, quod libros Obſeruationum ſuarũ ei dedicare voluerit propterea remiſit, *ne magno ſibi encomium eius conſtaret; ille vero egregio alibi munere privaretur*, quod hiante ore diu exſpectabat, & tantum non exigebat. (vid. Epiſtolæ *Hottom.* p. 164.) conf. *Iacobus Bernhardus dans ſes nouvelles de la Republique des lettres Mens. Mart. 1701.* p. 274. ſeqq. Eſt quippe hoc ipſum aliquibus niſi fallor Iure Conſultis proprium, vt quadam animi paupertate laborent, hoc eſt, vt in divitiis inopes ſint, nihilque grauius quam legem Cinciam ferant, quæ

improbus es, cum poſcis, ait.

Non mirum, cum omnibus diebus titu-

tulos de rerum dominio acquirendo pertractent, & de Emtione, Venditione, Locatione, Conductione, lucro, vſuris, fœnore ſine intermisſione loquantur. Cui accedit, quod ampla interdum familia ſit alenda, nec conueniens videatur, bruma ſpirante male veſtitis ſeruis dicere:

- - *Durate, atque exſpectate cicadas.*

Quo ipſo ſe excuſare forte cum Hotomanno ii poſſunt, *qui cum penſio clamat, poſce,* in ſupplementum de libro nouo, ac dedicatione cogitant. At enim vero, quid de Clericis ac Theologis heic ſit ſentiendum pace illorum videbimus. Sunt enim pauci, qui velut Iouis Antiſtites apud Nepotem in Lyſandro cap. 3. pecunia oſtenſa corrumpi non poſſunt; aut ad exemplum *Brentii pro dedicatione munus a Principe oblatum recuſant. (Rudolphus Agricola in opuſc. epiſt.* ad Alex. Heigium p. 61.) *Plerorumque animos habendi cupido veluti tabes inceſſit*, inquit, *Sulpicius Seuerus* hiſt. Sacr. l. I. non ego, qui multum adhuc Epiſcopis ac Theologis tribuo, quibus aut probi-

tas

tas venerationem conciliat, aut mode-ſtia. Miſeret me potius iniquæ ſortis, qua vivunt, dum nec vitam ſæpe honeſte ſuſtentare, nec ab iis artibus, etiamſi velint, poſſunt abſtinere, quæ aliis non admodum videntur laudandæ. Sic *Flacius Illyricus egeſtate* coactus, ut in *funebri eiusdem concione habetur* p. 83. *libellum dedicauit, ut donum ad ſui ſuſtentationem acciperet.* Sic ipſi *Wolffgango Musculo*, cum Baſileæ degeret, erat penitus viuendum; ſic *Ludouicus Viues*, cum Louanii doceret, Auguſtinum de Ciuitate Dei Henrico IIX Magnæ Britanniæ Regi inſcripſit, ut aliquam laboris ſui gratiam iniret non contemnendam. Sic alii denique fecere, & adhuc hodie faciunt, quorum virtutibus obſtat res anguſta domi. Sed enim quod commiſeratione in his dignum eſt, in aliis tolerari neutiquam poteſt, qui hic etiam aliquod fœnus quærunt, & ne quid dedecori deſit, cum ſacco, ut ita loquar, procedunt. Nihil eſt enim tam alienum a bonis moribus, quam iisdem vitiis conſpurcari, quæ in aliis publice taxantur; cum tamen ab omni æuo conſuetudo

b inua-

inualuerit, ut *loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.* Ego vero exiſtimauerim in Theologis etiam minima apparere, mediocria cerni, maxima palpari, licet nunquam defenſores deficiant, qui abſtergere maculam, & contractam obtegere labem annitantur. Valebit ergo apud Poſteros *Georgii Cœleſtini, Præpoſiti olim Berolinenſis,* Theologi ſatis celebris, memoria; nomenque atro carbone notabitur, quod *Chytræo hiſtoriam Auguſtanæ Confeſſionis* ſurripuit, ut nova dedicatione præfixa munus captaret. Habebunt aduerſarii nunquam non cauillandi cauſam, quod *Senatui Argentoratenſi pecuniam remiſit*, quæ pro eleganti, ut putabat, dedicatione, nimis ei exigua apparebat: neſcio an exſtingui unquam illa ſordities poterit, *dum ſacros Codices Francofurti ad Mœnum magno* numero coemit, ut Electoris Brandenburgici imagine præ fixa, & noua epiſtola dedicatoria elaborata opulentior fieret. (vid. *Hodœporicon Cœleſtini apud Fechtium P. Supplem. Hiſt. Sec.* XVI. p. *593.* ſeq. Arnolds Ketzer hiſtorie part. 2. lib. *16.* cap. 9. §. 17.) Rem refero, uti reperitur, nihil fingo,

aut-

aut mentior, cum mentiri non ſit meum. Sed tamen ſcapha appellanda ſcapha eſt, nec ſi veritas debeat vincere adullius hominis authoritatem eſt reſpiciendum. Æſopo permittimus, ut *fabulas ſuas Crœſo Lydorum Regi dedicet*; (Carol. Steph. Diction. p. 103.) Theologis non item, niſi forte Comœdiam ſcribant, qualis eſt *Zachariæ Riuandi Lutherus Rediuivus*, quem Electoris viduæ ac hæredibus propterea inſcripſit, ut ſumtus in impreſſionem factos recuperaret. De reliquis aliter ſentimus, nec *Dauidis Chytræi* querelam approbamus, qui cum a *Friderico II. Daniæ Rege* nihil pro dedicatione retuliſſet, *ſibi tantum, & Muſis ſuis fore cantandum ſcripſit* (vid. eiusd. epiſt. p. 222. ſeq.) Neque enim exiſtimandum eſt perfectam Principibus, aliisque obligationem incumbere, uti quidem temere credidit *Hieronymus Wellerus* II. Annal. p. 157. ut quæuis chartacea munera auro argentoque remunerari debeant; cum omne quod mendicis erogatur, beneficii naturam induat; Beneficia autem ita comparata ſint, ut non debeantur, ſed ex liberrima voluntate in eos, quibus bene

cupimus transferantur; quicquid etiam *Polycarpus Lyſerus* dixerit, cuius verba quia aliis impudentiæ quidpiam continere videntur, huc tranſcribam: vorzeiten/ inquit, ſind ſo wol die Dedicationes an groſſer Herrn Höffen reichlich vergolten worden; und hat mancher Herr ſelbſten angehalten/ daß man ihme etwas in öffentlichem Druck zuſchreiben ſolle: Dann ſie den ſtudiis günſtig/ und der Meinung geweſen ſind/ daß ſie dadurch einen unſterblichen Nahmen bekommen. Aber nun iſt es ſehr davon kommen. Der Urſach halben habe ich mir längſtens fürgenommen/ daß ich entweder niemand/ oder nicht leicht iemand anders/ dann meiner genädigen Herrſchafft / von der ich ohne dem meinen Sold und Auffenthalt habe/ dedicirren wolte. Dann allda verſehe ich mich/ ſeye es nicht unangenehm/ und weil es mir bereits bezahlet iſt/ darff ich nicht auff andere belohnung warten: So ſiehet meine Herrſchafft zugleich auch/ daß Koſt und Brod bey mir nicht gantz unnütz angewendet ſeye. (in dedicatio-

catione deß Regenten Spiegels) Hæc magnæ famæ Theologus: cuius veſtigiis non raro minorum gentium Apoſtoli ita inſiſtunt, vt quauis concione publicata vel fœminam Illuſtrem, vel quod frequentius eſt, decadem Mercatorum conquirant, qui cum nonniſi ab inſtitoribus ſuis extollantur, magni admodum æſtimant a Viro plurimum Reuerendo laudari, a cuius ore ſingulis feriis pendentes, inter fraudes ac dolos, inter auaritiæ ac vitiorum Bacchanalia verorum nihilominus Chriſtianorum nomen publico teſtimonio tuentur; illuſtri admodum documento, hic etiam veriſſimum eſſe quod iam olim *Petronius* iudicauit:

Quiduis numis præſentibus opta, eueniet.

Ex quibus omnibus clariſſime pateſcit, Authores Obſeruationum iuſtiſſimis rationibus non deſtitui, quod a dedicationibus adeo abhorreant. Eſt enim Viri ſapientis ſuæ, quantum fieri poteſt parcere famæ, nihilque committere, ex quo alii non ſine ſpecie poſſint inferre, aliquid lucelli exſpectari; quod certe eui-

tari nequit,ſi communis ſemita calcetur, & in libri frontiſpicio auaritiæ hederã, hoc eſt, ieiuna dedicatio ſuſpendatur. Nam quod *Eraſmus* alicubi aduerſus eos ſolam præſcriptionem ſufficere exiſtimat, qui morem dedicandi rationibus quibusdam in dubium vocare auſi ſunt, id hominis illius ingenio imputandũ eſt, quippe qui non alio fine Viris Primatibus opera ſua inſcripſit, quam vt aureas pateras acciperet, chartisque pallentibus pro ſeculi iſtius genio ditaretur. Sed vtinam & ipſe e librorum ſuorum nuncupationibus tantum ſemper gratiæ retuliſſet,quantum ſpe ſæpe deglutiuerat. Refert enim ille in *Epiſt. ad Petrum Curſium* tam atrocem ſibi iniuriam ab Impreſſore quodam veteratore, cui *Xenia nondum perſoluerat*, fuiſſe illatam, vt aureis numis treçentis eam redimere voluiſſet. *Nam cum*, inquit, *in vidua mea, quam Sereniſſimæ Hungariæ Reginæ dedicaueram ad laudem cuiusdam ſanctiſſimæ fœminæ inter alia liberalitatem illius in pauperes referrem, hæc verba ſubiunxi: Atque mente illa vſam eam ſemper fuiſſe, quæ talem fœminam deceret.*

Vnde

Vnde ſceleſtus ille animaduertens ſibi vindictæ occaſionem oblatam eſſe ex mente illa, Mentula fecit. Peſſimum ſane factum, ſi Eraſmum audias, qui auaritiæ ſtimulis non leuiter agitatus hic ingentis cuiusdam ſummæ naufragium fecit. Alii vero non admodum deteſtabuntur impoſtorem, quia plerumque cum auarus deluditur, cæteri, quos cura hæc non tangit, ſecure rident. Sed dicat aliquis, vtut in quibusdam dedicationibus macula ſit, nec honeſta forte intentio, eſſe tamen aliquas, quæ laude ſua non deſtituuntur. Quid enim, aiunt: An tu Veteres culpabis omnes, qui Imperatoribus ac Principibus libros ſuos deſponderunt, vt eorum præſidio, ac tutamine vterentur? an Calumniatores forte noſtris temporibus deficiunt? Caue, addunt, ne petulantiæ fræna laxes, teque & Authores obſeruationum periculo inimicorum exponas; aut, quod ipſe nolis, diſſertationibus, quæ ab illis eduntur, celerem interitum concilies. Sed me miſerum, inquam, aut meticuloſum,

ſi fulgure ex pelui commoueri poſſem, aut hiſce rationibus terreri. Tenuit Veteres, non ignoro, hæc dementia, vt, quod æternum, cunctiſque venerandum eſſe volebant, Numini cuidam conſecrarent: Quod ipſum a lucis ac templis ad ſtudia paulatim demigrauit, maxime cum Poetæ inciperent prurire, & æmulatio etiam inter Philoſophos invaleſceret. Hinc ergo ad *Alexandrum M.* aliosque Græcorum Principes factæ προσφωνήσεις; ita vt ipſe *Diogenes Laertius in Chryſippo* reprehendere pene videatur, quod *cum tam multa ſcripſerit, nulli vnquam Regi quidquam adſcripſerit.* Romani vero apud quos commutatione rerum facta, ſtudiorum denique gloria erat, pari paſſu incedentes ad Imperatorum ſuorum limina, quicquid in buccam venerat, deponebant, ſub inaniſſimo hoc prætextu, vt velut ſub Aiacis clypeo tuti eſſent. Ita *M. Vitruvius de Architectura* ſcripſit ad Octauium Auguſtum. *Julius Pollux dictionarium ſuum* dicauit *Commodo Cæſari*; *Oppianus* τὰ ἁλιευτικὰ *Antonino L. Septimii Seueri*

Fi-

Filio; alia alii, ſed eo tamen exceſſu vt iam Octauius *epigramma redderet pro eprigrammate, Prætoresque admoneret, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus, hoc eſt ineptis Poetarum carminibus, obſoleſieri.* (vid. *Suet. in vita eius cap. 89.*) Iam vero quemadmodum multa ſunt, quæ licet ab antiquitate vſurparentur, a nobis tamen impune negliguntur; ſic rationes ego, cauſas, atque pondera non deeſſe arbitror, quæ ab hac conſuetudine eximere Viros eruditos poſſint; aut niſi hoc ſufficiat, ad oculum oſtendere apta ſint, hoc quicquid eſt, nil niſi vanum figmentum videri, ſub quo vel mendicitas aliqua, uti ſupra eſt oſtenſum, vel occulta ambitio lateat. Fac enim eſſe aliquid in eorum libris, qui Principum fauorem dedicationibus ſuis ambiunt, quod aut bonis moribus aduerſetur, aut legibus rectæ ratiocinationis, an vitiis quæſo patrocinium præſtabunt, illi? an ſtultitiã protegent? aut oppreſſa veritate erroribus atque mendaciis præſidium ſuam impertientur? Quid eſt, ſi hoc non lædere iuſtitiam Principis, ſi

hoc non contemnere Maieſtatem eſt? Qui maleficiis ac ſcelere paſcuntur ad Imperantium clementiam confugere non poſſunt, quæ innocuos defendit, nocentes non item; qui ſine ulla particula iuſtitiæ vivunt. Sin autem inconditum ſit quod tuentur, ſin erronneum, ſin falſum, quæ inſania eſt obtundere Principem? qui furor, allicere eum ut erret? quæ malitia, abſtrahere eum ut inter ſyrtes ac ſcopulos nauiget? At fabulæ ſunt quæ ab hiſce hominibus excogitantur. Hinc, neſcio quos ſibi inuidos fingunt, quos Lemures, quos maleuolos. Altercantur cum nemo adeſt, clamant, cum nemo terret, agunt, contendunt, pugnant, ſed cum laruis, ſed ſecum tantum, eo magis ad huc ridendi, quod tam lepidæ pugnæ immiſceri etiam eum velint, cuius iuſſa alias venerari fas eſt. Sed finge tamen adeſſe aliquos qui oppugnent veritatem, an illa aheneo propterea muro opꝯ habebit? an tot excubiis erit defendenda? tot circumſtantibus telis firmanda? Veritas ſibi ipſi præſidio eſt; non alieno indiget auxilio,

non

non vi, non authoritate quæ omnia eam magis impediunt, quam promouent; magis confundunt quam explicant. *La Philoſophie*, inquit quidam, *ne doit point chercher d' autre azile, que la verité, ny d' autre ſauvegarde, que l' authorité du bon ſens, & de la raiſon.* Quid ergo impediet, quo minus Authores obſeruationum hoc etiam firmamento vtantur? Eſto enim, diſpliceant illorum dicta imperitis, ſtomachentur ſuperſtitioſi; recedat maxima horum hominum pars ab illorum opinionibus, quid erit Viris bonis cum ſaliua vulgi? Illi, notes velim, ad paucorum approbationem reſpiciunt, nec quod victi ſolent, Quiritium fidem implorant. At quam exigua illis patientia, quæſo, foret, ſi Magiſtellorum in Germaniæ Academiis peruerſam conſuetudinem ſufferre non poſſent; aut omnem illis anſam vellent eripere, ſcribendi, loquendi, diſputandi? Pergant illi, ſi velint, per nos licet; refutent, quod poſſunt, non repugnamus, Dialecticam ſuam defendant, non contradicimus, non intelligant, quos adoriuntur; bene

eſt:

eſt: turpiter ſe dent; ſat eſt: A nobis ſane non impetrabunt, nec a noſtris Authoribus, vt illorum cauſa vel Imperatoris, vel Electorum, vel Principum nomina præfigamus, cum ſine hoc etiam vmbone viuamus admodum tranquille. *B. Rhenano* illam curam præcipuam relinquimus merito, qui *Eraſmi* famam atque gloriam tum demum illibatam fore poſt fata credebat, *ſi Inuictiſſimus Imperator Carolus V. ſtudiorum oſoribus ſe opponeret, & re ipſa oſtenderet, non ſolum imminutæ Maieſtatis reum eſſe, qui in eum Principem Romanum, ſed & qui in conſiliarios ipſius conſpiraret.* vid. eiusdem præf. in opera Eraſmi) Hodie, vbi liberioribus oculis omnia intuemur, talia non admodum ſectamur; non ignari, hoc ipſum nonniſi ab inſigni quadam credulitate proficiſci, dum aut Principibus tantum otii ſupereſſe fingitur, vt ad Scholaſticas diſputationes velint deſcendere; aut temere iis perſuadetur, omnia, vel tamen pleraque, quæ in lucem intempeſtiue protruduntur, ad eos maxime pertinere, qui Reipublicæ gubernacula gerunt.

In-

Inde ad nauſeam repeti cernas, tum *demum florere ciuitates, ſi aut Philoſophi imperent, aut Imperantes philoſophentur.* Sub Philoſophia vero nihil eſt, quod non comprehendunt; ita vt etiam funambuli habeant, ex quo ſuam Magnatibus artem ſub ſanioris Philoſophiæ nomine commendare queant. Adeo mundus etiam eruditorum opinionibus decipitur; ſed quas detegere ruſtici, ac opifices poſſent, niſi Ciceronianis interdum Phraſibus inuoluerentur. Alterum vero, quod iis imminere periculum dicitur, qui dedicationes omittunt, tam parum noſtros Authores adficit, quam primum. Ad memoriæ æternitatem illis ara virtutis eſt; non dedicatio; quæ *Ariſtotelis, Vitruuii, Horatii, & Virgilii* nomina difficulter conſeruauit; alia vero & forte infinita in ſempiternis tenebris reliquit. De librorum bonitate penes Lectores iudicium eſt, qui ſi ſolidi quidpiam videant ſubeſſe, literas commendatitias, parui habent, quæ iis ſolum dari conſueuere, qui alienæ magis authoritati, quam recte factorum con-

conſcientiæ innituntur. Sed pone tamen, & finge Authores obſeruationum mutauiſſe mentem, eaque nunc decurrere ſemita velle, quam indocti ac docti, ſapientes & inſulſi non ſine applauſu huc vsque iniuere, ecce tamen nouus qui emergit ſcopulus! Hærent enim ac ambigunt, ad quemnam potiſſimum dedicatio dirigenda ſit, cum varia hic iudicia occurrant, diuerſæ opiniones, multæ ſententiæ. *Tholoſanus libros de Re-publica DEO conſecrauit.* Eodem modo *Friedlibius medullam ſuam Theologicam* inſcripſit, Ita *Tarnouius exercitationes ſuas biblicas* adornavit, ita Theologi non pauci fecere, etiam ii, quibus, quam parum reuerens de Deo ſenſus ſit, ipſa nominis ſubſcriptio, ſatis ſic dirigentibus, indicat. At enim, cum Deo, quicquid ſumus, ac poſſumus totum debeatur, inconcinnum ſane foret, id velut peculiare ſub initium libri profiteri, quod omnibus hominibus, non dicam Chriſtianis, incumbit, qui in Atheorum claſſe nolunt comparere. *Militantem igitur Eccleſiam nomina-*

nauit Johannes Wigandus Theologus Lutheranus cum libellos de *antinomia veteri, & noua, ac de claue ligante* ederet; ſed oratorie magis, quam ex animo, vel ſi hoc tibi rigidum nimis videatur, vt Eccleſiæ ſuæ omnibus diebus memor eſſet, quæ quam magnum adhuc idolum ſit, boni omnes & norunt, & ingemiſcunt. Scriptores Pontificii adhuc magis inſipidi ſunt, ac inſolentes. *Cornelius a Lapide Comment. in XII. Prophetas* minores *ſanctisſimæ Trinitati* increatæ, & creatæ in Chriſto Ieſu (ea eſt Chriſti anima, caro, & ſanguis) ſacrum eſſe voluit; merito propterea caſtigatus a *Dorſcbéo*, cui facile erat, ex locis Theologicis ſuis oſtendere, tales locutiones & Sacris literis contrariari, & Patrum teſtimoniis. Sed hoc vt miremur, neceſſe non eſt, cum ſuperſtitio in Papatu maxima ſit, & tam mirificæ ſæpe inuentiones compareant, quæ non poſſunt non riſum mouere iis, qui ab hac caligine longius remoti ſunt. Eiusdem furfuris *Philippi Bosquierii dedicatio* eſt, qui *Broçardi Palæſtinam Deo, Dominico,*

nico, & Fratribus Prædicantium natis & naſcituris adſcripſit, mirum quod non etiam DEO præpoſuerit *Dominicum*, qui fidem ſuam Innocentio III. contra Albigenſes plus quam humane probauit. Sed eſto hoc imperite; *Philippus Pareus* imperitior eſt. Hic *Lexicon ſuum Criticum nouem Muſis & Mercurio deuouit*, dignus, vt ex Chriſtianorum ordine expunctus inter Petronii ſales, Catulli delicias, Ethnicorumque ſcriptorum inania contabeſcat; niſi cum Scaligero, aliisque diuina pectora, cœleſtia ingenia, inexhauſtæ doctrinæ fontes atque Theſauros eos appellare auſis, qui in hiſce ſterquiliniis dies noctesque ſe volutant. Nobis magis volupe eſt cum Auguſtino, quem *Petrus Poiret* de eruditione ſolida *lib.3. §. 18.* allegat, exclamare: *O flumen tartareum! iactantur in Te filii hominum cum mercedibus, vt hæc diſcant: magna res agitur, cum hoc agitur.* Quanto igitur rectius agunt Authores Obſerationum ſelectarum; qui cum *Chryſippo Chæronenſi* abſtinere a dedicationibus malunt, quam cum *Seneca*, qui

men eius exagitat *lib.1. de Benef.*cap. 4.Liberalem adire vel Nouatum. Principum palatia nimis excelſa iis videntur, vt inde demum præſidium, & tutamen ſit petendum. Patriæ ſi vellent, non poſſunt addicere labores ſuos, quia non vna iis patria eſt,niſi quidem totam Germaniam alloqui fas eſſe putes. Tempori & immortalitati *Forcatulus Necyomantiam* ſuam conſecrauit; quod tamen, quia inſignem ambitionem oſtendit, imitari nolunt. Eccleſiam ad Theologos pertinere publice confitentur, ne falcem in alienam meſſem immittere dicantur. *Auguſtinum*, *Hieronymum*, *Lactantium* non audent affari,cum,quia iam *Aloyſius Nouarinus adagia ſua* iis dicauit, tum quia non raro auctoritatem illorum veritati poſtpoſuere. *Bernhardum* vero *Abbatem Claræ Vallenſem* libris *Cardinalis Bonæ* contentum eſſe iubent,ne,quod factu ſibi difficillimum foret, res eius laudare cogantur. Reliquas, quæ circumferuntur dedicationes,& quæ ſatyram parumper olent, aut animi leuitatem præ ſe ferunt, Lectoribus diiudicandas re-

linquunt. Vnam maxime, quæ *Philippi Boſquierii* eſt, de quo antea, *qui tertiam naufragii tabulam, ſeu Echo Concionum Iohanni Guarino Subulco* inſcripſit; alteram quæ *Furretierii*, qui ad *Carnificem* dedicationem ſuam direxit; tertiam quæ *Scarronis*, qui caniculam ſuam publica nuncupatione ſalutauit; & quartam denique quæ *Socinanorum*, qui *Catechiſmum Racouienſem Theologis Wittebergenſibus* dicarunt, quem etiam maſcule, vti ſolent, refutarunt. Noſtri, quod breuiter dictum ſit, grauiſſimis rationibus commoti, nec dedicant, nec dedicare volunt. Interim Tu B. L. antequam hinc abeas, parumper adhuc ſubſiſte. In compendio tibi librum exhibebo, qui licet videatur fictus, aliqua tamen, vti ſpero, habebit, quæ recreare mentem tuam poſſint. Excerpta eius in Gallico quodam libro habentur; cuius titulus eſt: *Roman Bourgeois*: Tomi IV. ſunt, quorum primus vndecim capitibus abſoluitur, in quibus de dedicationibus in genere, earumque vtilitate, neceſſitate contra communem tam veterum, quam recentium Authorũ opi-

opinionem aliqua adferuntur. Prima dedicationum inuentio *mendico* attribuitur, ex coniecturis Hiſtoricis non admodum improbabilibus. Deinde disquiritur, an diſputationes primum ceperint dedicari, an integra volumina, cum refutatione *Balthaſaris Moncornet*, qui dedicationes profanaturus eas imaginibus ſuis peſſime cælatis ſubiecit. Similem cenſuram Hortenſius experitur, qui librum ſine dedicatione ἀκέφαλον appellauit; adiecto ſimul iudicio de ſatyricis inſcriptionib9, cani, ſimiæ, nemini factis. Reliqua, quæ ſequuntur communem eorum errorem refutant, qui libros ſuos Magnatum nomine contra aliorum inuidiam ac caluminas defendi arbitrantur. Dedicationes autem amicis factæ cum vnguento comparantur, quod nec prodeſt, nec nocet. Lepidum eſt quod de *Ranguſio* additur, cuius literæ totidem quaſi dedicationes ſunt. Hunc Author propterea Magis adſimilat, qui nummis vtuntur, ad primum poſſeſſorem ſemper redeuntibus. Curioſa itidem quæſtio eſt, an & quo tempore conſultum ſit ſe-

rere, & plantare elogia, vt fructus inde ſperati proueniant; vna cum Catalogo, in quo fauſtos videas notari dies, ac infauſtos, quibus cum ſucceſſu libri dedicantur. Optimus autem ille pronunciatur, quo Mæcenas nonnihil ex luſu lucrifecit. Tomus II. naturam ac affectus Mæcenatum depingit. Hinc regiones indicantur, vbi meliores naſcuntur; & Flandria imprimis ac Germania laudantur, vbi tantus munificentiſſimorum Mæcenatum numerus eſt, quantus in agro *Turonenſi aſinorum*, & in *Mirobolenſi peponum*, qui reliquos quarumuis gentiũ longo interuallo poſt ſe relinquunt. Sed quemadmodum difficile admodum eſt, veros Mæcenates diſtinguere ab illis, qui ſacrum hoc nomen mentiuntur, ita Author adhuc dubitat an verum inuenerit lydium lapidem, quo illorum probari liberalitas poſſit. Vnde de ſterilitate præcedentium ſeculorum, ac noſtri præcipue conqueritur; vbi aut rari admodum literarum Patroni ſunt, aut non munifici: nec diſplicet ea, quam fecit obſeruatio: *Poetarum antiquitatem exinde maxime*

me conſtare, quia vetuſtiſſimæ illorum de infelicitate temporum, & ingratis bonarum artium Oſoribus, querimoniæ ſunt. Ad quod illuſtrandum exempla Homeri, & Torquati Taſſi aliorumque adferuntur, qui aut fame mortui ſunt, aut in Noſocomiis extincti. Poſthæc accurate expenditur comparatio Veri Mæcenatis cum Phœnice. Ea quoad raritatem dicitur iuſta; non item quoad durationem; quia nec 500 annos Mæcenates viuunt, nec ex eorum cineribus alii renaſcuntur. Et quoniam non raro contingit, vt ii, qui ad aliquem ſapientiæ gradum peruenere, ſcopum dedicantium facile peruideant, hinc *maxime inſulſi commodis eorum aptiſſimi perbibentur*; hac tamen ſub cautela: Aulæ Miniſtros probe diſtinguendos eſſe ab iis, qui lites in foro ſequuntur. Hi vltimi enim per quam faciles ſunt in promittendo, ſi fauſtum proceſſus tui exitum ſperes, in ſoluendo non item. Sequuntur deinde Elogia *Montoronii Mæcenatis* huius nominis primi, vna cum faſciculo Epiſtolarum dedicatoriarum a melioribus ingeniis exa-

ratarum; quibus adduntur querimoniæ Poeticæ de iniquo Viri iſtius contemptu. Eſt enim hoc Paradoxon veriſſimum, Viros Primates, ac opulentos non raro ad rem eſſe attentiſſimos: nec de nihilo videtur, quod Author de certa paralyſi adiicit, quæ illorum manus cohibere cernitur, quoties de liberalitate quæſtio eſt. Eo fine 50 commenta recenſentur, quibus ex caſſibus mendicorum ſeu dedicantium liceat euadere. In eo vero malitioſus pene eſt, dum neſcio, cuius hominis meminit, qui ad laudes Viri eruditi, capitis laborare vertigine cepit. Tandem ne quid ſatyræ deſit ad Carnificem ſe parare dedicationem innuit; iiſque non parum iraſcitur, qui ſua inſcripſere eleganti dedicatione indignis. Tomus III. varias quæſtiones pertractat, easque ludicras, quarum argumenta breuibus ſubiiciam. Prima eſt an remuneratio ex Iure Naturali, Gentium, aut Ciuili deſcendat? 2. an ad illius qui dedicat, animi dotes ac virtutes reſpiciendum ſit, aut an ille maiori munere dignus qui

qui cum paupertate luctatur, an qui divitiis abundat. Rationes vtrinque in contrarium allatæ. 3. An ſumtuum etiam ratiohabenda, qui impenduntur in Ligaturam, Literas Maiores, Typorum elegantiam, & alia eius generis, quæ imaginem Mæcenatis, qui laudatur, referunt, Symbola, arma gentilitia. &c. Notabilis obſeruatio, omnia hæc artificia luculento indicio eſſe, librum non eſſe magni momenti. 4. An iuſtum ſit perſoluere impenſas, quæ ſcriptoribus interdum faciendæ ſunt, ſi iter longinquum ſit ad Mæcenatem. 5. An libri pondere *ſint æſtimandi*, an *doctrinæ; magnitudine, an materiæ ſublimitate*. Tota quæſtio propoſita ſub dramate, vel figura aſini laborioſi, & aſtutæ vulpis. 6. An plus dandum ſit pro libris vt aiunt, in folio, an pro iis, qui in 4ta aut 12ma forma comparent. Certamen Calepini & Velleii Paterculi. 7. An liber qui in duodecima forma minuto charactere impreſſus eodem adhuc pretio ſit taxandus, ac ſi forma eſſet ampla, literæ Maiores. Oſtenſa differentia inter libe-

ros corporales, ac ſpirituales. Illi perexigui ſunt, cum naſcuntur; ſed cum tempore augentur; horum vero prægrandis primum ſtatura eſt, poſt modum exilis. 8. Quid pro ſecundis ſeu iteratis editionibus ſit perſoluendum. Lepidum Mæcenatis facinus; qui *veſtimentum vetus, ſed redintegratum* pro dedicatione dedit. 9. Iudicium de iis, qui Veteres Authores Claſſicos edunt, ſub prætextu alicuius emendationis, illuſtrationis, commentationis, caſtigationis. &c. 10. quidnam præmii illis concedendum ſit, qui MScripta Veterum nondum viſa in lucem emittunt. Idem illis deberi dicitur, quod *Obſtetricibus, quæ infantibus naſcituris auxilio ſunt.* 11. Quonam loco habendi Bipliopolæ, qui aliena opera, aut ſcripta ſine eius, ad quem pertinent, conſenſu dedicant. Comparantur cum iis, qui liberos mutuo ſumunt, vt tanto ſecurius ſtipem colligere queant. Huc refero ego, quem antea eram oblitus *Fröſchelii impudentiam*, qui cum *Philippi Melanchtonis Commentarium* in Matthæum contra Scriptoris

ptoris voluntatem vulgaret, hac potiſſimum ratione vſus eſt: *ſe illum pro ſuo vſurpare, ac etiam dedicare; quia Authór hujus ſcripti proprietatem ſibi vindicare nolit; quæ autem nullius ſunt, fieri occupantium* (vid. *Oper. Melancht. Tom. III.* fol. 250.) 12. Quid de illis cenſendum, qui ſpicas in Parnaſſo colligunt, hoc eſt qui varias epiſtolas, ac Carmina pro ſuis venditant. Modus hic, tanquam exactio improbisſima, reprobatur. 13. An agi contra eum ciuiliter posſit, qui pro libro ſibi inſcripto nullum grati animi ſignum oſtendit. Quæſtio deciſa tam ex conſuetudine, quam titulo de *his quæ ſine cauſa.* 14. An qui pro libro nullius vſus præmium dedit, aut ex poſt facto cognouit, nihil, aut parum laudibus ſuis datum fuiſſe, habeat *condictionem indebiti.* 15. An ad hæredes defuncti emolumentum dedicationis tranſeat? 16. An qui nomine Biliopolæ epiſtolam dedicatoriam compoſuit, posſit agere ad communicationem lucri percepti. 17. Caſus in facto citatus, vna cum libellis Aduocatorum, vbi elegantes deſcri-

ptiones occurrunt miſeriæ Authorum, & aſtutiæ Bibliopolarum. 18. An Stellionatus crimen ei imputandum, qui Tragœdiam ſeu Comœdiam Hiſtrionibus primo vendidit; deinde Bibliopolæ, & poſtea Mæcenati. Quæſtio ſoluta in fauorem Authorum, qui ſe in Iure Conſuetudinario fundant. 19. An Domeſticus ſeu Commenſalis excluſis cæteris omnibus ſoli Mæcenati dedicare teneatur: item, an præter conuictum, & ea quæ cohabitationi ſunt adnexa peculiari remuneratione opus ſit. Tituli de ſeruis excuſſi, qui quod acquirebant, non ſibi, ſed Dominis acquiſiuere. Caput vltimum remedium ſuppeditat, quo difficultates fere omnes, quæ circa dedicationes emergunt facili negotio ſuperari queant. Illud conſiſtit: in nihil dando. Hac occaſione auaritiæ vitium depingitur, quod cum olim in tabernis, ac opificum collegiis ſedem ſuam habuerit; nunc in Principum ac Magnatum Palatiis habitat. Tomus IV. Controuerſias ac quæſtiones circa elogia præcipue occurrentes exhi-

exhibet. Hinc primum eſt, de elogiorum natura, diuiſione, & affectionibus. 2. Ea dedicationum eſſentia dicuntur. Experimentum euidens contra Medicos, aliosque qui purgationibus viuunt; ab his enim capitis dolorẽ præcipue originem ſuam habere. 3. An præmia pro dedicationibus ſint aptanda ſecundum proportionem laudum, quas Mæcenas accipit. Artificium ſingulare conficiendi libram, qua eædem poſſunt ponderari. 4. An laudes quæ in reliqua libri parte quauis occaſione obueniente adſperguntur, duplicata præmia expoſcant; *Vel an id quod ſoli epiſtolæ deſtinatum erat, ſufficiat.* 5. Num alii quorum in tranſitu, & ex accidenti ſaltem mentio facta, eadem obligatione teneantur. 6. De Valore ac bonitate interna elogiorum. Vbi oſtenditur ea ſi accepta eſſe debeant, aliquem habere oportere exceſſum. 7. An Author qui Patronum ſuum immortalite donauit maiori præmio ſit afficiendus, quam alter, qui ſemideum eum appellauit, Heroem, Angelum. Exempla complurium apo-

apotheoſium, quæ fortunatæ magis agentibus, quã patientibꝰ accidere. 8. Paradoxon veriſſimũ, Laudes mediocres eſſe optimas, contra opinionem noſtri ſeculi, & plerorumq; Magnatũ. Adiecta eſt Tabula graduum conſanguinitatis in Adulatione. 9. de laude euidenter falſa. Ea duplo magis remuneranda ſtatuitur quam vera, ob rationes duas: Prima eſt, quod æquum ſit compenſare laborem, quem quis ſibi impoſuit; mentiendo impudenter. Secunda, quod alias ipſe falſitatem proderet Mæcenas, niſi ei magnificentia ſua pondus adiiceret. 10. An fœminæ quibus gratis interdum adulamur, quæue iure perfecto omnes ſibi deberi laudes exiſtimant, ad eadem officia ac Maſculi adſtringantur. 11. An maius congiarium ſit exſpectandum pro laude, quæ in vera hiſtoria tribuitur, quam in carmine, aut ficta narratione, quam Galli Roman appellant. 12. Variæ Prærogatiuæ quæ Hiſtoricis competunt præ Poetis: & an licentia in mentiendo hos poſſit æquare primis? 13. An hiſtorici fa-

ſalario ſuo debeant eſſe contenti; aut an honeſte annales ſuos magno nomini conſecrare posſint, ad munuſculum pro laude inibi reperiunda captandum. 14. Quænam penſio ei ſit ſoluenda, qui certæ familiæ Hiſtoriam, vel Genealogiam deſcripſit. De numero eorum pene infinito, quos Scriptores nobilitarunt, & quid proprie ſit *la nobleſſe de lettres*. 15. An permiſſum ſit ei, qui ne teruncium quidem pro dedicatione accepit, mutare illam, & dirigere ad alium. Quæſtio deciſa eſt affirmatiue ex regula Iuris, quæ reuocare donationem ob ingratum animum concedit. 16. An ſuſpenſo Mæcenate, vel alio quodam infami mortis genere obeunte, ſupprimere liceat dedicationem, aut mutare, aut transmittere denique ad poſteros. 17. Quid circa ſecundam impresſionem eiusdem libri iuris ſit. 18. Apologia Doctorum Italorum, qui nec eos vacare crimine volunt, qui perſonas quas libidini ſuæ ſubiecere, promiſſo pretio defraudant. Argumentum ſimile inde du-

ducitur ad Mæcenates, dum pari dolo Authores decipiunt, qui alienæ famæ inſeruientes, proprio nomini ac famæ maculam inurunt, calamumque diuulgant. 19. Conſpectus certi proceſſus Mæcenati, qui elogia ſibi vendita non perſoluit, intentati; vna cum decreto, quo litigantes ad eos iudices ablegantur, quibus alias impoſitum eſt de rebus ad Mercaturam ſpectantibus pronunciare. 20. An Bibliopegus, qui corium ad ligaturam, vel Mercator, qui ſericum ad imprimendum dedit, habeant actionem realem an perſonalem: item, an cedere Author donum futurum poſſit, quod exſpectat, & ſic debitum compenſare. Opiniones contrariæ Curiæ in Parnaſſo, & Tribunalis, quod Caſtellæ eſt. 21. Commentum acutum cuiusdam Authoris, qui Patrono ſuo librum charta cærulea inuolutum obtulit, quod *hic Orphanorum habitus ſit, aliorumque qui in Xenodochiis viuunt.* 22. De lege Talionis, & an illa ſit recepta. e. g. an elogiis elogia compenſari poſſint, quæ communiter in dedicatio-

ni-

nibus profunduntur. 23. Examen facti, quod Auguſto ttibuitur, dum epigramma dedit pro epigrammate. Probatur, hoc non poſſe trahi in imitationem. 24. An Mæcenas, qui chartas ſcriptoris commendauit, vt quærerentur, liber ſit ab obligatione, quæ ei alias compenſationem iniunxit. Rationes dubitandi & decidendi. 25. Varia conſilia, quibus obſeruatis felix dedicationum ſucceſſus ſperari poſſit. De neceſſitate frequenter compellandi Mæcenatem, vt aliquid tandem ei extorqueatur. 26. Aliud conſilium maxime ſingulare, quo ſuadetur vt & famulis ciuiliter tractatis, aliqua munera ferantur, quo eorum commendatio apud Dominos profit. 27. Digreſſio de pernionibus, queis non raro laborare ſolent ii, quibus cũ dedicant diu ante fores eſt exſpectandum. 28. Axioma multa exemplorum inductione probatum: Authores omnes qui aliquam Magnatum gratiam obtinuere, non propria virtute, ſed vel aliorum commendatione, vel dolis, vel alio quodam officii genere eam obtinuiſſe. His omnibus vlti-

vltimo additur totius operis concluſio, & ſimul Index exquiſitus, vbi elogiorum diuerſa pretia conſpiciuntur.

Hæc itaque ſunt B. L. ad quæ videnda te inuitaui antea. Si quæ ad ſatyram pertinere tibi videantur, homini Gallo imputa, non mihi, qui Germana ſimplicitate commendor. Tibi, ſi velis dedicare nihil interdictum eſt; ſcribe, quantum potes; pulſa fores, quas noſti; Vrge, non impedio;

Adhuc tua meſſis in herba eſt. Vale.

OBSERVATIO I.
DE EXCIDII TROIANI FABVLA ET DE EIVSDEM SCRIPTORIBVS VSQVE AD HOMERVM IVDICIVM.

§. I. *De ſyſtematum antiquitatis Romanæ ſcriptoribus, breue iudicium* §. II. *Romanorum originem ex Troiæ ruinis eſſe petendam, inter ipſos veteres eſt incertum.* §. III. *De Siſypho, Corinna & Syagro disquiritur, quis primus Troianas res ſcripſerit, & Ioannis Malalæ auctoritas improbatur.* §. IV. *Dares Phrygius & Dictys Cretenſis primi Troianarum rerum ſcriptores quibusdam dicuntur.* §. V. *Daretis Phrygii ſcriptum quod circumfertur, ſuppoſititium eſt, & Ioſephum Iſcanum agnoſcit auctorem.* §. VI. *De Dictyos ſcripto & Guidone Columna iudicium.* §. VII. *de Demodoco & Phantaſia Memphitica agitur* §. VIII. *Homerus Troianæ fabulæ pater, ſcripſit Iliadem & Odyſſeam.* §. IX. *Veterum Græcorum de Homero iudicium, quod ſenſus arcani ſub eius poemate lateant.* §. X. *arcanos in Homero ſenſus agnoſcunt & ſcriptores latini.* §. XI. *multa Chriſtiana ſub Homeri verſibus latere agnovere Patres.*

§. XII. *Pöetarum proprium eſt mentiri, vel vera ſub fabularum inuolucro tradere, quod auctoritate veterum probatur.* §. XIII. *Quod etiam ex nomine* Ποιητὴς *concluditur, quod fictorem notat.* §. XIV. Ποιηταὶ *nptant & factores, ſic et chymici adpellati.* §. XV. *Pöetæ vel in Græcorum ludis vel in conuiuiis ſuas olim aliorumque fabulas & pöemata canebant & recitabant.* §. XVI. *Concluſio obſervationis.*

I.

INter tot ac tam coaceruatas librorum editiones, celeberrimi ſemper viri defectum a longo abhinc tempore, doluere iuſti ſyſtematis antiquitatum. Nec vota ſolum fuere orbis litterati, acceſſere & conatus, nec inanes iſti & vani, ſed tales, qui defectum iſtum ſi ad effectum perducti, facile & ſufficienti modo ſupplere potuiſſent. Ad laborauit in eodem, quantum ad Romanas, iam olim *Paulus Manutius A. F.* qui omnem rem Romanorum antiquariam decem libris abſoluere ſibi propoſuerat, cuius vero quatuor tantum, de ciuitate ſcilicet, ſenatu, legibus & comitiis vidimus, reliqui cum eodem interiere. Conterraneus eiusdem *Franciſcus Robortellus* maiori adparatu opus de vita & victu populi Romani venditauit, quo omnem rem implere conſtituerat

erat, cuius tamen nil niſi argumenta cum diſſertationibus aliquot breuiſſimis prodiere. † Ex Belgis teſtante id Miræo, †† de componendis Ritualium libris meditatus fuerat *Iuſtus Lipſius* (cuius memoriam adhuc ſeruat album Profeſſorum noſtrorum, contra quod vulgo creditur, nomen eſſe eraſum) ſed fata prævertere propoſitum. E Gallis *Guilielmus Choulius* in ſuo de religione tractatu, decem antiquitatum libros, in hiſce omnem rem abſoluturus promittit, opus tamen nondum vidimus. Germania gloriatur de *Georgio Hieronymo Velſcbio*, inſigni olim apud Auguſtanos medico & Polyhiſtore, qui ipſe ſe antiquitatis ideam omnibus numeris eſſe perfecturum, inter edenda ſua teſtatur; ſed idem quod priores fatum expertus. Conatus ergo ſunt, ſicut & ea quæ edita ſunt, inter hoſce tantum referenda. Vt enim taceam de breuioribus Romanarum antiquitatum compendiis *Kippingii*, *Caroli*, *Hildebrandi*, facis hiſtoriarum, quæ *Antonii Thyſii* nomen præfert, ſed vere eſt *Ioannis Thuilii*, aliiſque, leuioris iſta ſunt momenti, & vix primas antiquitatum attingunt lineas, niſi quod Thuilii labor epitome operum Lipſii, quæ ad antiquitatem ſpectant, ſit dicendus. Inter hæc tamen adplauſum quidem merentur *Thomæ*

† *Bononiæ* 1559.
†† *elog. Belg. p.* 171.

Godwini anthologia anglice conſcripta, nec quantum norim, latine adhuc verſa, & *Petri Ioſephi Cantelii* de Romana republica compendium, ſed præter quam quod compendia tantum ſunt, quæ in multis ſuppleri poſſunt, alias antiquitatum cognitionem nonniſi in ſuperficie præbent. De maioribus ergo quæ ed ita ſunt, ſyſtematibus, vt dicamus, nil niſi conatus & in iis reperiemus. *Ioannis Baptiſtæ Caſalii* enim ſplendor orbis & vrbis imperfectus eſt, & quod notes, ex Lipſio, Panuinio aliisque pro ratione materiæ absque iudicio conſarcinatus. *Wolfgangi Latzii* de Republica Romana vaſtum opus, maioris molis eſt quam iudicii. *Roſino-Dempſterianum corpus*, vel ipſo Morhofio † iudice, mutilum & inane eſt, addimus & in multis infidum. Conatus ergo ſunt, qui vel in optimis rebus deficiunt. Hinc cum a teneris in ſcholis adhuc agens & gymnaſiis, per ſedulam ſcriptorum veterum lectionem animadverterem multa ſcriptoribus noſtri æui, in antiquitatibus Romanis, ut de aliis taceam, nondum eſſe obſeruata, ſæpe adnotaui, nec etiam tum temporis ſatis intellecta. Hæcce igitur quæ adnotaveram, relegendi anſam ante biennium dederunt iuuenes quidam ornatiſſimi, Muſarum filii ingenui, qui raro in Germania noſtra

† *Polyhiſt. c. XXI. p. m.* 247.

ſtra exemplo, cui nil ſapit, quod vltra Ariſtotelem eſt, vt lucem ipſis in Romanorum antiquitatibus præferrem, expetebant. Quibus deſideriis tam honeſtis cum deeſſe nollem, in ordinem redegi quæ ſparſim collecta, & ſingula non recentiorum ſcriptis vti alias moris eſt, ſed probata veterum auctoritate, confirmaui, addita & antiquitatum tum ex veteribus tum recentioribus conſtante bibliotheca. Hic poſtea labor nunc immutando, nunc adnotando, nunc elimando varie excreuit, ita vt celeberrimorum virorum ſuaſu eundem in iuſti antiquitatum Romanarum ſyntagmatis formam componere & publici iuris facere iam ſollicitus ſim. Huic autem labori dum inhæreo, hanc de rebus Troianis, & quæ inde petitur, Romanorum origine & de eadem ſcriptoribus obſeruationem, prodromum quaſi eſſe volui, quo ab eadem eo felicior ad reliqua daretur progreſſus.

§. II. Conſtans fere inter recentiores eſt opinio, Romanorum originem ex Troiæ ruinis eſſe petendam, ita vt accuratiſſimi etiam ſcriptores licet antiquitatis hac in re incertitudinem introſpiciant, conſenſui tamen maioris inter antiquos partis aliquid dandum eſſe velint. Sed ſi rem penitus conſideremus, incerta res eſt apud ipſos antiquos, incertior ſane apud nos, ita vt potius iam dice-

re liceat, vnde non petenda Romanorum origo, quam vnde vere petitur. Et vbi res hæc inter veteres certa, fide nititur poetica, ſatis vacillante. Quare ſi iuſtum aliquid elicere velimus, ſingulorum ſcriptorum opiniones, quas de Romanorum origine tenent, bene prius erunt ponderandæ. Ad binas autem claſſes referendi erunt iſti, ita vt primam conſtituant ii, qui de rebus Troianis agunt, alteram qui originem Romanam inde vel aliunde repetunt.

§. III. Res inter ipſos veteres incerta eſt, quis primus Troianas res deſcripſerit. Ioannes Tzetzes † quidem ex Ioannis Meleli, ſiue vti aliis dicitur, Malalæ, chronographia, ad tempora Troiana refert Siſyphum Coum, Corinnum, Daretem Phrygium & Dictyn Cretenſem. *Siſyphum* Teucri, qui e rebus Troianis notiſſimus eſt, ſcribam facit, qui res ad Ilium geſtas & a ſe viſas, primus litteris conſignauerit, ex quo etiam & Dictye Cretenſi Homerus ſua hauſerit, quæ cecinit. De Corinno autem teſtatur Suidas †† πρῶτος γράψας τὴν Ἰλιάδα ἔτι τῶν τρωϊκῶν συνισταμένων, additque Homerum totum poëſeos ſuæ argumentum τῆς ποιήσεως πᾶσαν ὑπόθεσιν ab hoc Corinno hauſiſſe. De Siſypho præter Ma-

† *Chil. V. hiſt. XXIX.*
†† *voce* Κόριννος

Malalæ auctoritatem nihil conſtat, quæ tamen futilis eſt. Reineſius † quidem auctoritate Seldeni †† ductus, eundem putat cum Ioanne Antiocheno, clare tamen diſtinguit Henricus Valeſius, dum inter alia excerpta Conſtantini Porphyrogeneti, Ioannis Antiocheni quidem exhibet, Ioannem Malalam autem conſulto ſe miſſum feciſſe teſtatur ††† eo quidem, quod præter tres quatuorue fabulas de Minoë, Antiopa ac Bellerophonte, easque illepido ſermone textas, nihil bonæ frugis contineat, vtriusque itaque & Antiocheni & Malalæ codicibus manu ſcriptis vſus fuit Valeſius. Fabuloſus ergo ſcriptor eſt & nihili æſtimandus, quare & Richardus Montacutius † vocat blennum, fungum, fatuum. Cadit ita Malalæ auctoritas. Quare nec pro certo adſerere audet Tzetzes, nec ipſe adeo probatæ fidei, Teucri ſcribam fuiſſe Siſyphum, ſed vtitur verbo λέγουσι, quod ipſum incertitudinem eius ſatis arguit. Aelianus †† quidem mentionem facit Siſyphi poëtæ ſatyrici, quem tamen Olympiade nonageſima ſexta ſecundum emendationem

A 4 Schef-

† *ep. ad Hofmannum LXVI. p. 584.*
†† *de iure Nat. ſec. Ebr. c. VI. f. 588.*
††† *in præf. ad excerpta Conſtant. Porphyrog.*
† *diatr. pro Caſ. contra Bulengerum.*
†† *var. hiſt. II. c. VIII.*

Schefferi, & ita vltra octingentos annos poſt excidium Troiæ, vixiſſe memorat, quem cum poëtis τοῖς τρωσὶ ſtatim ſubiungat & cum iis copulet, rem Troianam ſcripſiſſe putem; hunc forſan Malala cum alio Siſypho, quem circa Troiana tempora vixiſſe credit, confundit. Quippe vel Siſyphorum nomen in fabulis illorum temporum non ignotum, quod & exemplo conſtat Siſyphi Heoli filii, qui cum Atticam latrociniis infeſtaſſet, a Theſeo occiſus, pœnas æternas luere poëtis creditur. De *Corinna* res clarior eſt, fuiſſe pöetam, idque ex Athenæo, † licet dubitanter de eo loquatur, an & illud pöemation, quod ſub Corinnæ nomine circumferebatur, ipſius ſit, an alterius. De vtrorumque ætate dubitatur, an circa tempora excidii, quod putatur, Troiani, vixerint, an poſt. Et quid ſi vixerint, pöetæ fuere, qui fidem non merentur, de quo infra. Novum eumque primum Troiani belli ſcriptorem *Syagrum* pöetam exhibet Aelianus, † quem poſt Orphea & Muſæum ſcripſiſſe teſtatur. Cui & adſtipulatur Euſtachius †† Sed quæ incertitudo! alius Siſyphum, Corinnam alius, alius denique Syagrum pro primo belli Troiani ſcripto-

† *lib. VII. cap. VII. p. 283. ed. Caſaub.*
† *hiſt. var. XIV. c. XXI.*
†† *in præf. ad Homerum p. m. 4. ed. Rom.*

ptore habet, ex qua incertitudine ſi non rem plane incertam, fide tamen ſatis vacillante eam niti concludimus.

§. IV. Non pro primo ab omnibus, inter primos tamen habetur *Dares Phrygius*, ſacerdos Troianus ab Homero † celebratus, cuius Phrygiam Iliada ad ſuam ætatem vsque ſeruatam fuiſſe, teſtatur Aelianus. Pöeta is æque fuit, vti ex Aeliano diſcimus, qui eiusdem carminibus Oræbantii & Meliſandri alia coniungit. Eius quoque mentionem facit Photius in excerptis ex Ptolemæi Hephæſtionis hiſtoria nova, eumque ante Homerum ſcripſiſſe teſtatur. De *Dicty Cretenſi* res eſt incertior. Tzetzes quidem ex auctoritate Ioannis Malalæ, de qua ſupra, res ad Troiam geſtas eum ſcripſiſſe docet, ex quibus poſtea ſua tranſtulerit Homerus. Contrarius eſt Suidas, qui de eo, quod ſcripſerit μεθ' ὅμηρον *poſt Homerum* & quidem τὰ περὶ τῆς ἁρπαγῆς *de raptu*, περὶ Μενελάȣ *de Menelao*, καὶ πάσης Ἰλιακῆς ὑποθέσεως & *omni argumento Iliaco*, ſiue vniuerſa hiſtoria Troiana. Hiſtoricum autem dicit, qui ſcripſerit καταλογάδην in proſa, atque eius ſyntagma hiſtoricum belli Troiani geſta continens, Claudio Imp. re-

† *Iliad. E. ineunte*
†† *hiſt. var. XI. c. II.*
††† *Cod. CXC.*
†††† *chil. V. hiſt, XXX.*

regnante, multis ſepulcris apertis, in horum quodam repertum teſtatur idem.

§. V. Circumferuntur quidem hodienum ſcripta, quæ Dictys Cretenſis & Daretis Phrygii nomen præferunt, † ſed ſuppoſititia eſſe & recentiora, ab aliis iamdudum eſt demonſtratum. Quantum quidem ad Daretem, inducit auctor Cornelium Nepotem ad CriſpumSalluſtium in præfatione loquentem, quaſi ipſe Cornelius Daretis autographum nactus, idem ſtatim transtulerit. Sed non opus eſſe verbis putem, cum ex collatione & vitarum Nepotis & huius, quam de Darete habemus, translationis, ſtyli difformitas primo ſtatim intuitu adpareat. Ita vt plane non videam, qui factum fuerit, quod & Raphael Volaterranus in anthropologia †† ſe induci paſſus fuerit, vt & Cornelio Nepoti adſcribat hanc tralationem. Immo quoque ligato ſermone latino conſcripta de bello Troiano narratio, perperam olim Cornelio Nepoti adſcripta & ſub eius nomine edita. † Sed vero iſta auctori ſuo *Ioſepho* ſcilicet *Iſcano*, ſcriptori Anglo ſeculi decimi tertii reſtituta

† *prodiere Pariſiis* 1528. 4. *Lugduni* 1598. 12. *Amſtelodami apud Guilielmum Blaeuw.*

†† *ſub initium libr. XV. p. m.* 535.

† *Et in editione Baſileæ* 1541. 8. *facta, ſtatim in titulo conſtanter Cornelio Nepoti adſcribitur.*

tuta & vindicata per Samuelem Dreſemium. ††

§. VI. Scripti quod *Dictys* nomen præfert, auctor vt commento fidem faceret, fingit quendam Q. Septimum Romanum vitam Dictys efferentem, in qua idem fere, quod ante e Suida vidimus, tradit, ſcilicet vi tempeſtatis aperta ſepulcrorum monumenta, in inſula Creta, & in horum vno reperta in arca plumbea, tilias punicis litteris conſcriptas, quæ ad Neronem (quem pro Claudio ſubſtituit) adlatæ, in Græcum ſermonem ipſius iuſſu fuerint tralatæ. Sed ne vnicus quidem e Romanis Græcisque ſcriptoribus, qui res ſub Nerone geſtas narrant, huius rei aliquam facit mentionem, quæ tamen non ſine momento eſſet, ſi ita accidiſſet: exinde cum Ioanne Ludouico Viue † figmenta hæc eſſe eorum, qui de bello famoſiſſimo voluerunt ludere, putamus. Fuit tamen qui in hoſce commentaretur *Guido de Columna* natione Siculus, patria Meſſanenſis, aliis Guido de Columiis dictus, qui ſecundum Boſtonum Burienſem cum Eduardo I. ex bello Aſiatico reduce, in Angliam ſe contulit, ibique præter Chronicon magnum librorum ſex & triginta,

†† *in noua editione quam procurauit ſub titulo Ioſephi Iſcani de bello Troiano libri VI Francofurti* 1620. 4.

† *lib. V. de trad. diſcipl. p. m.* 379.

ta, de rebus Troianis hiſtoriam condidit ex Darete & Dicty, vti ipſe profitetur, potiſſimum deſumtam. Cuius MStum codicem Cantabrigiæ, Oxonii & penes ſe extare teſtatur Voſſius ** quod & de ſe Barthius in Claudianum. ††† in publicam demum lucem prodiit Argentorati 1489. 4.

§. VII. Quantum ad alios, qui ante Homerum Iliada ſcripſere, de Demodoco Corcyræo, muſico & poëta prædicat Plutarchus * iſtum πεποιηκέναι Ἰλίȣ πόρθησιν, ϗ Ἀφροδίτης ϗ Ἡφαίςȣ γάμον *carmine expreſſiſſe Ilii excidium & Veneris cum Vulcano nuptias.* Photius ** ex Ptolemæo Hephæſtione Demodoci pöematis mentionem quoque facit, inſcripti Ἰλίȣ ἅλωσις. Sicut & eiusdem mentionem facit Homerus ††† Alias quidem ante Homerum adhuc memorant, Orœbantiũ Trœzenium, cuius mentionem facit Aelianus. *** Antipatrum Acanthium citatum a Photio **** & quæ ab eodem adlegatur Helenã, * ſed ex eo quod ante Homerum vixiſſe dicuntur, non ſtatim agunt de bello Troiano. Sed præter hoſce

** *de hiſt. lat. lib. II. c. LX. p. m. 491.*
††† *p. m. 776.*
* *de muſica haut procul ab initio p. m. 1132.*
** *p. m. 243.*
††† *od. θ. ϐ. 62.*
*** *hiſt. ϐar. lib. XI. c. II.*
**** *p. m. 244.*
* *p. m. 248.*

hoſce fuiſſe quoque dicitur fœmina quædam Memphitica nomine Phantaſia, Nicarchi filia, quæ conſcripſiſſe dicitur bellum Troianum & Vlyſsis errores, libroſque poſuiſſe in delubro Vulcani, quod eſt in vrbe Memphis, ibique Homerum a ſacro quodam ſcriba nactum exemplaria iſta, ad illorum ductum compoſuiſſe Iliadem & Odyſſeam; quæ tradit Euſtachius * Quod & confirmat Photius ** qui ſcribæ nomen Phanitem fuiſſe indicat, omnia tamen a Ptolemæo Chenno, fabuloſo ſcriptore, & mendacibus Aegyptiis conficta eſſe iudicat Theodorus Ryckius *** ea quidem ex ratione, vt haberent quod opponere Homeri apud Græcos antiquitati poſſent Aegyptii.

§. VIII. Omnis ergo res redibit ad Homerum, qui inter omnes qui ſuperſunt vetuſtisſimus, pater ergo merito hiſtoriæ Troianæ habendus. De certa eius ætate iam non diſputamus, ſufficit nobis vixiſſe poſt bellum Troianum & primum, vel ipſo Ioſepho * teſte, eſſe, cuius carmina ex Græcis habemus. Nec de auctoritate eius, quam a longisſimo tempore adeptus, quidpiam de-

* *in proœm ad Odyſſeam*

** *p. m.* 251.

*** *diſſ. de primis Italiæ Colonis p.* 431.

* *contra Apionem libro I. haut procul ab initio p. m.* 1034.

derogare cupimus, ſed potius eam euehere. Iliada & Odyſſeam Homerum ſcripſiſſe vel pueris notum eſt. Argumentum etiam, quod titulus præfert, ſatis clarum; quippe Iliade ſua non more hiſtorici agit, ſed virtutem poëmatis epici bene expreſſit, ita vt iram Achillis deſcribens, & ex ea ſecutas Græcorum clades integram tamen decennalis temporis hiſtoriam exhibeat; pro more poëmatis epici, qui eſt a media vel vltima parte incipere & in progreſſu demum initium rei geſtæ narrare, vti ex veteribus Scholiaſtis in hiſtoria ſua critica Homeri † bene prodidit eruditisſimus Ludolphus Küſterus, vel ſi mauis Neocorus. Odyſſea vero Vlysſis continet errores, eiusque in patriam reditum.

§. VIII. Sed tantum abeſt, vt ea omnia quæ expresſis verbis proponit Homerus, tanquam vera & certa capiamus, vt potius ſub plerisque arcanos & abſconditos ſenſus latere dicamus. Optime enim de Homero iudicat Plato dum inquit: οὐ δεῖ τοὺς ἀμήτους σοφίας Ὁμηρικῆς ἐμπίπτειν ποιήμασιν, ἵνα μὴ μύθους οἰήσαιντο γράφειν τὸν ἥρωα, *non oportet ſapientiæ expertes in Homeri poëmata incidere, ne fabulas putent ſcribere heroem.* * Eadem quo-

† *p. m. 70.*
* *locum debeo Kuſtero hiſt. crit. Homeri p. m. 54. Sic & de Homeri fabulis iudicat Euſtachius non eſſe confictas* πρὸς γέλωτα *ad riſum ſed* ἐννοιῶν ἐυ-

quoque eſt ratio, cur in republica ſua Homeri lectionem plane prohibeat, & deorum pugnas, quas Homerus finxerat, in civitatem ſuam plane non admittat, *ὄτ᾽ ἐν ὑπονοίαις πεποιημένας, ὄτ᾽ ἄνευ ὑπονοιῶν, ſiue figurata locutione, ſiue propria eæ conficta ſint*, ** ne ſcilicet ciues ſui Homeri dicta ἀπόῤῥητα pro veris habeant, & omni religione plane excidant. Non enim Homerum ſolum e ſua republica φυγάδα ſeu exulem facit Plato, ſecundum Heraclidem Ponticum *** ſed & de fabulis in genere iudicat, non quaſuis quibuſuis eſſe permittendas, dicit enim: *ἆρ᾽ ὖν ῥαδίως ὄτω παρήσομεν τὸς ἐπιτυχόντας ὑπὸ τῶν ἐπιτυχόντων μύθὸς πλασθέντας ἀκόειν τὸς παῖδας, καὶ λαμβάνειν ἐν ταῖς ψυχαῖς ὡς ἐπιπολὺ ἐναντίας δόξας ἐκείναις, ἃς, ἐπειδὰν τελεσθῶσιν, ἔχειν οἰησόμεθα δεῖν αὐτὸς, ὀδ᾽ ὁπωςιῦν παρήσομεν: an ergo facile permittemus, quaſuis a quibuſuis conficta fabulas pueros audire, & animis concipere opiniones, iis vt plurimum contrarias, quas poſtquam perfectiores facti, habere debere putamus? neutiquam permittemus.* Hæc de fabulis iudicat Plato * in-

γενῶν σκιὰς ἢ περιπετάσματα, ſed ingenuarum cogitationum vmbras & quaſi cortinas ſeu inuolucra.

** *de republica lib. II. p. m. 430. ed. Marſ. Ficini.*

*** *alleg. Homer. p. m. 92.*

* *lib. II. de Republica p. m. 429.*

in genere, non de ſolo Homero, quem alias ἄριϛον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν appellat,* cuius non verſus tantum ediſcendos ſed & latentes ſenſus ſcrutandos τὴν τούτου διάνοιαν ἐκμανθάνειν, μὴ μόνον τὰ ἔπη commendat. Ex quibus iam dictis luculenter adparebit, Platonem conſtanter velle alia ſub Homeri verbis latere, quam externis oculis intueamur. Immo etiam omnes artes, ſiue diuinæ ſiue humanæ illæ ſint, in vnum Homeri poëma, velut in proprium receptaculum confluxiſſe adfirmat. Nec ſolus hæc agnouit Plato, ſed etiam alii. Plutarchus quidem ſiue quisquis alius auctor ſit, in vita Homeri, omnium artium phyſicæ, medicinæ, politicæ, ethicæ, eloquentiæ, rei militaris ſemina Homeri poëmatibus ineſſe adfirmat. Sic & Heraclides Ponticus in eo totus eſt, vt allegoricas Homeri locutiones exhibeat: eosdem etiam qui τὰ μυχία σοφίας καὶ τὸ φιλοσόφως ῥηθὲν penetralia ſapientiæ, & philoſophice dictum in eo non agnoſcant, ab initio ſtatim tractatus ſui valere iubet. Tatianus in ſua contra Græcos oratione Lampſacenum adlegat Metrodorum, qui in libro de Homero omnia ad allegoriam referat. De Lycurgo etiam teſtatur Plutarchus, quod κατιδὼν ἐν τοῖς Ὁμήρου ποιήμασιν τῆς πρὸς ἡδο-

* *in Ione ab initio.*

ἡδονὴν διατριβῆς τὸ πολιτικὸν καὶ παιδευτικὸν ἀναμεμιγμένον *videns in Homeri poematibus iucunda regulis politicis & moralibus intermixta*, ea primus in Græciæ vſum introduxerit, confirmante id quoque Aeliano; * ergo ſub Homeri fabulis latent politica & moralia. Quare de Homeri fabulis iudicat Euſtachius ** non eſſe confictas πρὸς γέλωτα *ad riſum*, ſed ἐννοιῶν εὐγενῶν σκιὰς ἢ περιπετάσματα *ingenuarum cogitationum umbras & inuolucra*. Conſtantinus Manaſſes in Annalibus *** laudat quidem Homerum, quod μεθόδοις χρώμενος σοφαῖς οἰκονομεῖ τοὺς λόγους, *iuſta methodo diſponat dicta ſua*, multa tamen addit eum vertere & immutare. Durius autem de Homero ſentit Pythagoras, qui omnia pro figmentis venditauit, & cum ad inferos deſcendiſſet, ſe vidiſſe ait Homeri animam columnæ æneæ vinculis adſtrictam, ſerpentibus illam circumdantibus, propter ea, quæ de diis finxerat, teſte Laertio. **** Sic & Lucianus eum refert inter τοὺς ἀοιδίμους ἄνδρας ἐγγράφῳ τῷ ψεύσματι κεχρημένους *viros celebres, ſcripto mendacio vſos.* *****

* *hiſt. var.* XIII *c.* 14.
** *ſub init. præf. in Homerum.*
*** *p. m.* 45.
**** *in Pythagora lib. VIII ſegm.* 21. *p. m.* 505. *ed Menagii.*
***** *in Philopſeude ab initio.*

§. X. Agnouere autẽ hæc Homeri ἀπόῤῥητα non Græci ſolum ſcriptores, ſed & latini. Claris verbis id teſtatur Macrobius * qui de Homero, quod ſit diuinarum omnium inuentionum fons & origo, qui ſub poetici nube figmenti verum ſapientibus intelligere dederit. Quid clarius? Plinius † eum adpellat primum doctrinarum & antiquitatum parentem, immo ingeniorum gloriæ ſi quis agere vellet delectum, per tot diſciplinarum genera & tantam rerum operumque varietatem, neminem felicius extitiſſe Homero, ſiue operis fortuna ſiue materia æſtimetur. ** Quare & Ptolemæus Aegypti Rex, hunc poetarum parentem & Philologiæ omnis ducem adpellat, auctore Vitruuio.*** Bene quoque de Homero ſentit Seneca **** quod in eo inſint omnia, quod philoſophus ſit & ſapiens. Quid plura?

§. XI. Nec ἀπόῤῥητα ſolum profana, ſed & ipſam Chriſtianorum σοφίαν in Homeri verſibus latere ipſi volunt eccleſiæ chriſtianæ patres. Iuſtinus quippe Martyr in ſua ad Græcos cohortatione diſerte id teſtatur, τὸν ποιητὴν ϗ τῶν ἀπὸ τῆς θείας τῶν προφη-

τῶν

* *lib. XXV. c. II.*
** *lib. II. c. XXIX.*
*** *præf. libri VII. de architectura*
**** *ep. LXXXVII*
* *p. m. 27.*

τῶν ἱςορίας πολλὰ εἰς τὴν ἑαυτȣ̃ μεταβαλόντα ποίησιν *poetam multa ex prophetarum libris in ſuum opus transtuliſſe*, atque hæc ex Moſis præſertim ſcriptis in Aegypto, quippe ab Aegyptiis ſacerdotibus multa didiciſſe Homerum docet Diodorus Siculus Bibl. Hiſt. lib. I. p. m. 12 ed. Rhodom. Addit, eum illius de creatione mundi libris admodum fuiſſe delectatum, vt quod Moſes ab initio ſcripſerit, *in principio creauit Deus cœlum & terram: deinde ſolem & lunam & ſtellas*, idem expreſſerit ſequentibus * vbi de fabrefactis a Vulcano, Achillis armis:

> ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ᾽ ἐνδ᾽ ȣ̓ρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν,
> Ἠέλιόν τ᾽ ἀκάμαντα, σελήνην τε πλήθȣσαν
> ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα, τά τ᾽ ȣ̓ρανὸς ἐςεφάνωται
> *ibi quidem terram effinxit, & cœlum, mare,*
> *ſolem quoque infatigabilem lunamque plenam;*
> *ibique ſidera omnia, quibus cœlum coronatum eſt.*

Eadem ratione quæ de Alcinoi hortis tradit Homerus, a paradiſi deſcriptione; quæ de adſcenſu gigantum in cœlum, ab hiſtoria turris Babelis eſſe deſumta; & quæ de Ate dicit de diabolo intelligenda, idem vult Iuſtinus. Quid quod & contra Platonem de-

* *Iliad. Σ v. 501.*

ſendit Homerum * quod Deum non faciat mutabilem, ſed potius vnum tantum eumque verum agnoſcat, a cuius diuinitate reliquos omnes procul abeſſe cenſeat, & vna cum hominibus nominandos. Sic & Tatianus ** in ſua contra Græcos oratione, Moſis & Homeri philoſophiam combinat, tanquam hanc ex illa deſumtam. Hoc quidem his quæ dicta ſunt, euincere non volumus, Homerum veræ eccleſiæ fuiſſe adſeclam, cum de cacozelia gentilium ſatis conſtet, ſed hoc tantum, ſub inuolucro fabularum Homeri verſibus propoſitarum, latere alia & quidem certiora.

§. XII. Patet hoc non ſolum ex antedictis, ſed & ex genio poetarum veterum. Monſtret mihi quis poetam, qui ſine fabularum inuolucro vera ſcripſerit. Quam abſurda enim pöetarum figmenta, quam abſtruſæ deorum genealogiæ, obſcœnæ etiam commixtiones, quæ cerebri figmenta! ita vt non abs re e Iouis cerebro nata fingatur Minerua. Hæcce autem Homerum, ſcriptorem ſublimem, Heſiodum, virum grauem, Orpheum, Aeſchylum, Pindarum, Sophoclem, Euripidem ita pro veris habuiſſe, quis tam abſconditæ mentis eſſet, vt credat? Legat quis Ennii

* *p. m. 22. 23.*

** *p. m. 60.*

nii fragmenta, legat Ciceronis tertium de natura deorum, an non omnem theologiam gentilium euertant & pro poetarum figmentis habeant. Omnes enim gentiles vnum tantum idemque ſupremum agnouerunt Numen, vel ſub Ioue vel ſub alio quolibet, cui vero ob varias hominum neceſſitudines, diuerſa quoque attribuerunt nomina. Omnem ergo deorum genealogiam pro fabulis habebant, ſi ergo pro fabulis, cur tam operoſe ſuam Theogoniam ſcripſit Heſiodus? cur in fingendis deorũ genealogiis tam ſollicitusHomerus? Scilicet poetarum proprium erat mentiri: quod poetæ, nec hodiernos excludo, magis conuenit, quam ridere homini, quod cum animali etiam commune habet: vbi tamen vera ſcribunt, ſub inuolucro fabularum & variis ænigmatibus ea tradunt. Nec meum hoc eſt, ſed ipſa veterum ſapientia, qui communi ore a poëtarum figmentis veritatem diſtinguunt & poëtas mendaces eſſe volunt. Audiamus Ariſtotelem,* qui vbi poëtam inſtruit, totus eſt in eo, vt doceat, quod inter poëtam eſt & hiſtoricum, illum quidem ait res narrare, quemadmodum geſtæ, hunc fabulas narrare & res quæ factæ quidem non ſint, quales tamen vel fieri poſſint, vel fieri oporteat. Plutarchus in ſuo de

* *de arte poetica* c. X.

audiendis poëtis libello, vtramque paginam eo implet, vt probet, non niſi figmenta eſſe poëtarum. Ita ait: * τῇ ποιητικῇ μὲν ἐ πάνυ μέλον ἐςι τῆς ἀληθείας *poeſi non admodum curæ eſſe veritatem*, quod iisdem fere verbis confirmat Lucianus: ** & alibi Plutarchus *** poëſin a multiplici varietate laudat, ἄνευ τῦ ἀληθῦς *remota veritate*, & clarius adhuc, **** προσαναχρώννυνται τὸ ψεῦδος ἡμῖν *mendacium nobis pro vero inducunt:* & per totum fere librum nullam ſine fabulis & commentis poëſin eſſe probat. Sic & τὴν ποιητικὴν περὶ μυθοποιΐαν εἶναι *poeticam artem circa fabularum confictionem verſari* idem auctor eſt. ***** Magnus iſte Plato, ſanioris philoſophiæ promus condus, quid de poëtis ſentiat, in propatulo eſt. Quod ſi enim eiusdem inter Socratem & Ionem dialogum inſpiciamus, totus in id redibit, vt poëtices naturam commonſtret, ſolo ἐνθυσιασμῷ conſtantis. Ita & fabulas poëtis convenire teſtatur idem dum ait: τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθυς, ἀλλ' ἐ λόγυς *poetam, ſi poeta futurus ſit, debere fabulas facere non ſermones.* Clarius adhuc mendaciorum

* *de audiendis poetis p. m. 17.*
** *in Ioue Tragoedo p. m. 150. ed. Græcæ.*
*** *p. m. 25.*
**** *p. m. 26.*
***** *de gloria Athenienſium p. m. 348.*

rum poëtas arguit, dum de Græcis ait: τοῖς μὲν ποιηταῖς ἐπιτρέπουσιν ὅ τι ἂν θέλωσι, ψεύδεσθαι καὶ φασὶν ἐξεῖναι αὐτοῖς. Ὅμως δὴ πιστεύουσιν οἷς ἂν ἐκεῖνοι λέγουσι, καὶ μάρτυρας αὐτοὺς ἐπάγονται ἐνίοτε, περὶ ὧν ἀμφισβητοῦσι, *poetis quidem concedunt mentiri quidquid voluerint, quod ipſis prodeſſe aiunt. Nihilominus tamen credunt omnibus iis quæ dicunt, eosdemque in teſtimonium vocant circa omnia de quibus dubitant.* Nec tamen ſimpliciter mendaces facit poetas Plato,* ſed *αἰνίττεσθαι* illos ait, addens, ἔστι τε φύσει ποιητικὴ ἡ σύμπασα αἰνιγματώδης, καὶ οὐ τοῦ προτυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι. *eſt enim* inquit, *vniuerſa poetica ænigmatum inuolucris obtecta, vt non cuiusuis hominis ſit, eandem intelligere.* Inde & Horatius de arte poetica:**

Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris.

& Cicero *** imperite eos facere putat, qui ex poëmate non vt a poeta, ſed vt a teſte veritatem exigunt. Sic & Lactantius toto capite vndecimo libri primi mendaciorum poetas arguit. Optime rem declarat Petronius: **** *non enim res geſtæ*, inquit, *verſibus comprehendendæ ſunt, quod longe melius hiſtori-*

* *Alcibiade II p.m. 42.*
** *p. 338.*
*** *de LL. lib.* I. *c.* I.
**** *p.m. 60. ed. Gonſ. de Salas*

ci faciunt: ſed per ambages, deorumque miniſteria & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus: vt potius furentis animi vaticinatio adpareat, quam religioſæ orationis ſub teſtibus fides, hinc & poëtica leuitate iocari paullo ante idem dixerat. Quare & nonnulli ſunt, qui Lucanum & Silium Italicum e poëtarum numero plane exterminent, quia nudam tantum hiſtoriam ſine commentis ſcribunt. Quod idem de Empedocle, Parmenide, Nicandro & Theognide iudicat Plutarchus. Hæc veterum de poëtarum fide ſentenia, vt taceamus Pſeudo-Plutarchi in vita Homeri, Simplicii in præfatione ad Categorias & Eunapii in philoſophorum vitis* aliorumque teſtimonia, cum illa quæ adduximus, ad inſtitutum noſtrum ſufficere putemus.

§. XIII. Rem vlterius conſiderantes, qualitas & fides poëtarum patet ex ipſo nomine: ποιητὴς enim fictorem notat, vti vocem ποίημα per figmentum & commentum explicat gloſſarium græco-latinum Stephani. Sic enim veteres vocem ποιεῖν, ποιεῖσθαι in re poetica ſæpius vſurpant, vt Ariſtophanes ** ἑρμιππος αὖθις πεποίηκεν εἰς ὑπέρβολον inde &

* *p. m. 58.*

* *quæ adducit Kuſterus in hiſt. critica Homeri p. m. 58.*

** *νεφέλαις act. I. ſc. III.*

& de Thamyri Plutarchus * eum πεποιηκέναι εἰς ὑπέρβολον Τιτάνων πρὸς τὰς θεὰς πόλεμον. Vbi enim latini dicunt, poeta canit, ibi Græci per ποιεῖ illud exprimunt, quod & agnouit doctiſſimus græcus Guilielmus Budæus, †† qui ποιεῖν pro poetice ſcribere dici probat ex ſcriptoribus, licet in eo erret, quod actiuam tantum vocem in vſu eſſe putet, cum & paſſiuam mediamque eſſe vſitatam, exempla quæ adducimus, doceant. Hac tamen voce vtuntur veteres alias pro fingere, vti Athenæus *** de iudicio Paridis iudicat ὑπό τῶν παλαιοτέρων πεποιῆσθαι ἡ ὁδος πρὸς ἀρετὴν ἦσαν σύγκρισιν *a veteribus fictam veluti voluptatis cum virtute comparationem* Quare etiam λογοποιοὶ dicti, qui ſæpius fabulatores vel mendaces notant, vt apud Syneſium. Sic enim λογοποιεῖν Lucianus dixit pro fingere. & Iſocrates de poetis καὶ πολλὰς ἄλλας ἀνομίας ἐλογοποίησαν κατὰ τῶν θεῶν ** & Plato καὶ τοὺς ποιητὰς ἐγγὺς τούτων ἀναγκαστέον λογοποιεῖν. Heſychius λογοποιήσαντες explicat, quod ſint πλασάμενοι λόγους ψευδεῖς. Atque eodem ſignificatu λογοποίημα Plato apud

† *de muſica p. m. 1132.*
†† *in Comment. linguæ græcæ p m. 414.*
*** *initio libri* XII.
* *ep.* XLIV.
** *vid Budæus p. m. 245.*

Pollucem* pro figmento dixit, qui & voces λογοποιὸς, λογοποιΐα, λογοποιοῦσιν & ſimiles de fabulis dici adſerit. λόγοι enim quod conſtat, Græcis dicuntur pro fabulis vt apud Platonem ††† ὁ τοῦ Αἰσώπου λόγοι. Concordant ita Græci cum latinis quibus poetarum figmenta ſæpius dicuntur. Nec de ſcriptoribus ſolum, ſed & de antiquis Græcis in genere iudicat Ioſephus apud Euſebium †††† ὅτι μηδὲν εἰδότες βεβαίως συνέγραφον ἀλλ' ὡς ἕκαστοι περὶ τῶν πραγμάτων εἴκαζον, *quod nihil conſtans exploratumq; ſcripſerint, ſed quod quibus viſum.*

§. XIV. Fateri tamen etiam neceſſum habemus, non nude ποιητὰς notare fictores quin & notent κατασκευαστὰς factores, qui aliquid faciunt. Quare & ſequiori tempore illi, qui artem chymicam profeſſi, dicti ποιηταὶ, qui alias φιλόσοφοι καὶ διδάσκαλοι τῆς μεγάλης καὶ ἱερᾶς τέχνης dicuntur, & ipſa ars χρυσοποιΐα quod ex veterum codicibus manuſcriptis probat Reineſius.* Varia autem ex ratione dicti videntur ποιηταὶ, partim quod artis oſoribus habeantur tanquam fictores, partim quod ipſam artem poetarum inſtar ſub

* *lib.* II. *c.* IV.
††† *Phoedone p. m.* 376.
†††† *de præparat. euang. lib.* X. *p. m.* 478.
* *Var. lect. libro* II. *c.* V. *p. m.* 155.

ſub fabularum inuolucris propalent, partim quod artem ligato ſermone proferant, cuius exempla inter ipſos veteres haut rara inuenimus, partim denique quod ipſi tanquam factores & κατασκευάσθαι haberi velint, vnde & hodienum nobis dicuntur *die Goldmacher*. Quare male recentioribus quibusdam οἱ ἐργαζόμενοι τὸν χρυσὸν Hippocrati dicti, habentur pro ποιηταῖς ſeu artem chymicam profeſſis, cum tales ſint iſti, qui in metallis operantur, de quibus in tractatu *de auro fluuiatili* propediem edendo pluribus.

§. XV. Nec mirum eſt, poetas finxiſſe fabulas, cum idem horum ſit officium, idem inſtitutum. Poetæ enim tales erant, qui iucunditatis cauſſa adhibebantur in ludicris vel ſolennibus, vel priuatis etiam, & conuiuiis. In publicis quidem & feſtiuis & congreſſibus, mercatibus, ludis & ſimilibus publice recitabantur poemata. Primis temporibus ipſi poetæ laudis & gloriæ cupidi, tragœdias ſuas comœdiasque agebant: de quo Ariſtoteles * ὑπεκρίνοντο γὰρ αὐτοὶ τὰς τραγῳδίας οἱ ποιηταὶ τὸ πρῶτον *agebant ipſi poetæ tragoedias ſuas primum*. Et quidem vel agendo vel recitando ipſi inter ſe in ludis Græcorum ſolennibus, Olympicis maxime & Pythiis de victoria concertabant, quod ex Græcorum anti-

* III *Rhetor cap.* I.

tiquitatibus notum eſt. Sic Chium Ionem Athenis in agenda tragœdia victoriam eſſe adeptum auctor eſt Athenæus. † Sacadem Argiuum odis ſuis fidibus accommodatis in Pythiorum certamine ter viciſſe tradit Plutarchus.†† Terpandrum vero in Pythiis quater viciſſe idem adſerit. ††† De Xenocle & Euripide in Olympiis certantibus, exemplum legimus apud Aelianum. †† Sic & vel vicies octies Aeſchylum viciſſe Suidas perhibet. Idque vocabant *μυσικὸν ἀγῶνα* certamen muſicum. ††† Sic & in *ἱερακῶν* certamine talem *ἀγῶνα* factum teſtatur Plutarchus †††† Heroum ſæpe, quos vel bellum celebrabat vel ludorum palmæ, victoriam verſibus ſuis canebant; vt Alcibiadis in ludis Olympicis victoriam cecinit Euripides, Leophronis Ceus Simonides, aliorum alii, teſte Athenæo ††††† Quid Pindari poemata aliud volunt, quam vt victorum laudes canant, quæ dum ad lyram canerentur, carmen lyricum dictum. Singularem quoque in Olympiorum agone poetarum claſſem memo-

mo-

† *lib.* I *cap.* III
†† *de muſica p. m.* 1134
† *de muſica p. m.* 1132
†† *var. lib.* II *c.* VII.
††† *Plutarchus de muſica p. m.* 11134
†††† *de muſica p. m.* 1140
††††† *lib.* I *c.* III

morat Aelianus † quos Troianos adpellat, loquitur enim de certamine muſico in Olympiis, & dicit, Euripidem ſuperiorem factum Alexandro, Palamede καὶ Τρωσὶ καὶ Σισύφῳ qui nulli mihi alii videntur, quam qui in certaminibus hiſce res Troianas cecinerunt. Nec etiam ſine cauſa fuiſſe mihi videtur, cur tam multi poſt Homerum in hoc de bello Troiano argumento fuerint verſati, tum quod inuentum ob præclara heroum geſta eſſet egregium, ad ludos etiam optime accommodandum, tum quod complexus in eo fabularum contineretur. Sic autem diſtinguebantur poetæ veteres, vt alii eſſent μελῶν, qui carmina componebant, quæ tantum canebantur †† alii ποιηταὶ κυκλίων χορῶν ††† qui variorum mythologias ſuo carmine exprimebant, vti explicat Salmaſius, †††† alii denique ποιηταὶ τῆς κωμῳδίας καὶ τραγῳδίας ††††† qui comoedias tragoediasque componebant, in quo conſiſtebat omnis veterum poetarum ratio. Poſteriori tempore factum, vt poemata illa, quæ adplauſum inuenirent apud veteres, recitarentur publice inter ſolennia, longe licet præmortuis auctori-

† *lib.* II *c.* VIII

†† *Aelianus hiſt. Var. lib.* IV *c.* XXVI.

††† *Aelianus l.* X. *c.* VI.

†††† *Salmaſius ad Solinum p. m.* 846.

††††† *c.* XI. *&* XCVI.

ctoribus. Poetæ quidem aliorum recitantes carmina dicebantur ῥαψῳδοὶ, vt videre eſt apud Platonem paſſim in Ione, & ſtatim ab initio ῥαψῳδῶν dicit ἀγῶνα. Homeri quidem libros ex inſtituto Hipparchi Panathenais, feſto Mineruæ ſacro a Rhapſodis ad ſua vsque tempora publice fuiſſe prælecta teſtatur idem † Terpandrum & ſua & Homeri carmina in agonibus cecinisſe auctor eſt Plutarchus. †† Simile de eodem Homero tradit Heraclides Ponticus ††† quod ἐν ταῖς περὶ θεῶν προτρεπόμενος ἑορταῖς διὰ ςόματος ᾄδων *quod in deorum feſtis ore caneretur*, quod & confirmat Dio Chryſoſtomus. † De Euripidis, Sophoclis, Aeſchyli, aliorumque tragoediis idem produnt veteres. Nec tamen inter publica ſolum ſolennia poetæ agebant, canebant, vel recitabant ſuas fabulas, ſed & inter priuata ſæpe conuiuia. Exemplum in Demodoco præbet vel ipſe Homerus quem ἐρίηρον ἀοιδὸν vocat, †† Suidas vero ſimpliciter ἀοιδὸν, oculis priuatum tamen, quem inter conuiuia vel ab ipſo Vlyſſe ad canendũ inuitatum & omni honore exceptum exhibet: & modo contentionem Vlyſſis cum Achille, mo-

† *Hipparcho p. m. 2. ed. Ficini*
†† *de Muſica p. m.* 1132.
††† *in allegoriis Homer. ab initio.*
† *oratione* XXVII
†† *Odyſſea θ v. 62.*

modo de Martis & Veneris † amplexu fabulam, quam alias belle explicat Athenæus, †† modo ipſum equum Troianum canentem. Quod ſi Athenæum euoluamus, frequentisſima reperiemus exempla, poetas cantores adhibitos fuiſſe in conuiuiis. Quid multa, ipſe Homerus talis cantor fuit, qui cœcitate, paupertate, & indigentia eo adactus, vt in Græcia mendicaret, & ad gratiam eroganti-um poemata ſua caneret. †††† Teſtatur id ſæpius in vita Homeri Herodotus, ſiue quisquis ſit alius, quod coecus fuerit, pauper & vitæ neceſſariis deſtitutus *ἄπορος ἐὼν τοῦ βίου* † Ideoque Cumæ a coriario quodam ob carmina receptus, vbi & *ἐν ταῖς λέσχαις τῶν γερόντων* in ſenum conuenticulis, carmina ſua recitauerit, †† quod & Phocææ quoque feciſſe eum teſtatur, ††† cum a Cumano ſenatu de victu publico repulſam tulerit: & clarius quod apud Phocenſes, *ἀπὸ τῆς ποιήσεως τὴν βιωτὴν ἔσχε* a poeſi ſua victum habuerit. Adnectemus, quæ de Homero prædicat Ioannes Tzetzes † dum canit:

Τέ-

† *od. ο. β. 262.*

†† *lib. I. cap.* II.

††† *od. θ β. 5*

†††† *Dio Chryſoſtomus, de Ilio non capto p. m.* 143.

† *cap.* IX.

†† *cap.* XII.

††† *cap.* XV.

Πένης τελῶν δὲ ὁ ἀνὴρ καί γε τυφλὸς ἐκ
γήρως,
τὰ μυθικὰ λήρηματα τίς γὰρ φορνῶν ἐγ-
γράφοι:
ἁπανταχοῦ διήρχετο τὰς χώρας τῆς ἑλ-
λάδος,
λέγων αὐτοῦ ποιήματα, δεχόμενος ἐντίμως.

pauper autem exiſtens vir & coecus præ ſenectute, fabuloſas enim nugas quis ſapiens ſcribat? quocunque peragrabat regiones Græciæ recitans ſua poemata exceptusque magnifice. Ex quibus locis non fabuloſum ſolum ſcriptorem, ſed pauperem, cæcum & pro ſtipite poemata ſua recitantem diiudicamus Homerum, & talem quales hodienum ſunt cantores iſti rythmici, qui in foris publicis miraculoſa ſua ad gratiam erogantium propalare ſolent; non obſtante quod contra Homeri coecitatem Rhetorum more opponit Andreas Wilckius. †

§. XVI. Patet ergo ex antedictis, quænam poetarum, quænam Homeri fides, quo tamen omnis res Troiana nititur. Euerſa ergo Homeri auctoritate tanquam excidii Troiani baſi, omnis res concidet, cum anteriores nihil adferant momenti, quia de illis nihil amplius ſupereſt, & quidnam de Troianis rebus

† *ſub titulo Coeci Homeri curatio, prodiit Lipſiæ 1605. 8.*

bus ſcripſerint, non conſtet, præterquam quod ſolo Dicty excepto, poetæ ſint omnes, id eſt ſcriptores nullius fidei. Vt ergo de reliquis cum ad Homerum ſeſe referant omnes, agere ſuperſedere poſſimus, quo tamen promiſſis noſtris ſatisfaciamus, de iisdem quoque ſubſequenti obſeruatione breuiter iudicabimus.

OBSERVATIO II.

DE EXCIDIO TROIANO, ET EIVS SCRIPTORIBVS POST HOMERVM, IVDICIVM.

§. I. *De Cointho Smyrnæo, Pindaro Thebano, Tryphiodoro & Colutho, qui adhuc ſuperſtites, iudicium.* §. II. *de auctore* τῶν κυπρίων, μικρᾶς Ἰλιάδος *& Leſcho Lesbio diſceptatur.* §. III. *De Acato Argiuo, Steſichoro, Arctino, Pigre & Idæo* Rhodio, *Timolao Lariſſæo, Demetrio Scepſio, Hegeſionacta & Alexandrino, Calliſthene &* Philoſtrato *agitur.* §. IV. *Hipparchus, Neſtor Larandenſis, &* Polemo *Euergeti filius male inter ſcriptores belli Troiani referuntur.* §. V. *E* Rhetoribus *græcis Libanius & Dio Chryſoſtomus de excidio Troiano egere, vt & Iſaacus* Porphyrogenetus. §. VI. *E latinis de rebus Troianis agunt Virgilius, Aemylius Macer, Didymus grammaticus, & ex* re-

recentioribus Iacobus Hugo. §. VII. *Fabulæ Troianæ mentio quoque fit in marmoribus, gemmis & nummis & aliis monumentis quæ congeſſit & illuſtrauit celeberrimus Begerus.* §. VIII. *Auctoris de excidio Troiano iudicium, falſa intermixta eſſe veris.* §. IX. *Ipſi veteres multa ex rebus Troianis pro fabulis habent.* §. X. *Theodori* Ryckii *argumenta pro excidii Troiani veritate refelluntur.*

§. I.

TRoianarum rerum ſcriptores vsque ad Homerum eorundemque auctoritatem ſuperiori obſeruatione conſiderauimus; reſtat nunc vt & de iis dicamus, qui poſt Homerum ſcripſere Iliada. Ex iis autem, quos adhuc reliquos habemus, primum facimus *Cointhum Smyrnæum*, alias perperam Calabrum dictum, ab eo, quod Beſſarion Cardinalis, extra Hydruntem maritimum Calabriæ oppidum, codicem eius in peruetuſta B. Nicolai æde reperit, cum de patria ſua Smyrna ipſe teſtetur Cointhus, ſe ibi illuſtribus Muſarum ouibus paſcendis operam dediſſe. Homeri continuator merito dicitur, cum ab Hectoris interitu, in quo iſte deſierat, exordiatur, & poema ſuum ad finem vsque belli pertexat, & vltimo quoque libro Græcorum in patriam reditum exhibeat.

at. Inde & anonymus Homeri interpres; hoc poema vocat τὰ μεθ' ὅμηρον. Quatuordecim libris hæc paralipomena, vti inſcribuntur, conſtant, græco carmine alias conſcripta, ſed a Laurentio Rhodomanno, olim quoque apud nos græcarum litterarum profeſſore, latine reddita & correcta, qui & periochas tum in Homerum, tum in Cointhum addidit, & Τρωϊκὰ ſiue Troianæ hiſtoriæ epitomen ex variis auctoribus decerptam ac græco-latino carmine expoſitam. † Proximum facimus *Pindarum Thebanum* quem Suidas ſub Xerxis expeditionem vixiſſe ait, cuius epitomen Iliados Homericæ adhuc reliquam habemus. Huic ſubnectimus *Tryphiodorum* Poetam Aegyptium, cuius poematis inſcripti, Ἰλίου ἅλωσις *Ilii excidium*, Suidas etiam mentionem facit, latine verſum prodiit cura Michaelis Neandri, ††† Breue hoc eſt, & ipſum potius excidium, quam bella alia inter Troianos Græcosue geſta deſcribens. Eiusdem Neandri curæ quoque debemus *Coluthum Lycopolitam* Thebæum poetam, cuius item Suidas mentionem quoque facit, ſed particularis tantum eſt, & primas res, quas bello Troiano originem dediſſe fa-

† *prodiit Hanouiæ apud Wechelios, 1604. 8*

†† *prodiit Baſileæ 1541. 8.*

††† *Baſileæ per Ioannem Oporinum 1559. 4.*

bulantur, continet, vtpote hiſtoriam de nuptiis Pelei, pomo Eridos, iudicio Paridis, & raptu Helenæ. † In tres hoſce, Cointhum, Tryphiodorum, & Coluthum Claudius Dausqueius ſua publicauit adnotamenta. ††

§. II. Inter Iliados quoque ſcriptores habentur *οἱ τὰ κυπρίακὰ ϗ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα ποιήσαντες* & eo ab Ariſtotele †† referuntur. De horum *Cypriorum* auctore varie diſputatur. Photius enim ex Proclo hæc adnotat ††† *λέγει δὲ ϗ περί τινων κυπρίων ποιημάτων, ϗ ὡς οἱ μεν ταῦτα εἰς Στασῖνον ἀναφέρουσι κύπριον, οἱ δὲ εἰγήσιον τὸν Σαλαμίνιον αὐτοῖς ἐπιγράφουσιν. οἱ δὲ Ὅμηρον. δοῦναι δὲ ὑπὲρ τῆς θυγατρὸς Στασίνῳ ϗ διὰ τὴν αὐτοῦ πατρίδα κυπρία τὸν πόνον ἐπικληθῆναι.* Sic alii Hegeſio Salaminio adſcribebant ea, alii Homero, a quo dotis loco conceſſa fuerint Staſino Cyprio & ab huius patria ſic cognominata. Vltimum hoc confirmat & Tzetzes, † qui hæc *κύπρια συγγράμματα* vocat. Et Aelianus, †† vt & Athenæus, ††† vocat *τὰ κύπρια ἔπη* de quorum auctore dubitat an Hegeſias an Staſinus, an Halicarnaſſenſis quidam

† *prodiit cum priori.*

†† *Francofurti 1614. 8.*

†† *de arte poetica cap. XXIII.*

††† *p. m. 521.*

† *chil. XIII. ſ. 640.*

†† *Hiſt. var. lib. IX. c. XV.*

††† *lib. XV c. VIII*

dam. Homeri quidem eſſe hæc κύπρια plane negat Herodotus. †††† Sic & denominationis ante adductæ ratio Proclo plane diſplicet, apud Photium, μηδὲ γὰρ, inquit, κύπρια προπαροξυτόνως ἐπιγράφεσθαι τὰ ποιήματα. Ergo ſecundum Proclum Κυπρία titulus libri, non τὰ κύπρια; qvare etiam Cariſio Soſipatro Grammatico ex Næuio, poeta vetuſtiſſimo, qui eam latine vertit, dicitur Cypria Ilias. Licet antiquis ſemper τὰ κύπρια, vel κύπρια ἔπη vel τὰ κυπριακὰ vt Ariſtoteli † & Clementi Alexandrino †† dicantur: Tractabant ergo iſta non res Cyprias, vti videri quidem poſſit, ſed res Troianas, de Helenæ raptu, hiſtoriam Dioſcurorum & alia, vti ex Grammaticis veteribus probat Salmaſius. ††† qui & multas adfert coniecturas, cur Κύπρια inſcriptus fuerit liber. Ab hac *Cypria Iliade* differt ἡ μικρὰ Ἰλιὰς, licet vnum idemque poema eſſe, ſunt qui velint, †††† aperte tamen a ſe inuicem diſtinguit Ariſtoteles † & hoc quidem adſcribit Dicæogeni. Verius ergo eſt huius auctorem fuiſſe *Leſchum Leſbiam*, cum de eo Euſebius in Chronico teſte-

 tur

†††† *Euterpe c. CVII*
† *c. l.*
†† *admonit. ad gentes p. m. 19.*
††† *ad Solini polyhiſt. p. m. 853.*
†††† *Ios. Scaliger caſtig. ad Catullum p. 21.*
† *l. c.*

tur †† quod paruam condiderit Iliadem: & Scholiaſtes Pindari aliqua ex Λέσχου μικρᾶς Ιλιάδος citat: ſæpius quoque eius teſtimonio vtitur Pauſanias, ††† qui eundem Pyrrhæum facit, cum vti ex Plinio **** diſcimus, Pyrrha Lesbi vrbs fuerit. Sed cum Pauſanias Leſchi Ἰλίου πέρσιδα citet, dubii hærent etiam eruditisſimi viri an hæc *Ilii Perſis* eadem ſit cum *parua Iliade*. Nihil plane decidit Scaliger ***** veteres ſcriptores hac in parte loquentes ſe conciliare haut poſſe concludens. Adfirmat omnino Salmaſius * & pro vno eodemque habet. Tertiam ſententiam amplectitur Theodorus Ryckius ** Ἰλίου πέρσιδα eſſe quidem Leſchi non vero μικρὰν Ἰλιάδα. Sententiæ baſin adducit Pauſaniam *** qui Leſchi poema ab *Iliade parua* clare diſtinguit, & vbicunque de *Iliade parua* loquitur, de auctore ſemper tanquam incerto dicit, vti de eo ſub finem libri tertii ὁ τὰ ἔπη ποιήσας τὴν μικρὰν Ἰλιάδα, Ita Leſchi quidem Ἰλίου πέρσιν facit, non vero μικρὰν Ἰλιά-

†† *ad ann. 1360. p. m. 21.*
††† *in Phocicis p. m. 658.*
**** *lib. V c. XXXI.*
***** *animaduerſionibus ad Euſebium ad l. c.*
* *exerc. Plin. p. m. 854.*
** *in diſſert de primis Ital. Colonis p. m. 446.*
*** *lib. X. p. m. 658.*
**** *c. XXIII.*

Ἰλιάδα. Sic & Ariſtoteles *de arte poetica***** de auctore ita ὁ ποιήσας τὴν μικρὰν Ἰλιάδα. Exindeque concludimus, *Iliadis parua* auctorem veteribus fuiſſe incertum, ita tamen vt *Leſcho* a quibusdam attribueretur hoc poema, vti ex Euſebio & Pindari Scholiaſte ſupra vidimus. Licet enim quibusdam videri poſſit, eo quod Ariſtoteles ſcribit, *paruam Iliada* in octo diſtingui poſſe tragœdias, quarum vna quoque dici poſſit Ἰλίου πέρσις i. e. Ilij Perſin partem conſtituiſſe paruæ Iliados, non tamen quod in tragœdias ita inſcriptas ab auctote ſic diſtincta fuerit, ſed quod ſic diſtingui poſſit, probat Ariſtoteles, vti quoque dictum eius locum belle explicat eruditisſimus Ryckius. Citatur alias hic Ioſephus ab Lycophronis interprete Tzetze, & aliis Græcis interpretibus, atque ſine dubio ille ipſe eſt, quem λεσχίδην adpellat Suidas, & ſub Eumene vixiſſe teſtatur. Cum hac *parua Iliade* eadem mihi videtur, quam auctor vitæ Homeri * Ἰλιάδα τὴν ἐλάσσω adpellat, quam conſcripſerit, cum penes Theſtoriden eſſet, qui eam dein pro ſua venditauerit. Confundit quidem hanc Ἐλάσσω Ἰλιάδα Scaliger** & Salmaſius *** cum *Cypria*

* *c. XV*
** *notis ad Catullum p. m. 112.*
*** *ad Solinum p. m. 852.*

Iliade, & pro vnis iisdemque habet, ſed Herodotus, vti diximus, hanc Homeri non fuiſſe ait, illa vero Homero tribuitur; ita clare diſtinguuntur, cum alias etiã *parua Ilias* Theſtoridi nunquã adſcribatur. Manẽt ergo diuerſa τὰ κύπρια, *Ilias parua* & *Ilii Perſis*, quod etiam late demonſtrauit Theodorus Ryckius*

§. III. Ex deperditis *Acati Argiui* Ιλίȣ πέρσιν ſeu *euerſionem Ilii* memorat Athenæus.* *Steſichori* quoque poema ſub eodem titulo citat Pauſanias.* Varie titulum libri efferunt ſcriptores, modo accentum in vltima, modo in penultima ponendo; potius tamen παροξυτόνως collocandum putem, ſecundum Ariſtotelem qui conſtanter ſcribit Ιλίȣ πέρσις. Eundem *Steſichorum* in rebus Troianis citat Athenæus** & Harpocration *** cuius Steſichori fragmenta, pauca tamen, inter alia Lyricorum carmina congesſit Henricus Stephani.* *Arctinum Mileſium*, poetam, Homeri fuiſſe diſcipulum ex Artemone Clazomenio docet Suidas. Quod & confirmat Tzetzes, ** Euſebius eiusdem *Ilii Perſin* citat, Clementi etiam Alexandrino *** viſam & vixiſſe aucto-

* *l. c. p. m. 447. 448.*
* *Phocicis lib. X p. m. 659.*
** *lib. X c. XXI*
*** *voce* κα..λων
* *prodiere 1566. 12.*
** *chil. XIII v. 6. 3.*
*** *Stromatum l. 1. p. m. 333.*

ctorem Olympiade III dicit, cum tamen Suidas ad nonam eum reiiciat. Communiter quidem de Arctino loqui putant Dionyſium Halicarnaſſenſem: **** Sed præterquam quod optima Sylburgii editio ita legat Ἀρατῖνος, eidem quoque dicitur παλαιότατος, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, ποιητὴς quod ſane Arctino noſtro non conuenit. Sic & *Phemium Ithacenſem* de reditu eorum, qui cum Agamemnone fuere profecti ποιῆσαι *verſus feciſſe*, ait Plutarchus. ** *De Pigre* & *Idæo Rhodio* teſtatur Suidas, quod verſibus Homeri heroicis pentametros inſeruerint: idem feciſſe dicit *Timolaum Lariſſæum*, qui heroicos inſeruit & opus hocce σύνταγμα Τρωϊκὸν inſcripſerit. *Demetrii Scepſii* τρωϊκὸν διάκοσμον ſeu *Troianum adparatum* Athenæus ſæpius citat, multis quidem libris conſtantem cum eiusdem etiam vigeſimum ſextum librum adleget.* *Hegeſionacta Alexandrinum* idem Athenæus auctorem facit libri, qui inſcribitur *Cephalionis Troica*** *Calliſthenem* quendam Troicum bellum ſcripſiſſe diſcimus ex Cicerone,*** quem alias Alexandri comitem fuiſſe ſcribit ****

**** *lib. I. p. m. 55. & 56.*
** *de muſica haut procul ab initio p. m. 1132.*
* *lib. III c. XIII & lib. X c. VII.*
** *lib. IX. c. XI.*
*** *V ad Famil. ep.* XII
**** *II de Oratore c.* XVI.

ab eodem Alexandro etiam necatum* Sic & *Philoſtratus* ille *Lemnius* heroum belli Troiani memorias inter icones ſuas celebrat, qui tamen, iudice Ludouico Viue, ** Homeri mendacia maioribus mendaciis corrigit.

§. IV. Inter Troiani belli ſcriptores etiam *Hipparchum* refert Neander *** auctorem *Aegyptiaca Iliadis*, ſed ſi loca ab Athenæo ex Hipparcho citata inſpiciamus, potius de rebus Aegyptiis eundem ſcripſiſſe putem. *Neſtorem Larandenſem* ex Lycia, qui ſub Seuero imperatore vixit *Iliadem* ſcripſiſſe λειπογράμματον *litteris quibusdam carentem* teſtatur Suidas, ita vt primus liber nullum haberet A, alter nullum B & ſic porro. Similem & ſuperſtitioſam induſtriam in Tryphiodoro Aegyptio adnotat, quod Οδυσσείαν λειπογράμματον ſcripſerit. An autem hæc ſcripta ad res Troianas faciant, adſerere non audeo, cum de eo non teſtentur veteres, & ad ſolum Homericorum verſuum imitationem ſcripta eſſe videantur. De *Polemone Euergeti filio*, Ilienſi teſtatur Suidas, quod ſcripſerit περιηγήσιν Ἰλίȣ, libris tribus, ad ſitum ergo vrbis potius facit, quam ad bellum Troianum, quare & Athenæus qui eiusdem varios geogra-

* *pro Rabirio c.* IX.
** *V de tradendis diſciplinis p. m.* 379.
*** *in præfatione ad Tryphiodorum*
‡ *lib.* III *p. m.* 101. *& lib.* IX, *p. m.* 392.

graphicos libros citat, eum vocat Periegetem. Taceamus iam tragœdos veteres, qui nec ipſi rerum Troianarum inter alia obliti ſunt.

§. V. Ex Oratoribus bini adhuc commemorandi erunt, qui vti anteriores, poetica licentia, falſa pro veris ſuppoſuere, & in hiſce Trojanis rebus facundiam ſuam exercere ſibi propoſuerunt. *Libanii* quidem *Sophiſtæ* extat declamatio, ſub perſona Menelai pro concione Troianorum, Helenam repetentis, & bellum denunciantis, ni reddant, quæ inter alias ejusdem habetur.* Oratorium eſſe exercitium, primo ſtatim patet intuitu. Altera maioris ob argumentum eſt momenti a *Dione Chryſoſtomo* inſigni rhetore conſcripta. Inſcribitur Τρωϊκὸς ὑπὲρ τῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι *quod Ilium non ſit captum** Primus hic eſt qui rem ſolo antiquitatis conſenſu potius, quam firmo aliquo fundamento ſubnixam, inuertere auſus fuit. Rem autem ita adgreditur: Cum omnis fabulæ primam baſin & fundamentum noſſet Homerum, eiusdem auctoritatem euertere conatur, eundem

* *Tomo II Operum p. m 729. ed. Morelli, titulus declamationis eſt;* ἔκφρασις Τρῳάδος ἀπεσραμμένης.

* *prodiit cum Q. Calabro latine verſa, & cum notis Laurentii Rhodomanni Hannouiæ 1604. 8. & Northuſæ 1652. 8.*

dem mentiri arguens. Mendicaſſe quidem apud Græcos Homerum certum eſt, & ad gratiam erogantium ſua poemata cecinisse, alii eum furore captum putant, vtrumque poematis veritati obſtare dicit, cum adſentationes mendicorum notæ, furioſorum deliria certa. Immo cum ipſe Vlyſſem introducat mentientem, eundem tamen egregie laudet Homerus, mendacia eum non improbare conſtat. Progreditur ad exempla, deſumta a falſis de diis narrationibus, quas facit Homerus ab arcanorum inter deos ſcientia, quam ſibi arrogat, & deorum lingua, quam intelligere putat Homerus. Pergit ad methodum, quam pro more mendacium hominum inuerſam iudicat, cum non a principio exordiatur, ſed vndecunque ſors tulerit, nec etiam iuſtum doceat exitum. quod plane contra ordinem veræ eſſet hiſtoriæ; Immo etiam ex ipſa fabula minora tantum & tritiora ſæpe & plane aliena elegerit, grauiora aliis relinquens, quibus præmiſſis argumentis, Homerum *ἀγνώμονα ἢ φαῦλον κριτὴν τῶν πραγμάτων indoctum plane & ignarum rerum iudicem* facit. * Iuſtiorem ergo adfert narrationem, quam hauſiſſe ſe dicit a ſacerdote quodam Aegyptio, qui vniuerſam ſuperiorum ætatum hiſtoriam templorum parie-

* *p. m.* 154.

rietinis & columnis (pro more veterum, Aegyptiorum præcipue, vti conſtat) inſcriptam eſſe adfirmauerat, & inter hæc ipſas res Troianorum, quæ magnis precibus ab eo impetrauit. Narrationem vero ita complectitur, Helenam Tyndarei Spartani regis filiam a præcipuis Aſiæ Græciæque proceribus iuſto fuiſſe matrimonio expetitam, Alexandro vero Priami Troiani regis filio iuſtis nuptiis coniunctam, qua occaſione etiam, quæ de raptu Helenæ proponuntur, multis inde deductis abſurdis, refellit. Græciæ inde principes ab Atridis concitatos ex mera erga Alexandrum inuidia, & creſcentis Troianorum potentiæ metu, cum Helena repetita denegaretur, bellum Troianis feciſſe ſubiungit, res tamen belli aduerſas fuiſſe Græcis, peſte, fame & variis disſidiis diuexatis, proſperas autem Troianis, quod etiam variis comprobat argumentis. Inde perfractis Græcorum munimentis, & nauibus plerisque ab Hectore incenſis, Achillem etiam ab Hectore in caſtrorum defenſione confoſſum fuiſſe. Recuperatis vero Græcorum viribus cum Neoptolemi & Philoctetæ auxiliis eſſent firmati, Troiani vero Aethiopum & Amazonum copiis, acerrimum inter vtrosque coortum prælium dicit, vtrisque quidem ob caſum heroum luctuoſum, ita tamen, vt Græci pa-

pacem petere coacti fuerint. Poſt varias inde diſceptationes, pacem concluſam memorat, iis quas Troiani vellent, conditionibus, ita vt Græci ſtatuerent equi lignei monimentum, cum hac inſcriptione ἱλαςήριον Αχαιοὶ τῇ Αθηνᾷ τῇ Ιλιάδι, quem equum Troiani cum ob molem per portas in vrbem ducere non poſſent, muri quendam partem demoliti fuerint, ita vt ioco dictum ſit: *vrbem Troianam ab equo captam.* Inde concluſa pace vtrosque exercitus diſceſſiſſe dicit, & cum Troiani ex hoc bello ſuperiores diſceſſerint, colonias inde in varias orbis partes miſerint. Et quidem Aeneam in Italiam cum claſſe miſſum ait, alia tamen abſurde ab Homero tradita ſollicite refutat. Hoc argumentum eſt declamationis Chryſoſtomi, quod publice auſus proponere, & primus eſt, quem nouerim, qui auctoritatem Homeri euerterit. Sed & Helenam ab reprehenſionibus, quas ab aliis experitur, defendit, & quod Iouis fuerit filia, ſingulari oratione rhetorum more laudat Iſocrates. * Præter hoſce qui in ſpecie de rebus Troianis agunt, ſcriptores, alii quoque vniuerſalis hiſtoriæ ſcriptores eandem commemorant, inter quos præcipui ſunt chronographi Byzantini qui conſtanti fere ore Homerum ſecuti, Tro-

iam

* *or. II p. m. 300.*

iam captam adſerunt. Ab eodem tamen aliquo modo deflectit *Conſtantinus Manaſſes* in Annalibus, licet in circumſtantiis potius variet quam in ipſa re. Non prætereundus quoque hic eſt *Iſaacus Porphyrogenetus*, alias Comnenus, e ſeculo vndecimo, Orientis imperator, qui in Studienſi ſine dubio monaſterio, quod palatio prætulerat, hiſtoriã Troianam compoſuit & characteres ducum tum Græcorum, tum Troianorũ, qui ad Troiã conuenerunt, *paralipomena Homeri* alias inſcriptã. Latuere hæc paralipomena per tempus aliquod in bibliothecis illuſtrium, quippe & in regia Pariſienſi ea adſeruari teſtatur Labbeus, ** poſt, vltimam partem ſiue caracteres ducum Ianus Rutgerſius ex codice Amſtelodamenſi variarum lectionum libro quinto inſeruit, *** verſione & notis illuſtrauit. Integrum vero Iſaaci ſcriptum Leo Allatius inter excerpta varia Græcorum Sophiſtarum ac Rhetorum Romæ publici iuris fecit. **** E recentioribus notus eſt *Iacobus Hugo*, qui ſub Ilii euerſione Solymarum deuaſtationem latere oſtendit, ſed quilibet eius abſurda ſtatim videt, vti & eadem detexit Eberhardus Rudolphus Roth in diſſertatio-

** *bibl. noua manuſcriptorum, parte I p. m. 70, & 154*
*** *cap. X.*
**** *anno 1641.*
* *anno 1672.*

tione hic loci habita, plenior de iisdem dabitur diſſerendi materies ſub origine Romanorum.

§. VI. Sunt & ex poëtis latinis, quos ad Troianas res adlegemus. Primus, ni fallor, eſt *Virgilius*, cuius Aeneadum libri duodecim in omnium ſunt manibus, quibus tum Aeneæ, tum triſtia Troiæ fata deſcribuntur. Eiusdem contubernales fuere Varius & Tucca, qui Aeneadum poſtea libros emendarunt ſub ea lege, vt nihil adderent.* Iisdem temporibus vixit *Aemilius Macer*, Iliacus Ouidio ** dictus, eo quod παραλειπόμενα Homeri ſcripſit, de quibus idem Ouidius: ***

Tu canis æterno quidquid reſtabat Homero,
Ne careant ſumma, Troica bella, manu.

Veronenſis fuit poëta, teſte Euſebio. **** Quatuor millia librorum *Didymum Grammaticum* ſcripſiſſe docet Seneca, ***** & in his quoque de patria Homeri & Aeneæ matre vera, disquiri teſtatur, talia tamen quæ dediſcenda iudicat, ſi quis ſciret. Eſt autem iſte Didymus Alexandrinus apud veteres ſatis clarus, quem etiam grammaticorum om-

* *Euſebii chronicon Olymp.* CXC.
** IV. *de Ponto el.* XVI.
*** *II de Ponto el.* X.
**** *Olymp.* CXCI.
***** *ep.* LXXXIII.

omnium, quique ſint, quique fuerint, inſtructisſimum vocat Macrobius, ob adſiduitatem alias χαλκέντερος dictus, ſecundum Suidam. Multas etiam quæ inter Troianos res occurrunt, ſub communi fabularum nomine expresſit *Hyginus*, vt taceamus *Senecæ* Troada & aliorum ſcripta, quibus non ex profeſſo, ſed quaſi aliud agendo, res Troianas memorant.

§. VII. Nec tamen ex libris ſolum petendæ res Troianæ, ſed & ex aliis vel artis vel ingenii monumentis. Extat enim inter alia antiquitatis monumenta Arundelliana, Chronicon quoque iſtud Marmoreum, doctisſimis Thomæ Lydiati, Ioannis Seldeni, & Humphridi Prideaux notis illuſtratum, quod Troianam quoque expeditionem epocha 25 memorat. Si veterum gemmas & nummos inſpicimus, inuenimus, quæ ad rem Troianam faciunt. Veterum quidem heroum, quos Troianum bellum celebrat imagines omnis refert antiquitas, quas etiam Græcarum antiquitatum theſauro ſuo præmiſit Gronouius. Sic & Alexandri Paridis ſtatuam ab Euphranore extructam laudat Plinius * ab eo maxime quod omnia ſimul intelligantur de Paride, quod iudex dea-

† *V. Saturn. c.* XXII.
* *hiſt nat. l.* XXXIV *c. VIII.*

dearum, amator Helenæ & Achillis interfector. Nec gemmis deſtituuntur cimeliarchia, quæ ſpeciales quasdam heroum geſtas res referunt. Singularis plane eſt nummus Græcus Antonini Pii, quem ex theſauro Maurocenico deſumptum erudito commentario illuſtrauit Carolus Patinus, typus nummi vti rarior, ſic egregius eſt. Exhibet tres matronas in monte, quæ ex figuris cognoſcuntur, quod ea, quæ media, ſtolata cum capite velato haſtam manu gerens, ſit Iuno; quæ a dextra ſeminuda, pomũ gerens, Venus; a ſiniſtra, quæ cum galea criſtata & ægide adparet, dextra clypeum gerens, cui inſertum Meduſæ caput, ſiniſtra haſtam, quæ Minerua eſt ſiue Pallas. Infra montem adparet Mercurius, qui ex caduceo ſuo & petaſo alato cognoſcitur, ſtans coram paſtore, qui ſub arbore recubat, qui galerum Armeniacum in capite, dextra pedum gerit, binis angelis cum ſerto Veneris figuram ſuperuolitantibus; ſic enim nummum ex theſauro Chriſtianiſſimi regis exhibet clariſſimus Morellus, † licet ſimilem quidem, in quibusdam tamen mutatum exhibeat Patinus. Idem judi-

† *titulus eſt iudicium Paridis de tribus deabus latum, in numiſmate Imp. Antonini Pii expreſſum Carol.* Patini P*atauini* 1679. 4.

† *in ſpecim. vniu. rei nummi. antiq. tab.* XI.

iudicium in Achate orientali maxima & elegantiſſima expreſſum in plane regia Potentiſſimi Electoris Brandenburgici gaza adſeruatur, cuius typum etiam exhibet qui ab antiquitatibus eſt, Laurentius Begerus. Celeberrimus enim vir iſte, ſingulare quiddam, præſtitit rei litterariæ, dum ad intelligenda, quæcunque de rebus Troianis ſuperſunt, antiquitatis monumenta, bellum & excidium Troianum ex antiquitatum reliquiis, tabula præſertim quam Raphael Fabrettus edidit Iliaca, delineatum, adiecto commentario eruditiſſimo illuſtrauit. † Vir iſte eximius, id ſibi curæ eſſe voluit, vt poetas, qui de rebus Troianis agunt ex monumentis, monumenta ex poetis illuſtraret, quo omnis res clarior fieret. Nec tamen ideo hæc ſcripſit, vt omnia pro veris venditaret, ſed vt fabuloſam hiſtoriam, antiquitatis conſenſu munitam explicaret & illuſtriorem redderet.

§. VIII. Demonſtrato nunc, quibus auctoritatibus res Troiana nitatur, proximum erit, vt coronidis loco addamus, quid & nos de rebus Troianis ſentiendum putemus; & concludimus vera intermixta eſſe falſis, ſiue hiſtoriam contaminatam eſſe fabulis. Præterquam enim quod omnis res vel nulla vel

D 2 va-

† *tab. VII.*

† *prodiit Berolini 1699. 4.*

vacillante ſatis auctoritate nitatur, ipſum Troiani belli initium eſt fabuloſiſſimum. Optime fecerimus ſi rem Hygini verbis qui eã breuiter deſcripſit, exhibeamus. † *Iouis enim* inquit, *cum Thetis Peleo nuberet, ad epulum dicitur omnes deos conuocaſſe, excepta Eride, id eſt diſcordia: quæ cum poſtea ſuperueniſſet, nec admitteretur ad epulum, ab ianua miſit in medium malum, quod quæ eſſet formoſiſſima attolleret. Iuno, Venus, Minerua formam ſibi vindicare coeperunt: inter quas magna diſcordia orta. Iouis imperat Mercurio, vt deducat eas in Ida monte ad Alexandrum Paridem, eumque iubeat iudicare. Cui Iuno, ſi ſecundum ſe iudicaſſet, pollicita eſt in omnibus terris eum regnaturum diuitẽ, præter ceteros præſtaturum. Minerua ſi inde victrix diſcederet, famoſiſſimum inter mortales futurum, & omni artificio ſcium. Venus autem Helenam Tyndarei filiam formoſiſſimam omnium mulierum ſe in coniugium dare promiſit. Paris donum poſterius prioribus antepoſuit. Veneremque pulcherrimam eſſe iudicauit. Ob id Iuno & Minerua Troianis fuerunt infeſtæ. Alexander Veneris impulſu Helenam a Lacedæmone ab hoſpite Menelao Troiam abduxit, eamque in coniugio habuit cum ancillis duabus Aethia & Thiſaide, quas Caſtor & Pollux captiuas ei adſignarant aliquando reginas.* Hæc Hygi-

† *fab.* XCII. *inſcripta Paridis iudicium.*

Hyginus. Quis crederet hiſce? Deorum nuptiæ, dearum contentiones: dii arbitrio hominis paſtoris ſe committunt, deæ vt arbitrum ad ſuas partes trahant, omnia quæque promittunt, quæ commenta? Quale ergo exordium, tale medium, talis & finis. Nec tamen hæc ita fabuloſa eſſe crediderim, vt non ſenſus quidam arcani inde elici poſſint. Concordes enim animorum iunctus ſi ſeiunxerit diſcordia, oriuntur contentiones, hæ fouentur ambitione, quæ ex adrogata quadam prærogatiua oritur. Ad has autem contentiones promouendas nihil pronius eſt quam muliebres animi; fœminis primatum ſibi vel ob formæ venuſtatem, vel ſapientiæ cultum, vel diuitiarum cumulum, inter ſocias ſibi vindicantibus. Concitantur mulierum illecebris etiam viri, qui amatarum adfectibus indulgentes, nimium ipſi quoque inter ſe commouentur & irritantur; inde diſſenſus primum, mox rixæ, quæ vltimo in bella deſinunt. Quod ſi ad rem propoſitam, forſan eo res redibit. Sub Phrygum nomine olim non Græci ſolum, ſed & plerique Aſiæ minoris incolæ comprehendebantur, quod paſſim videre eſt apud Virgilium & alios. Horum vnanimis olim conſenſus variis contentionibus turbatus fuiſſe videtur, accedente fœminarum arroganti niſu

ſu, cum Græcarum alias mulierum laus non maxima ſit. Bellum ita Troianos Græcosque inter credo, clades ab vtraque parte acceptas negare non audeo, tot geſta vero heroum quos modo Veneris, modo Palladis, modo Vulcani auxiliis ſubnixos credebant, Troiam dirutam, Vlysſis errores, Aeneæ aduentum in Italiam adſerere non audeo. Hiſtoriam ergo credo, ſed multis fabulis intermixtã, non ſolum quantum ad circumſtantias, ſed & in ipſa rerum geſtarum narratione.

§. IX. Agnouere id ipſi veteres, qui geſta multa ex Troianis rebus negare non dubitant. Athenæus ſub finem fere libri decimi Τρωϊκὸν μῦθον claris innuit verbis. Lucianus † *in Gallo ſuo* omnes rerum Troianarum fabulas ſubſanno naſo ridet. Iudicii Paridis de quo modo diximus, veritatem non omnes ex antiquis agnoſcunt. Plutarchus †† enim ſiue quisquis is eſt, iſtos verſus Homeri, ††† quibus de Paridis iudicio agit, pro genuinis non habet, addita ratione, quod neque deos hominum ſubmittere ſe iudicio decorum ſit, neque huius rei Homerus alibi meminerit. Quare & rem mitiga-

re

† *p. m. 173.*
†† *de Homero haut procul ab initio*
††† *Iliad. ω. v. 27.*

re conati fuere alii, quaſi ſomnium fuerit Paridis. Sic & hanc Θεῶν κρίσιν †††† ſuis deorum dialogis ridet Lucianus. Mythicum vero fabulæ ſenſum innuit Athenæus, ἐγὼ δέ φημι, καὶ τὴν τοῦ πάριδος κρίσιν ὑπὸ τῶν παλαιοτέρων πεποιῆσθαι ἡδονῆς πρὸς ἀρετὴν οὖσαν σύγκρισιν, *ego vero ſic aio, Paridis iudicium veluti comparationem quandam virtutis cum voluptate priscos olim commentos fuiſſe.* Sic & quæ de Vlyſſe prædicantur, fabulas agnoſcit Suidas* dum de Tryphiodori poemate ἔστι δέ ποίημα τῶν ὀδυσσέως καμάτων, καὶ ὅσα μυθολογοῦσι περὶ αὐτοῦ, καὶ ἄλλα, *eſt poema de Vlyſſis laboribus & quæ de eodem fabulantur & reliqua.* Sic etiam patebit ipſos veteres licet rem alias pro vera habeant, omnia tamen non adprobare, quæ a Troianis ſcriptoribus perhibentur, ita vt neque antiquitatis conſenſu munita, nec auctoritate ſcriptorum de excidio Troiano ſententia ſit comprobata.

§. X. Occupati fuimus huc vsque, vt adſertionem noſtram de excidii Troiani fabula firmiter adſtruamus, & firmemus. Nihil nobis amplius ſupereſt, quam vt & argumenta, quibus pro veritate huius excidii vtitur Theodorus Ryckius, vir magnæ alias æſtima-

 tionis

†††† *habetur tomo* I. *operum p. m.* 218. *ed. Græuianæ.*

††† *ineunte libro* XII *p. m.* 510.

tionis, euertamus ac deſtruamus. Adfert illa in ſua de primis Italiæ colonis diſſertatione, capite nono, & primum quærit in conſenſu ſcriptorum ante Homerum: ſed ex eo nihil poſſe concludi, iam in ſuperioribus dictum fuit. Quippe præterquam quod circa ſcriptores eosdem vbique hæreant, nihil quoque de iis amplius ſupereſt, ex quo iudicemus, quænam ſcripſerint, & an cum iis Homerus concordet. Alterum ſumit a ſcopo Homeri, qui fuerit captare beneuolentiam apud Græcarum vrbium principes, quod vacillat admodum argumentum, vt ſupra iamdum eſt demonſtratum. Cum ſcilicet poëtarum proprium ſit fabulis ſua inuoluere, Homerus quoque pro genio ſæculi talibus vſus eſt, quæ adplauſum auditorum invenirent. Tertium tale facit, quod creditu haut ſit facile, memoriam iſtius belli apud Græcos fuiſſe oblitteratam, cum multis poſt Homerum ſæculis, de eo extiterint monumenta; ſed eo petitur id quod eſt in principio, cum de iisdem monumentis an ſint genuina, omnino diſceptandum veniat. Quartum argumentum prioribus adhuc grauius eſt, conſenſus ſcilicet ſcriptorum, qui talis, vt etiam de anno & die captæ Troiæ fuerint ſolliciti: ſed conſenſum hunc non ſine diſſenſu eſſe, falſa etiam niti & ſolius Homeri

poe-

poetica auctoritate ſupra itidem demonſtrauimus. Nec dies & annus quem adnotant, quidpiam facit, cum etiam chronologiam expeditionis argonauticæ & aliarum rerum curent veteres, quæ tamen extra omnem controuerſiam non ita intelligenda, prout in fabulis proponuntur. Vltimo adducit doctisſimus vir conuerſiones rerumpublicarum, migrationes gentium & deductiones coloniarum, quæ per longa tempora Troiani excidii memoriam in Aſia Græciaque conſeruauerint. Argumentum tamen nimis eſt generale, cum rerumpublicarum, gentium & vrbium conuerſiones in quorumlibet temporum hiſtoria ſint obuiæ. Nihil præterea eſt inconſtantius, quam gentium origines, vt ex illis nihil plane certi in hiſtoria concludi posſit. Exemplum ſit vel in ipſa gente noſtra Germana. Maxime cum de deductis Troianorum Græcorumque coloniis poſt captum Ilium res nondum ſit decertata. Concludimus potius, maiorem rei falſitatem ex eo quod Strabo ait, nulla ſuo tempore priſcæ Troiæ amplius extitiſſe veſtigia, cum, licet cum Ryckio quidquid lapidum fuerit Iliacorum, ad vicinarum vrbium refectionem abſumptum fuiſſe velimus, vix tamen credendum, tantæ vrbis molem ita corruiſſe, vt poſt mille tercentos

annos, ne veſtigium quidem extaret, cum rudera vrbium vltra ſesquimille annos dirutarum hodienum etiam monſtrentur. Res ergo de excidio Troiano incerta manebit & fabuloſa.

OBSERVATIO III.
DE ORIGINE ROMANA ET SCRIPTORIBVS DE EADEM IVDICIVM.

§. I. *Introitus quo inſtituti ratio proponitur.* §. II. *Q. Fabius* Pictor *ſcriptor antiquiſſimus, fragmenta autem eius, quae ſuperſunt, ab Annio ſuppoſita.* §. III. *M. Porcius Cato, A. Poſtumius, L. Cincius, S. Gallius, Q. Ennius, Q. Lutatius, M. Varro, Diocles Peparethius, Cephalo Gergithius & alii qui de hac origine ſcripſerunt, recenſentur.* §. IV. *De Sexto Aurelio Victore an auctor ſit libelli de origine gentis Romanae disquiritur.* §. V. *De Octauiani Ferrarii de origine Romana libro, iudicium.* §. VI. *De Samuelis Bocharti epiſtola, Aeneam nunquam veniſſe in Italiam, & ad eandem reſponſione Theodori Ryckii iudicium.* §. VII. *De Iacobi Hugonis origine Romana iudicium.* §. VIII. *Communis ſententia de Romanorum origine adducitur.* §. IX. *Quae ab incertitudine veterum reprobatur.* §. X. *Quid de origine Romana verius ſentiendum, deciditur.*

I. Si

§. I.

SI quæ vnquam res inter veteres pluries tractata, excidii Troiani ſane eſt fabula & Romanorum origo exinde petita. De priori iamdum quid ſcriptores ſentiant, declarauimus, de poſteriori ergo nunc eſt agendum. Mittimus autem in præſenti, eos qui in generalioribus tantum hærent, & hiſtoriam Romanam deſcribendo de origine aliqua proferunt. Non minus publica Romanorum ſcripta, vt annales maximos, pontificum commentarios, magiſtratuum libros & linteos libros augurales & aruſpicum, tabulas cenſorias, aliaque, quæ communiter huc referunt, cum vix credam, ſi ſolos annales maximos excludam, tale quidpiam exhibuiſſe, ad ipſos ſcriptores me vertam, qui ex profeſſo de hac origine agunt.

§. II. Primus ni fallor, eſt *Q. Fabius Pictor* ſcriptorum antiquisſimus Liuio dictus † & Dionyſio Halicarnaſſenſi. †† Ex Liuio diſcimus, vixiſſe eum circa bellum Punicum ſecundum, & æqualem temporibus huiusce belli potisſimum auctorem haberi ††† quod etiam & qua ratione ab aliis Fabiis Pictoribus ſit diſtinguendus erudite commonſtrat Gerar-

† *lib.* I. *c.* XLIV. & *lib.* II. *c.* XL.
†† *lib.* VII. *antiqu. Rom. p. m.* 475.
††† *Liuius lib.* XXII. *c.* VII.

Gerardus Ioannes Voſſius. †††† Eiusdem annales omnes citant rerum Romanarum ſcriptores veteres, nihil autem quidpiam de iis amplius ſupereſt. Propalauit quidem huius Fabii Pictoris aliqua Ioannes Annius, Viterbienſis, ſed doctus iſte impoſtor ſatis omnibus eſt notus, quod de ſuo finxerit hæc & alia. In duos autem quæ Pictori adſcribit libros, diuiſit Annius; primum facit de aureo ſeculo, originem Italiæ Romæque tradens, a Iano ad Romulum vsque; alter Roma qua ratione a Romulo condita ſit, docet. Sed breuiores ſunt æque ac leuiores, quæ guſtum aurei ſeculi non ſapiunt, & pro figmentis omnino habenda.

§. III *Marcus Portius Cato* ob prudentiam morumque grauitatem non minimæ apud Romanos auctoritatis, ſatis etiam ex originum libris, quos edidit, notus eſt. Septem autem Originum libros ſenex conſcripſit, cum adoleſcens orationes conficeret, quorum primus res geſtas regum populi Romani continebat, quarum ſine dubio partem fecit origo generis Romani, cum Sextus Aurelius

†††† *de hiſtor. latin. l. I. c.* III. *p. m.* 15.

† *prodiere primum cum aliis Annianis ſub titulo antiquitatum variarum volumina* XVII. *Pariſiis* 1512. *fol. Poſt cum aliis ſub titulo, hiſtoria antiqua e Commeliniano* 1599. 8.

† *p. m.* 436.

liusVictor † ſiue quisquis ſit Catonem adleget in origine generis Romani. Secundum autem & tertium librum vrbium Italicarum originibus deſtinauerat, quod dein occaſionem tituli dedit, vti innuit Cornelius Nepos. †† Idem Victor *Auli Poſthumii* ſingulare volumen citat de aduentu Aeneæ. † Fabio Pictori & Catoni Dionyſius Halicarnaſſenſis †††† accenſet quidem in hiſtoria Romuli *Lucium Cincium* & *Calpurnium Piſonem*, ſed annales horum quidem noti ſunt, non autem quod ſingulare quid de origine Romana ſcripſerint, conſtat. *Sexti Gellii* originem Romanam adhuc citat Victor, †††† de cuius vero ætate nihil habemus certi. Libros ſeptem hiſtoriarum compoſuit *Ennius*, quibus Romanorum res inter bellum Punicum primum & ſecundum deſcribit, quorum primus ſolam comprehendit gentis Romanæ originem. *Q. Lutatius* Romanarum rerum ſcripſit libros quam plurimos quos ſæpius citat Victor, in quibus de Antenore agit & Aenea. *M. Terentii Varronis* librum quo initia vrbis Romæ enarrat, citat Quintilianus, † qui ille ipſe videtur de gente

†† *Catone c.* III.
††† *p. m.* 440.
†††† *lib.* I. *p. m.* 64.
††††† *p. m.* 441.

te populi Romani eidem alias attributus: vti & de familiis Troianis alium ipſi attribuit Voſſius.†† Ex Græcis fuit *Diocles Peparæthiꝰ* quem de origine Romana ſcripſiſſe perhibet Plutarchus, atque ex eo ſua fere omnia hauſiſſe Pictorem teſtatur. *Cephalonem Gergithium* Feſtus putat de aduentu Aeneæ in Italiam ſcripſiſſe: Gergithius autem dictus, quod ex Gergitho Troadis vrbe ortus, Halicarnaſſenſi †† dicitur συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ. Vt taceam Vulcatium, Sempronium Vennonium aliosque a Victore citatos quidem, quos vero expreſſe de origine Romanorum ſcripſiſſe non conſtat.

§. IV. Ab incertis hiſce ad alia veniamus & certiora, ad librum ſcilicet, qui inſcribitur *Sexti Aurelii Victoris* origo gentis Romanæ a Iano & Saturno conditoribus. De vero huius libelli auctore inter eruditos ſatis fuit diſceptatum. Auſonius Popma quidem† auctorem huius libri Q. Aſconium Pedianum prodit, his verbis: *eum auctorem eſſe Q. Aſconium Pedianum adducor vt exiſtimem, primum quia de Virgilio & Liuio vt æqualibus & familiaribus ſuis loquitur, quod ipſum & facit Pedia-*

† *Inſt. Orat. libro* c. IX.
†† *de hiſtor. lat. l.* I. c. XII.
† *in vita Romuli.*
† *lib.* I. *p. m.* 58.
† *ad Sall. coniur. Catilin p. m.* 306.

dianus in commentariis ad orationes Ciceronis: deinde dicit ſe feciſſe librum inſcriptum de origine Patauina: at Pedianus fuit Patauinus, vt ex Euſebii Chronico conſtat: poſtremo ſtylus optimus auctorum index commentatori magis quam hiſtorico conuenit, nec a Pediani ſtylo abhorret. Tribus ergo vtitur argumentis; primum quod Virgilium & Liuium ſui æquales faciat auctor, quod tamen nullibi reperi; alterum a patria quilibet videt non ſatis probare; tertium a ſtilo petit, qui tamen mihi non in omnibus conuenire videtur, cum Pediani omnino floridiorem iudicem. Recentior ergo mihi ſcriptor videtur temporis Conſtantiniani: patebit id ex vnico loco in quo noſter cum Macrobio qui vti notum, ſub Theodoſio vixit, conuenit. Ait enim: † *vnde hodieque aleatores poſito nummo opertoque, optionem colluſoribus ponunt enuntiandi quid putent ſubeſſe, caput aut nauem.* Eundem puerorum luſum ſuo quoque rempore vſitatum fuiſſe Macrobius † ſcribit, dum ait: *pueri denarios in ſublime iactantes, capita aut nauim, luſu teſte vetuſtatis exclamant.* De vnico more agunt vtrique ſuis temporibus conſueto, coæui ergo fuere & eiusdem ætatis ſcriptores. Cum Voſſio †† ita potius facimus,

† *p. m.* 425.
† *Saturn.* I. *c.* VII.
†† *de hiſt. lat. lib.* II. *c.* 2.

mus, qui autorem libelli de origine gentis Romanæ poſt Aurelium Victorem vixiſſe putat, ea inductus ratione, quod titulus præ ſe ferat ex fontibus illis petitum eſſe, ex quibus ſua hauſerint iuniores, Liuius & Victor Afer. Ipſe ergo liber de viris illuſtribus & Cæſaribus eſt Victoris, cui dein editor, quisquis ille ſit, Italum tamen fuiſſe putem, cum de origine Patauina ſe ſcripſiſſe quoque teſtetur, hanc de origine Romanorum tractationem præmiſit, hoc ſine dubio inſtituto, vt completum eſſe poſſit rerum Romanarum compendium. Inde in vnum titulum redactum, *origo gentis Romanæ a Iuno & Saturno conditoribus per ſuccedentes ſibimet reges, vsque ad conſulatum decimum Conſtantii*, qui factum vt dein pro vnius ſcriptoris labore haberetur & Sexto Aurelio Victori, quia is maioris partis auctor, adſcriberetur.

§. V. Sunt & inter recentiores aliqui, qui in ſpecie de origine Romanorum egerunt. Singularis extat *Octauiani Ferrarii* hac de re liber quem exorſus quidem eſt, ad finem vero non perduxit. Tractat ibi de primis Italiæ incolis, quos Siculos primos fuiſſe contendit, quos ſecuti fuerint Aborigines a rege Oenotrios dictos, inde Pelaſgi Arcades, Epæi, demum Troiani ita vt a

Græ-

Græcis procreati fuerint Romani; vbi vero ad ſpecialem tractationis partem venit, qua plusquam vnam fuiſſe Romam probat, abrumpit telam, dum morte præuentus abſoluere non poſſet. Finem tamen imponit Bartholomæus Capra ICtus Mediolanenſis, qui ad Troianos Romanorum refert originem, quod & ex ipſis Ferrarii verbis anterioribus haut obſcure concluditur. Scriptum alias in quo ſummum adparet ingenii acumen. †

§. VI. Poſt hunc *Samuel Bochartus*, in republica litteraria ſatis clarus; de quæſtione *num Aeneas vnquam fuerit in Italia*, diſſertationem ſeu epiſtolam ſcripſit, ad dominum de Segrais, quam ex gallico in latinum ſermonem vertit Ioannes Schefferus Argentoratenſis.†† Hic autem Bochartus præter inconſtantiam ſcriptorum & incertitudinem ſepulcri Aeneæ binis præcipue argumentis vtitur, Aeneam nunquam veniſſe in Italiã. Primum petit a religionis diuerſitate, quod Venus, Apollo, Cybele aliaque Troianis culta numina a Romanis ab initio non fuerint recepta, ſed longe poſt vrbem conditam demum introducta. Alterum a lingua Phry-

† *præmiſſus eſt primo tomo theſauri antiquitatum Græuiani.*

†† *prodiit Hamburgi 1672. 12.*

gia, quam nihil cum latina commune habere probat, & haut facile credendum iudicat, ſi Italia a Phrygibus fuerit petita, nullum eius linguæ veſtigium in eadem remanſiſſe. Egerat id iam ante eum *Philippus Cluuerius* † qui non aduentum ſolum Aneæ in Italiam negat, ſed & omnem antiquorumRegum hiſtoriam fabuloſam cenſet. Vtrosque tamen refellendos ſibi propoſuit *Theodorus Ryckius*, in ſua de primis Italiæ colonis & Aeneæ aduentu eruditiſſima diſſertatione,†† qua capite præſertim duodecimo ſingula eorundem argumenta refellit, incerta tamen per æque incerta explicat.

§. VII. Vltimum facimus *IacobumHugonem*, canonicum Belgam, qui ibrum primum (reliquos tamen non vidimus) edidit ſub titulo, *vera hiſtoria Romana, ſeu origo Latii vel Italiæ ac Romanæ vrbis e tenebris longæ vetuſtatis in lucem producta.* ††† Nugas tamen potius quam hiſtoriam ſcripti argumentum dixeris, quare & ſingulari diſſertatione eundem refutauit *Eberardus Rudolphus Rothius*. †††† Quo autem de Hugonis nugis plenius conſtet, paucis easdem delineabimus. Primum qui-

† *Italia antiqua p. m.* 832.
†† *prodiit cum Lucæ Holſtenii notis in Stephanum Vltraiecti* 1691. *folio.*
††† *prodiit Romæ* 1655. 4.
†††† *diſſertatione ienæ habita* 1672.

quidem varia; & veterum & recentiorum congeſſit teſtimonia, quibus diſſenſum de vrbis Romæ origine & Romam ante Romam conditam, probet. Poſt hæc omnia quæ de Troiæ euerſione cecinit Homerus, ad duplex Hieroſolymitanum excidium, alterum ſub Nebucadnezare factum, alterùm ſub Tito, cogit, quaſi vtrumque poeta præſagiens præviderit; ſub Iliade Seruatoris noſtri vitã, geſtas res & mortem contineri ait, Romulum & Remum eſſe Petrum & Paulum: ſub Aeneæ in Italiam aduentu nihil aliud notari quam Petri aduentum in vrbem Romam; Homerum quoqueMohammediſmum, multa ſchismata, ſectas & eccleſiæ corruptelas præuidiſſe; ſub Harpyiis Batauos quaſi eccleſiaſticorum *bonorum raptores intendiſſe, ſub lotophagis* Lutheranos, immo Lutherum quoque & Melanchthonem ad viuum ab Homero depictos contendit. Quis non primo ſtatim intuitu Hugonis abſurda videt ita vt & cenſor libri ipſe pontificius nihil quidem continere eum quod fidei chriſtianæ aduerſum ſit, teſtetur, hiſtoriæ tamen ſiue alluſionum fidem penes ipſum auctorem collocat.

§. VIII. Sed vt quid de origine Romanorum iudicandum cenſeam, exponam, communis primum ſententia erit adducenda.

Romano imperio originem dediſſe putant, populos antiquiſſimos, & quidem Lycaonem Arcadiæ in Hellade regem, adſumtis Oenotriis, teſte Iuſtiniano.† Sed incertiora ſunt hæc, propius prima Romanorum principia ad Aeneam referuntur, ex quo Aeneadæ, ſecunda ad Romulum ex quo pure Romanorum nomen ortum. ††Romulum quidem ex Aeneæ poſteris fuiſſe ferunt, qui euerſo Ilio tranſumtis ſecum Ilienſium diis tutelaribus, in Italiam hoſpes venerit, ſed a Latino rege in ſocietatem adſumptus poſt eius mortem in Latio regnaverit. Aeneæ filius Aſcanius Albam longam, caput tunc Imperii extruxit: a quo Latii imperium vſque ad Numitorem propagatum. Huius filia Rhea Syluia virgo Veſtalis a Marte, vt ferunt, compreſſa, gemellos edidit, Amulii iuſſu in Tiberim proiectos, quos tamen vndarum vis in ripam expoſuit, accurrente ad puerorum vagitum lupa, mammas illis præbente. Inuentos autem hoc ſtatu Fauſtulus regii pecoris magiſter Laurentiæ vxori nutriendos dedit.† Licet & commune paſtorum fuiſſe ſcortum Laurentiam velint, exinde dictam Lupam. Dicti hi gemelli Romulus & Remus; cum adul-

† *præf, Nouellæ* 25.
†† *præf. Nouellæ* 27.
† *Liuius lib.* I, *ab initio. Dionyſius Halicarn, lib.* I, *ab initio. Florus lib.* I, *c.* I.

adultiores facti eſſent occiſo patruo Amulio, reſtitutoque auo Numitore, nouæ condendæ vrbi animum adplicuere, cui nomen ille daret, cui per augurium ſors cecidiſſet. Condita ita vrbe a Romulo dicta Roma, cuius moenia fratris Remi ſanguine & polluta & firmata. Conſtans hæc vere veterum de Romanorum origine traditio.

§. IX. Rem iſtam ſi altius examinemus, totam excidio Troiano, aduentu Aeneæ in Italiam, & Roma a Romulo condita niti reperiemus. De primo ſuperiori obſeruatione dictum, fallaci fundamento niti: de altero iam dubitatum fuit a Bocharto. Si etiam euoluamus Dionyſium Halicarnaſſenſem, conſtabit ex eodem, aduentum Aeneæ in Italiam, ſcriptoribus partim fuiſſe ignoratum, partim inuidia diſſimulatum. † Poſtea cum ex quorundam ſententia Aeneæ proditione Ilium eſſe captum tradidiſſet †† diuerſorum diuerſas de Aeneæ ex vrbe Troia exceſſu ſententias ſubiungit, dum ait: ἄλλοι δέ τινες ἐπὶ τοῦ ναυστάθμου τοῦ Τρωϊκοῦ τυχεῖν αὐτὸν τηνικαῦτα διατρίβοντα λέγουσιν. οἱ δ' εἰς Φρυγίαν ἀπεσταλμένον ὑπὸ πριάμου μετὰ δυνάμεως ἐπί τινα χρείαν στρατιωτικὴν, εἰσὶ δ' οἳ μυθω-

† *lib. I. p. m. 36.*
†† *lib. I. p. m 38*

θωδεϛέραν αὐτȣ̃ ποιȣ̃σι τὴν ἔξοδον. ἐχέτω δ' ὅπῃ τὶς αὐτὸν πείθει, *alii dicunt, eum tunc commoratum apud Troianam ſtationem nauium: alii cum copiis a Priamo in Phrygiam miſſum ad militaris cuiusdam negotii procurationem. Nec deſunt qui fabulis propiora narrent de eius ab Ilio exitu, integrum ſit cuique quodlibet credere.* Et licet poſtea Troianorum in Italiam aduentum ab omnibus Romanis, Sibyllinis etiam libris & Pythicis oraculis confirmari teſtetur, ex ſuperiori tamen loco ſcriptorum diuerſitatem accurate notat, ita vt receptam quidem apud antiquos fuiſſe opinionem pateat, non autem inter omnes conſtantem. Sibyllina enim oracula licet ea ȣ̓κ εὐπρεπείας ἕνεκα *ad ſpeciem* conficta velit Halicarnaſſenſis, tantæ auctoritatis non ſunt, vt me ad fidem habendam commouere poſſint, vt potius Romanorum originem a Romanis hiſce primum proditam crediderim. Quod ſi tertium inſpiciamus, tantus & fere maior ſcriptorum eſt numerus, qui Romam longe ante Romulum fuiſſe conditam adſerunt, quantus eſt, qui Romulo Romanæ vrbis originem adſcribant. Modo enim ab Aeneæ comite, modo a filio vel nepote Romo, modo ab Aſcanii filia Roma, vrbem ſic adpellatam produnt, adlegante ſcriptorum ſententias Fe-

† *p. m. 39.*

Feſto † Immo etiam ante Aeneæ Troianorumque in Italiam aduentum, antiquiorem fuiſſe Romam contendit Halicarnaſſenſis†† quam deſolatam dein reædificarint Romulus & Remus; de qua Roma etiam ante Romam conditam agit Octauianus Ferrarius.

§. X. Vt dicam quod res eſt, Romanorum, Numæ præſertim erat inſtitutum, vt quicquid omnium ore celebraretur, licet etiam fabulæ eſſent, ſuis adſcriberent, quo auguſtiora redderent eadem. Proſtant huius rei exempla in ipſa rerum Romanarum origine paſſim, gemellorum Romuli & Remi pater miles erat abiectæ ſortis, Martem tamen incertæ ſtirpis patrem nuncupabant, quia ſcilicet, vt inquit Liuius ††† *deus auctor culpæ honeſtior*. Lupa vtrorumque nutrix dicebatur, vt miraculo locus eſſet, cum tamen nec disſimulantibus ſcriptoribus Romanis, ſcortum eſſet commune. Romulum manibus patrum diſcerptum, inter diuos receptum credebant. Numa Egeriæ nymphæ fingebat congreſſum, quo ſibi pararet auctoritatem. Nec gens fere erat inter Romanas, quæ non diuinitati cuipiam originem adſcriberet. Sic in rebus Troianis tot geſta caneban-

† *Socc: Roma.*
†† *lib. I. p. m. 59.*
††† *lib. I. cap. IV*

bantur heroum, quorum pleroſque a diis ortos fabulabantur, & tot facta præclara, quibus & lucem ſuæ genti comparare voluerunt. Vt ergo credam ex Phrygibus atque Troianis aduentaſſe quidem quoſdam in Italiam, non vero ſub Troiani excidii circumſtantiis; nec Aeneam aduentaſſe velim in Italiam, cum Neptunum Aeneæ prædicentem inducat Homerus, † fore, vt ipſe cum poſteris extincto Priami genere, Troianis imperitaret. Quæ verba Halicarnaſſenſis quidem ita mitigat, quaſi Aeneas, inſtituta licet in Italia republica, nihilominus Troianis, quos ſecum adduxerat, imperauerit: & Euſtathius vatem facit poetam, quaſi ad imperium Romanum reſpexerit, cuius notitiam ex oraculis habuerit Sybillinis. Clarius tamen dictum Homeri locum explicat Strabo †† ſcriptor antiquior, ita, quod Aeneas manſerit in terra Troianorum, quod ſucceſſerit in imperium, ſucceſſionemque reliquerit ſuis poſteris, extirpata Priami progenie; ipſum quoque in vrbe Berecynthia prope Troiam ſepultum adſerit Agathocles Cycizenus, teſte Feſto: quæ ſane cum Aeneæ aduentu non concordant. Concedo ergo Troianos aduentaſſe in Italiam, ibique ſedem poſuiſſe,

for-

† *Iliados* Υ *v.* 305.
†† *lib. XIII. p. m.* 418 *ed. Caſaub.*

forſan Romanis rebus originem dediſſe, ſed nec fuiſſe Aeneam cum ſociis, nec ex Ilii excidio profugis, ſed ignobilioris ſortis homines puto, quos vt pro more celebriores redderent, talia adfinxere, quæ in epulis & ſolennibus communi adplauſu celebrabantur. † De Romulo & Remo nihil ſupereſt quod dicam, quam a Rhea matre ſacerdote & incertæ ſtirpis patre, milite quodam fuiſſe prognatos & a Laurentia communi paſtorum lupa ſeu ſcorto nutritos, adultiores vero factos prædatoriam egiſſe vitam, & adgregata malorum quorumlibet colluuie, dediſſe originem potentiæ Romanæ.

† *cuius moris ex Catonis originum libris meminit Cicero in Bruto c.* XIX. *&* *Tuſculan. quæſt.* I. *c.* II.

OBSERVATIO IV.

BONIFACIVS VIII. E FAMILIA CAIETANORVM PRINCIPVM ROMANVS PONTIFEX R. P. IOHANNIS RVBEI CONGREGATIONIS ANGLIAE, ORDINIS S. BENEDICTI MONACHI, ATQVE OLIM IN ROMANA CVRIA PROCVRATORIS AD ILLVSTRISSIMVM ATQVE EXCELLENTISSIMVM D. FRANCISCVM CAIETANVM SERMONETAE DVCEM EIVSDEM BONFACII GENTILEM.
ROMAE.
TYPIS HEREDVM CORBELLETI M. D C LI.

CONSPECTVS.

§.I. STructura operis & ſubſidia indicantur. §. II. Bonifacii familia, ſtudia, Legationes. §. III. Petri Moſori in Coeleſtinum V electio, eiusdemque renunciatio. §. IV. Bonifacii electio; & cauſa cur Coeleſtinum V detinuerit in cuſtodia. §. V. Encyclica de Electione Bonifacii IIX. §. VI. VII. VIII. IX. motus Siciliæ, Franciæ & Angliæ, Scotiæ; Pannoniæ &c recenſentur. §. X. Studium Bonifacii circa amplificandam Eccleſiam. §. XI. Circa Cardinalium dignitatem. §. XII. Inſtitutio Iubilæi a centeſimo anno. §. XIII. Libri Bonifacii, Academiæ fundatæ. §. XIV. Calumniæ in Bonifacium ex inuidia. §. XV. fontes disſidii inter Regem Galliæ & Pontificem. §. XVI. Authoris de eo iudicium. §. XVII. Bonifacius priuilegia Philippi ſuſpendit. §. XVIII. Literæ Bonifacii ad Philippum. §. XIX. Discordiarum maius incrementum. §. XX. Bonifacius Philippum excommunicat §. XXI. Bonifacius capitur. §. XXII. Innocentia Bonifacii per Concilium Viennenſe declarata. §. XXIII. Libri ſecundi argumentum. §. XXIV. Cauſa communis in Bonifacium odii §. XXV. Varia mendacia reteguntur. §. XXVI. Conuitia de vulpino Bonifacii introitu refelluntur. §. XXVII. An Bonifacius Pontificis dignitatem ambiuerit? § XXVIII. An leonis inſtar imperitarit? XXIX. An in publicum coronatus prodierit? §. XXX. Aulicis Philippi disſi-

ſidiorum origo adſcribitur. §. XXXI. *Bonifacii beata mors.* §. XXXII. *Duo eius indicia* §. XXXIII. *Iudicium de toto libro eiuſque Auctore.*

§. I.

OPus hoc in duas diuiſum eſt partes. Altera vitam & res a Bonifacio geſtas illuſtrat; Altera defendit. Præfatio Lectorem cupit veritatis amantem; non vile cuiusquam opinionis mancipium. Teſtimonia promittuntur non multa; ſed tamen fidelia; quæ accepta potisſimum feruntur *Oderico Rainaldo* Congregat. Orat. in Vrbe Moderatori; *Conſtantino Caietano*; cuius alias laudes a *Leone Allatio* celebrantur; *Martino de Gigliis* Patricio Lucenſi; *Franciſco Albizio* ſacræ Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis Adſeſſori & denique Cardinali a *Balneo*, cuius beneficio Acta Archetypa attribuuntur. Nos ea qua fieri poteſt breuitate ea quæ notatu digna videbuntur, recenſebimus, iudicium tandem ingenuum ſubnexuri.

§. II. Liber primus XXII. capitibus abſoluitur; ex quibus primum agit de nobilisſima *Caietanorum* familia; vnde tot tantiq; prodiere principes, quos inter *Gelaſius II.* & *Bonifacius IIX.* quem defendendum ſuscepit Au-

Auctor, Sedis Romanæ Pontifices. Hic Bonifacius dictus primum Benedictus maxime ſe ad Iuris ſcientiam applicuit; in qua quantos fecerit progreſſus, liber decretalium VI. oſtendit. Canonicus primum Eccleſiæ Tudertinæ factus, Romæ tandem per omnium dignitatum gradus ad ſummum maieſtatis apicem adſcendit. A *Martino IV.* purpura dignisſimus habitus eſt; ſed quam per *Nicolaum III.* demum obtinuit, variis interim legationibus prudentisſime functus, fauſto plerumque ſucceſſu, raro aut nunquam infelici. Quæ omnia cum Author ordine recenſuiſſet, ad Electionem *Coeleſtini V.* demũ progreditur; vbi futurus Benedicti in defendenda Eccleſia zelus prælufit, Carolo Siciliæ Rege, morantibus in electione papæpatribus fruſtra quempiam deſignante, in quem vota coniicerent.

§. III. Cap. II. exponit *Petri Moſori in Coeleſtinum V.* electi patriam, innocentiam, ſanctitatem; Viri cætera laudatisſimi niſi quod neceſſariis ad Pontificatum virtutibus deſtitueretur. Hinc ergo a Cardinalibus vrgebatur vt dignitatem acceptam deponeret, Benedicto interea quaſi Domino Curiæ ſolo rerum potito. Coeleſtinus ſanctæ ſimplicitatis exemplar conſulit Benedictum, an licitum ſibi ſit ſummas habenas moderanti Ponti-

tificatui renunciare. Benedictus rem plenam periculi credens primum diſſuadet. Iterum interpellatus conſentit, ſiquidem conſentaneam Coeleſtinus cauſam habeat. Vbi obiter monet Auctor immerito apud poſteros vapulare Benedictum, quaſi faſcino induxiſſet Coeleſtinum ad renunciandum. Aliud enim ex *Stephaneſio* patere, qui vitam Coeleſtini carmine deſcripſit; aliud ex *Aegydio Columna* de renuntiatione Papæ cap. 23. & aliud denique ex ipſa Coeleſtini prouida cura, qui huic nondum acquieſcens reſponſo ſacri ſenatus concilium conuocauit, in quo vnanimi decreto permiſſum ei eſt, quod petiit. Quæ res miraculo comprobata eſt. Coeleſtinus enim claudam ſanauit *ingenti* vt noſter ait *exemplo, diuinam prouidentiam peculiari ac præſtantiori modo ſuæ adeſſe Eccleſiæ ac preeſſe.*

§. IV. Tertium caput enarrat, *Benedictum* communi Purpuratorum conſenſu ſupremas infulas acceptaſſe, ſed oblatas doluiſſe; *adeo procul*, inquit Author *fuerat vt per malas artes ambiret.* Quod autem *Coeleſtinum* arctæ cuſtodiæ incluſum adſeruauerit, id ſchiſmatis metu factum eſſe contendit; ne *Coeleſtinus* ſingulari innocentia, continuisque miraculis clarus, quorundam hominum audacia ad ſuprema inſignia repetenda repellere-

tur

tur. Falſum igitur eſſe, quod aliqui de Bonifacii in Cœleſtinum ſævitia confinxere, qui benigno eum carcere detinens mortuum luxit. (*vt forte Pompeium Caſar*)

§. V. Encyclicam exhibet Author, quam de ſua electione ſcripſit Bonifacius; huic adiiciuntur quædam ex literis ad Philippum Galliæ Regẽ datis excerpta: quibus ad regias virtutes eum exhortabatur Pontifex, non omiſſis ſanctioribus conſiliis, quibus ad rempublicam bellis laceram componendam tum temporis opus erat.

§. VI. Prima ergo vt cap. V. oſtendit, Bonifacii cura fuit Sicilia, vbi motus inter Iacobum Arragonium & Carolum Valeſium componebantur: Sed qui breui reuiuiſcunt poſtquam Siculi Iacobi fratrem Fridericum in Regem popoſcerant. Hunc Bonifacius pollicitationibus, nuptiisque Catharinæ Imperatoris Conſtantinopolit. filiæ aliorſum flectere fruſtra conatur; cum interim Siculi legatum Pontificis ſalubriora ſuadentem vi expuliſſent; Vnde anathemate percutiuntur cum Friderico ſuo; fortuna belli ancipite aliquandiu manente.

§. VII. Bonifacius Odoardum Angliæ Regem monet; vt ſenectutis ſuæ memor a bello contra Philippum Galliæ Regem abſiſteret, literis inſimul ad Adolphum Imperatorem

exa-

exaratis, *ne vellet tanquam gregarius miles facere ſtipendia ſub Anglo.* Cumque difficiles aliquantum ſe præbuiſſent belligerantes, ſub anathematis pœna belli ferias indixit; omniaque ſuæ permitti voluit cenſuræ. Reges obtemperant. Romæ pax concluditur A. 1298. cuius conditiones recenſet Author. Nouum deinde exarſit bellum Adolphum inter, & Albertum Auſtriacum; cæſo Adolpho Albertus eligitur Imperator; Bonifacius improbata prius electione, eum tandem confirmat ſubmisſisſimis Alberti literis commotus.

§. IIX. Cap. VII. De motibus Scotiæ tractat; vbi Alexander Scotorum rex vitam finiens vnicam neptem heredem regni reliquit. Hæc deſponſata Odoardi filio moritur, antequam in thalamum eſſet traducta. Odoardus ſupremus Scotiæ Dominus Iohanni Baliolo regnum ea lege decernit, vt ſe Beneficiarium Angliæ profiteretur. Annuit Baliolus, ſed cum iuſtitiæ non rite adminiſtratæ reus poſtularetur, fœdere Gallorum ſuperbiens, Angliam inuadit; moli autem impar imperio exuitur, & ad turrim Londinenſem ablegatur. Bonifacius ſuadet Odoardo, vt Baliolum libertate data reſtitueret; in quo obſequitur; ſed cum denuo Pontifex Odoardum literis incuſatum ob raptum Scotiæ regnum ad rationes reddendas ob-

obſtringeret, ille tam diu ſe defendit donec Bonifacius *æqui obſervantisſimus victoriam dediſſet ei, penes quem ius ſtabat.*

§.IX. Cap. IIX. multa memoranda de turbato Hungariæ aliarumque prouinciarum Statu comemorat. Ladislao enim Hungariæ Rege Cumanorũ inſidiis ſublato, regnoq; ad Carolũ Martellum deuoluto Andreas, dictus alias Venetus iniuſte faſces intercipit; quod Bonicius ægre ferens Carolum Martelli filium in Purpuratorum conſeſſu Regem creat, qui tamen rebus ſic expoſcentibus, regio nomine contentus eſſe iubetur, donec mortuo Andrea in Strigonienſi eccleſia commode poſſet coronari Hungari rebus nouis intenti Wenceslaum Bohemiæ Regem euocant; qui regnum recuſans filium mittit Vladislaum. Inde ira Bonifacii immanis ob ſpretam ſui authoritatem. Wenceslaus monetur, vt alieno abſtineret; regno Hungarique ſeuero interdicto Sacris prohibentur. Obediunt Præſules non pauci; alii refragantur; Pſeudo-Clerici propterea dicti; quod Bonifacium eiusque ſuffraganeos excommunicaſſent. Sed vincit tandem Bonifacii authoritas; deſertoque Wenceslao Carolus accipitur. Poſt hæc noui in Polonia tumultus exoriuntur; Ladislao Loctoco in Poloniæ Comitiis depoſito; & Wenceslao Bohemiæ Rege in locum eius electo. Ergo Bonifacius graui-

uiter in hoc facinus invehitur, agit, molitur, ſed molientē mors opprimit; dum Templarios interim Regi Cypri, Genuenſes Venetis, multos Italiæ populos Eccleſiæ conciliauerat; & Florentiæ præcipue Alborum & Nigrorum factiones oppreſſerat. Vnde diuerſarum ciuitatum grati in eum animi monumenta, quæ ordine leges apud Authorem, ſtatuasque quas poſuerunt æri inciſas videbis.

§. X. Caput IX. Bonifacium magnum ſiſtit in amplificando Eccleſiæ ſplendore. Nam miſſis Ordinis S. Dominici religioſis Viris ad Tartaros, Saracenos, &c. aliosque Septentrionis incolas ad veritatis & fidei lumen eos vocauit. Nec minori zelo in hæreſes inuectus Hermannum Pongiluppum, & Gvilielmam quandam ficta ſanctitatis ſpecie vulgo imponentes, hæreſeos poſt mortem conuictos effodi e terra iuſſit, & comburi. Fratricellos & Biterrenſes infamia notatos Aprutinis montibus & Italia exegit; & ne quidpiam ornandæ Eccleſiæ deeſſet Decretalium VI. edidit, magnis propterea encomiis a diuerſis ſcriptoribus celebratus. Quas inter conſtitutiones eam maxime laudat Author, qua ex ſubiectione Romanam Eccleſiam vindicauit; *eique & eius capiti creaturam*

omnem humanam, omnemque poteſtatem ſubiici declarauit.

§. XI. Caput X. oſtendit quantum incrementi adiecerit ad eminentisſimam Cardinalium dignitatem Bonifacius; qui vſum purpuræ conceſſum ratum iis habuit; puniendos ſimul decernens, qui ipſis iniuriam inferrent; cumque a Laico magiſtratu iniuſtus ſæpe titulus prætenderetur, ad Clerum exhauriendum, ſanxit tandem Bonifacius ne ab Eccleſiaſticis perſonis tributa exigerent Principes; neue eccleſiaſtici iniuſſu Papæ ſoluerent, quoue efficacia ſua huic decreto conſtaret, clericos ſemper ab iniuſta aliorum oppresſione defendit. Exempli loco Author affert Ericum Daniæ Regem, qui Iohanni Grandis Archi-Epiſcopo Lundenſi in carcere detento IL Marcas ſoluere tenebatur, poſteaquam prius ſupplices Regis literæ *nobilisſimum Bonifacii pectus* ad remouendum anathematis fulmen commouerant. Adeo nihil intermiſit Pontifex, quod ad vſum & immunitatem eccleſiæ ſpectabat.

§, XII. Capur XI. mentionem iniicit iubilæi, quod a. 1300. ſplendidisſimo apparatu propterea celebrauit Bonifacius; vt ex tot peregre aduentantium multitudine conſtaret, in Romana, ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia quærendam, & inueniendam fidem

fidem eſſe. Vbi notatu imprimis dignum eſt, quod Rubeus euincit; *Bonifacium videlicet primum fuiſſe qui a centeſimo anno Iubilæum inſtituit, & celebrandum poſtea conſtituit.*

§. XIII. Caput XII. inſigniter laudat Bonifacium, quod tot neceſſitudinibus implicitus, libris tamen ſcribendis vacauit. Scripſit enim (a) de Chriſtianæ fidei & Romanorum Pontificum perſecutionibus; de regulis iuris; de Indulgentiis anni Iubilæi; Epiſtolas plures; quarum duæ extant apud Matthæum Weſtmonaſterienſem; orationem Aue Virgo glorioſa, VI. Decretalium librum doctorum aliquot opitulatione peractum publicauit; Regeſtique illius volumina in Bibliotheca Vaticana adſeruantur. Duas præterea compoſuit Panegyricas orationes in laudem S. Ludouici Francorum Regis. Itaque doctiſſimus ipſe doctis fauit. Inſtituit Academias Apameenſẽ, Firmianam, & Auenionenſem; Romanam ornauit, cumque & amplificandæ & defendendæ Eccleſiæ ſupra humanam pene fidem inuigilaſſet, tam gratum ſtudium illius cœlo extitit, vt ſancta illa ædes, in qua verbum caro factum eſt angelorum mani-

(a) *Vereor ne Bonifacius Papa confundatur cum Bonifacio Simoneta, qui circa A. 1490. claruit, cui hic liber alias tribuitur. conf. Olearii Abac. patrolog. p. m. 92. item Henrici Whartoni Append. ad Hiſt. lit. Cauei p. m. 120.*

nibus e Syria poſt diuerſa itinera in Picenum deuecta, ſtabilem fixamque ſedem in Recinatenſi colle, Bonifacio ſedente, & toto orbe mirante ceperit.

§. XIV. Quemadmodum vero vmbra corpus, ita inuidia virtutem Bonifacii ſequebatur; quod toto capite XIV. demonſtrare ſatagit reuerendus pater. Inde quippe, ait, eſſe illa conuitia, intraſſe eum vt vulpem, & regnaſſe vt leonem. Inde tot calumnias, quibus alienior ab eo factus Philippus Franciæ Rex, quem tamen tantis, & tam ingentibus meritis deuinxerat. Quapropter in eo totus eſt, vt veras disſidii huius cauſas ex authenticis documentis, Pontificiis bullis, actis Bonifacii, & Philippi coram Clemente V. produceret, & falſas refelleret.

§. XV. Capite XV. igitur diſſenſionum Bonifacii cum Philippo Rege fontes aperiuntur. Alter doctorum Sorbonæ Pariſienſis iudicium de renunciatione inualida Coeleſtini, & electione friuola Bonifacii. Alter ſanctio Bonifacii iubentis clerum immunem eſſe a vectigalibus perſoluendis; neue dubii quidpiam ſupereſſet, ipſius Bonifacii literæ ad Philippum datæ adnectuntur, vnde paternus amor, paſtoralis cura, & prudentia ad huc ſingularis elucere dicitur.

§. XVI. Poſt alias diſſenſionis cauſas enume-

meratas Author capite XVI. bona lectoris venia ſuum iudicium interponit, conaturq; defendere, Bonifacium & Philippum, dum alter alterum e fictitio verum hoſtem credit, pernicioſo disſidio & materiam & incrementum dediſſe.

§. XVII. Capite XVII. Bonifacius ſuſpendiſſe dicitur priuilegia Philippi, quorum tantus fauor erat, vt decimas exigere a clericis licite poſſet. Eum in finem Romæ concilium indictum eſt, cuius argumentum ex bulla pontificia, quam Auctor ex bibliotheca Cardinalis a Balneo adducit, clarum eſt. Inſeruntur quoque literæ Bonifacii ad Philippum datæ longisſimæ, & vt noſter credit, *maieſtatis plenæ*.

§. XVIII. Has autem propterea ſe adieciſſe affirmat Auctor cap. XVIII. quod eas ipſas exiſtimet fuiſſe quas tam infenſo calamo proſecuti fuere Bonifacii hoſtes. Et ne quisquam interpolatas eas fingeret; aut alias quas aduerſarii ſubſtituerant, genuinas fuiſſe, crederet; tribus probationibus opinionem ſuam ſtabilire tentat; quarum prima eſt: quia Nogareti & Plaſiani inimicisſimæ accuſationes nusquam meminerunt aliarum. 2. quia ratio temporis conſpirat, quo literæ illæ ſcriptæ; Archidiaconus Narbonenſis eas detulit; & Atrebatenſis flammis conſumit.

 3. quia

quia Prælati in ſua ad Bonifacium reſponſione eadem quæ ſuperius tradita fuere repetunt, & vnum eundemq; diplomatis ſenſum ſeruant. Poſtea reſpondet obiectioni, qua prælati alia recitaſſe verba dicuntur, quæ in citatis literis non extant; ea maxime: *Philippi regnum quod a ſolo Deo ipſe & prædeceſſores ſui tenere recognouerunt temporaliter, Bonifacio ſubeſſe, illudque a* Bonifacio *tenere ipſum debere.* Ipſos enim inquit, fateri Prælatos, ſe iſta ſuis non legiſſe oculis, ſed accepiſſe ex parte regis. Literas vero ipſas paucisſimos inſpexiſſe, quas Comes Atrebas e manibus Narbonenſis raptas Vulcano deuouit; nec Philippus ipſe legit, ſed male intellectas flammis permiſit.

§. XIX. Cap. XIX. enarrat lenisſima remedia quibus iracundiam Regis emollire frustra Bonifacius laborauerat. Archidiacono enim Narbonenſi e Gallia exire iuſſo, Philippus comitia regni conuocabat. In his Petrus Flota grauiter in Bonifacium inſurgit, prælatique Galliæ in verba regis iurare coguntur, quorum tamen quidam cum vitæ periculo Romam euadunt, cæteris ſe apud Pontificem excuſantibus. At dum rex commercium cum Romana curia interdicit, veritus ne Bonifacius Eccleſiaſticum iacularetur fulmen; Flandri inſurgunt nimiis tributis vexatii

xati Philippum clade ad Cortracum afficiunt; & Comitem Atrebatenſem, & Flotagm præcipue maledictis inſanientes in Bonifacium vicarium DEi occidunt. Sub idem tempus Bonifacius comitia Romæ celebrat, in quibus illa conſtitutio procuſa: Vna, ſancta, Catholica eccleſia &c. quæ grauisſimos in Gallia motus exciuerat. Et ne nihil eorum præteriret, quæ regem poſſent reducere, articulos dedit regi proponendos, quo ob fidem aliis faciendam integros refert Auctor.

§. XX. Cap. XX. literas Bonifacii producit ad Iohannem Cardinalem Monachi datas, in quibus oſtenditur regias reſponſiones idoneas non eſſe. Ea propter iusſit Bonifacius Regem extorrem fidelium communione denuntiari, cum interim Philippus a Bonifacio ad futurum Papam ſeu concilium prouocaret & Nogaretus adſereret, B*onifacium Papam non eſſe, eſſe autem hæreticum manifeſtum, horribilem Simoniacum &c.* Hinc Bonifacius crimina obiecta per literas purgat; Academiam Romanam, quæ in partes Bonifacii ſeceſſerat præmiis, Pariſinam, quæ regis cauſam defenderat, pœnis afficit; rebusque deſperatis Albertum tandem & Odoardum ad bellum Gallis inferendum exhortatur.

§. XXI. Caput XXI. cauſas affert, quæ

Philippum magis magisque in Bonifacium, accenderunt. Sciarra Columna, patruus eorum, quos purpura pontifex & ſtipendiis eccleſiaſticis priuauerat, conſilium Philippo de eo capiendo dediſſe dicitur. Cui Philippus annuit, & Guilielmum Nogaretum & Muſciatum Franceſium in Italiam mittit, vt Bonifacium prehenderent; qui proditus tandem ab Anagnienſibus capitur, ſed breui liberatus Romam reuertitur, pie ibidem & catholice ſpiritum reddens. Memoratu imprimis dignum videtur, quod aſſerit Auctor; corpus Bonifacii, inuentum hoc ſeculo (A. 1605.) integrum & incorruptum fuiſſe, manifeſto ſatis indicio deliria eſſe, & fabulas, quæ de corroſis digitis, & capite parieti illiſo nonnulli confinxerunt.

§. XXII. Caput XXII. & vltimum disſidia declarat, quæ poſt obitum Benedicti XI. Bonifacio ſuccedentis gliſcere cœperunt inter, Cardinales, quæ ſedata denique Clementi V. locum dedere, induſtria Cardinalis Pratenſis, & arbitrio Philippi in pontificem certis ſub conditionibus, quæ ab Auctore recenſentur, electo. Hic præter omnium opinionem, Bonifacium innocentem declarauit, approbante concilio, cuius damnare memoriam Philippo vrgente debebat. Anagnini ſeuera etiam conſtitutione damnauerunt impium

faci-

facinus, aqua igniquc proditoribus interdicentes. Ipſa vero Anagnia ſceleris horrendi ſcena diuinæ tandem vindictæ patuit, peſtilentia, fame, & plurimum ciuilibus odiis dilacerata. Nogaretus obiit intempeſtiua morte: ceteri coniurati a Catulanis militibus fuere interfecti; illuſtri apud bonos omnes argumento *initum Bonifacii pro iuſtitiæ defenſione certamen, cœlo & ſuperis gratum fuiſſe*.

§. XXIII. Liber ſecundus, vti ſupra innuimus, defenſionem Bonifacii continet; cuius ampliſſimas laudes exhibet Rubeus, clariſſimeque oſtendere conatur, viles propter ea aduerſariorum quascunque accuſationes videri debere, quod apud omne æuum ſolemne nonnullis fuit, ſummos ſanctiſſimosque eccleſiæ Patriarchas odiſſe, calumniari, damnare. Adductis dein exemplis eum cum Gregorio VII comparat, qui aut paria, aut certe non diſſimilia cum Bonifacio fata habuiſſe fertur.

§. XXIV. Caput igitur primum originem proponit ac rationes, quibus plurimi inducti ambitionis eum, auaritiæ, tyrannidis, hæreſeos, & criminum fœdiſſimorum inſimularunt. Quippe iſtud maxime nonnullis commouerat bilem, quod gratias a Cœleſtino factas & executioni nondum mandatas iusſiſſet irritas haberi. Alios dein miſeri-

ricordia in Coeleſtinum egit tranſuerſos. Alios ſtudium in Albertum Imperatorem; hos veneratio Philippi, illos amor Friderici, & rurſus alios huius vel illius principis aut reipublicæ prætenſa commoda, vel damna. Quibus acceſſit, quod vniuerſo prope orbe ius dixerit, emergentium autem quæſtionum litigia ſine alterius litigantium læſione definiri nequeant.

§. XXV. Caput II in eo maxime occupatur, vt tot falſiſſima mendacia retegerentur, nec pauciores calumniæ accurate refutarentur. Hinc præter ea quæ ſuperiori libro iam diſcuſſa fuere, Bonifacius a peſtilentisſimo errore, quem circa immortalitatem animæ fouiſſe dicitur, liberatur, & a Magia, maledicentia, cæterisque criminationibus, quibus per Nogareti libellum famoſum adſpergebatur, maſcule defenditur.

§. XXVI. Caput III. copioſius aliquid eloquitur de notisſima illa calumnia, quæ Bonifacium *vt vulpem intraſſe in ſupremam ſedem, vt Leonem regnaſſe, interiiſſe vt canem falſo conuitiatur*. Ordine hic Auctor procedit, & de ingreſſu primum ſedulo monet, vnanimi orbis chriſtiani conſenſu verum eum Pontificem habitum fuiſſe; nec Bonifacium, ſed Cardinales Coeleſtino perſuaſiſſe vt renunciaret. Quid? quod etiamſi Benedictus vt adver-

verſarii volunt reuera Auctor renuntiationis a Coeleſtino factæ fuiſſet, non dubitat tamen Rubeus defendere eum,& vt prudentem nauclerum commendare , qui licito quodam ſtrategemate eccleſiæ nauim conſeruaſſet, & vt clauus peritiori cederet effeciſſet. Sibi vero ait cauſæ nihil apparere, cur talia ſuaderet Cœleſtino; maxime cum, vt Lucenſis ſcribit, *dominus eſſet curiæ, omniaque apud Coeleſtinum poſſet, & regeret.*

§. XXVII. Poſtquam igitur ſatis euictum credidit Auctor, nihil fraudis interueniſſe in renunciatione Coeleſtini, iam vlterius disquirit Cap. IV. an Bonifacius ſupremam ſedem ambiuerit; aut ſi ambiuiſſet,an vulpinus propterea, an fraudulentus, an abominandus foret habendus ? Prius ille humanum dicit ; poſterius non abſurdum , ſed laudandum potius in Bonifacio, vt qui præſtantia ſua anguſtiis preſſæ & calamitatibus flagellatæ eccleſiæ ſuccurriſſet. De cetero incredibile prorſus exiſtimat, Cardinales omnes priuato ſtudio, Simoniæ, dolo, fraudibus uehementer adeo litaſſe, ut contra omnem eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem errauerint aut ſuccubuerint.

§. XXVIII. Caput V. ſecundum accuſationis caput pertractat quo leonis inſtar ſumma crudelitate eum imperitaſſe crimi-

nan-

nantur. Cumque ex aduerſariorum ſententia duo ſint, quæ accuſationem hanc conficiunt; doctrina videlicet eius, & res per eum in pontificatu geſta; idcirco multis probare tentat Rev. Pater, doctrinam illius nedum non ſtrauiſſe iter tyrannidi; ſed orthodoxam potius, ſanam ac vtilem eccleſiæ fuiſſe; eaque omnia quæ Bonifacius tum in his conſtitutionibus cum alibi docuerat, Apoſtolicis ac antiquisſimis temporibus conformia videri &c.

§. XXIX. Geſta vero illius non minori luce fulgere Cap. VI. reſtatur; vnde velut delirium videtur Ioh. Cuſpiniani traditio, qui enſe accinctum & coronatum in publicum prodiiſſe Bonifacium affirmat, & inquiſſe: *Ego ſum Cæſar & Pontifex &c.* Hoc enim figmentum ex Bonifaciano Decreto vbi legerunt, *gladium eſſe ſub gladio*, ortum traxiſſe. Quod autem belligerantibus inter ſe principibus chriſtianis pacem imponere, & ad ſancta ſubſellia eosdem comparere iusſit; *id boni patris officium, aut fidelis paſtoris munus efflagitaſſe*, cui vitioſum *ſanare pecus incumbit.*

§. XXX. Hunc in finem capite VII. amplius deducitur Bonifacii prudentia & paternus animus in cauſa, quam habuit cum Philippo Galliarum Rege, & Coeleſtino V. Philip-

lippum non audet Auctor inſimulare criminis, ſed culpam omnem in aulicos transfert, & eiusdem miniſtros, quorum opera deluſus ſe ipſum immeritus tanto ſcelere commaculauerit, Pontificiam maieſtatem ad iram prouocando. Coeleſtini vero cuſtodiam ita extenuat, vt crederes eum laute admodum vixiſſe, nec in carcere, ſed in palatio adſervatum laxioribus vti noluiſſe.

§. XXXI. Caput VIII. fatetur Bonifacium breui abreptum morte fuiſſe, non tamen canina vt aduerſarii debacchantur. *Melior enim* inquit noſter, *erat illius vita, quam vt pesſima eam mors exciperet.* Igitur vana eſſe, quæ comminiſcantur alii, quaſi illidens præ infania caput parieti digitos corroſerit, carnes præ furore lacerarit, cum potius, vt acta illius confirmant, articulos fidei omnes more aliorum Romanorum Pontificum recognoſcens, & confeſſus coram octo Cardinalibus in palatio Vaticano animam Deo reddiderit, fidei, iurium, vnitatis eccleſiæ, Pontificiæ maieſtatis & auctoritatis defenſor, ac propterea Martyr.

§. XXXII. Et ne cuiquam amplius dubium hæreret pretioſam in conſpectu Domini Bonifacii mortem fuiſſe, duo cap. IX. afferuntur argumenta. Vnum eſt concilium Vienneneſe, quod Clementis V. auſpiciis habitum in-

innocentiæ eiusdem firmiſſimum teſtimonium exhibuit. Alterum miraculoſa Bonifaciani corporis inuentio, quod diuina prouidentia illæſum propterea ac illibatum adſeruauit, vt aduerſariorum linguas confunderet, & integritatem vicarii ſui demonſtraret. Cætera quæ adnectuntur diplomata pontificia ſunt, aliaque monumenta, quæ rebus Bonifacii illuſtrandis faciunt, & quorum argumenta ſuperius, quantum licuit, fuere indicata.

§. XXXIII. Iam ſi ex me quæris B. L. quo pretio mihi ſit, quoue cenſu veniat Auctor, ecce meum breuibus iudicium! Adulator eſt, aſſentator, encomiaſtes, declamator, ac idoli Romani perpetuus cultor. Hiſtoricum eum appellare non audeo, quia primas hiſtoriæ leges neglexit, quæ ſecundum Ciceronem lib. 2. de orat. cap. 15. eo collimant, *ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri dicere non audeat; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit, ne qua ſimultatis.* Neutrum hic deprehendes. Quo enim fine talia ſcripſerit dedicatio ad Franciſcum Caietanum ſatis innuit, quo candore Ordo S. Benedicti indicat, qua libertate pontificia religio demonſtrat. In præfatione quidem multa garrit de veritate; ſed medios inter hos ſuſurros nec ipſe ſe ab illorum ſcriptorum numero eximit, qui quantum ad

hi-

hiſtoriam pertinet, aliquid ſunt mentiti. Optima confeſſio, quam propter veritatis candorem, qui deſideratur alias, ſuſpicias. Quod enim faſſus eſt, offendes reuera, nec ſcio an quiſquam adulationi plus dederit, aut dare amplius poſſit. Ambitio Bonifacii *generoſus animus eſt*, impietas *pium deſiderium*, malæ artes *prudentia, pertinacia, fortitudo*, ira *æmulatio* cumque Platina aliique vno ore confirment, ficta eum voce Coeleſtino V. impoſuiſſe, vt pontificias infulas deponeret, noſter, quod mireris, tanta impudentia eſt, vt oblatas doluiſſe Bonifacium affirmet. Si quæris, quo auctore? *Stephaneſium* ſibi citat, hominem poetam, qui coronationem Bonifacii deſcripſit, quiue tantum ſibi permiſit, quantum Horatius huius generis hominibus licere in arte poetica dixit. Igitur optionem tibi relinquo, an cuſtodiam Coeleſtini vt carcerem velis intueri, an vt palatium. Apud Platinam alia deprehendes, ac diuerſa, cui vni ſane plus credo, quam ſeptem Romanæ ſedis mancipiis. Sed ita eſt. Iam diu vera rerum vocabula amiſimus. Inde Rubeo *paternus amor eſt*, quod alii tyrannidē appellant; *paſtoralis cura quod* nos πολυπραγμοσύνην dicimus; *publicæ tranquillitatis cuſtodia*, quod diſſenſiones alii, lites, flammas, tumultus crepant. Itaque cum Regibus Bonifacius illuſit, Impera-

ratores excommunicauit, principibus inſultauit, eos filialis ſolum obſequii admonuit; cum Philippo pro imperio quædam iniunxit, Philippus eum non intellexit, & cum denique Albertum Auſtriacum ſacris primum interdictum, in imperio confirmauit, paternæ miſericordiæ viſcera commoueri ſibi paſſus eſt. Agnoſce temerarium monachi ſtylum! Iam ſi occurrant aliqua, quæ nulla ſpecie defendi, nullo colore excuſari poſſunt, illa plane omittit. Sic odium in Gibellinos extremis tantum digitis tangit, ſic immutata eccleſiæ verba: *Memento homo quia Gibellinus es & in cineres conuerteris*, doloſe reticet, quibus pronunciatis cineres in oculos, nō in caput Procheti Archipræſulis Genuenſis coniecit. Quod ipſum & Platina refert, & Natalis Alexander Tom. VII. p. 35. ex Aegydii Cardinalis Viterbienſis MS. In eo vero ineptus plane Rubeus eſt; dum negat, Bonifacium in publico accinctum gladio, & corona imperiali ornatum exclamaſſe: *Ego ſum Cæſar & Pontifex.* item: *Ecce duo gladii hic.* Huic enim rei ampliſſimam fidem facit famoſa illa conſtitutio: *Vna, ſancta, Catholica eccleſia &c.* Vbi aut eadem verba, aut ſane ſimilia expromuntur. Cur autem factum neget Auctor, & verba, eorundemque ſenſum approbet, acutior me iudicet; vt nunc Kranzium ta-

taceam, qui Cuſpiniano in hoc aſſentitur, non vtique hæreticus, aut Pontificiæ ſedis inimicus. At ſcio: Rubeus ſolus ſapit. Authentica enim ſcripta inſpexit, publica monumenta adhibuit, Bullas pontificias in manibus habuit; literas invicem exaratas relegit. Bene! ſi his domeſticis teſtimoniis ſtandum eſt; aut ſi credendum monacho, cui cum primo quod intra coenobium hauſit, lacte iniunctum eſt, Pontificem venerari. Sed vereor non ſine cauſa, ne aliqui, quos veritatis ſtudium tenet, pleraque reiiciant, aut eadem ſaltem, qua ille in Gallicis monumentis excutiendis, libertate vtantur. At quid relinquitur, inquis, ergo? An tantum operæ, fruſtra in hoc libro excerpendo inſumſiſti? An nullius plane vtilitatis eſt? Nullius inquam, aut paruæ, niſi ex invento ſub initium huius ſeculi Bonifacii cadavere, coniecturare velis, circa mortem forte illius fraudi quidpiam datum eſſe, aut mendacio. De quo tamen ſagacioresvideant. Spondanus certe & Ciaconius Pontificii ſcriptores contrarium teſtantur; nobis autem non ignotum eſt, quanta iactantia alias de ſanctorum ſuorum corporibus, de quorum inuentione gloriantur, papalis ſuperſtitionis paraſtatæ loquantur. Ego interim hunc recenſendum potisſimum librum duxi, vt Pontificiorum

ſcriptorum adulatio, ſeruile in Pontificem obſequium, hiſtoricæque declamationes retectæ paterent.

OBSERVATIO V. DE STILO LAPIDARIO IVDICIVM.

CONSPECTVS.

§. I. *Inſcriptiones hodiernæ non conueniunt cum antiquis.* §. II. *Commendantur Smetius, Gruterus, Reineſius &c.* §. III. *Linguam latinam pro diuerſitate temporum variaſſe oſtenditur.* §. IV. *Archaiſmi Tiberii.* §. V. *Ciceronis oſores.* §. VI. *Mæcenatis cacozelia, Salluſtii brevitas.* §. VII. *Petronii numerus; Lucani tumor.* §. VIII. *Curtii hyperbolicus ſermo.* §. IX. *Notantur Plinii epiſtolæ, Panegyricus.* §. X. *Flori argutiæ, phraſes obſcuræ.* §. XI. *Apuleii affectatæ metaphoræ.* §. XII. *Summa Gothicis temporibus barbaries.* §. XIII. *Fons huius mali Peregrinarum gentium confluxus, & exterorum dominatio.* §. XIV. *Cur homines figurato ſermone vti malint quã ſimplici. Eius pericula.* §. XV. *Græca eloquentia ſub Phalereo decreuit argutias ſectante.* §. XVI. *Latinæ linguæ puritas reducta ſuperiore ſeculo; ſed rurſus amiſſa.* §. XVII. *Cauſa præcipua Iuſtus Lipſius, qui amavit argutias.* §. XVIII. *Notatur Chriſtianus Weiſius.* §. XIX. *Imitatores Lipſii. Mor-*

Morhoſii de ſtylo acuto iudicium. §. XX. *Taxantur Ieſuitæ potiſſimum Patres.* §. XXI. *Horum ſtylus, & præcipue Bernhardi.* §. XXII. *Exhibetur integra eiusdem epiſtola quæ inſcriptio eſt.* §. XXIII. *Iudicium de libro Ieſuitæ Bouhours: Penſées Ingenieuſes des Peres de l' Egliſe.* §. XXIV. *Reſpondetur Weiſio qui Patrum argutias concionatoribus ſuis commendat. Inſana ex Patrum declamationibus ac argutiis dogmata.* §. XXV. *Scriptorum argutorum aliquot obiectiones.* §. XXVI. & XXVII. *Perſpicuitas ſtyli laudatur. Hinc Cicero reliquis præfertur.* §. XXVIII. *Difficilius eſt ſcribere ſimpliciter, quam elate.* §. XXIX. B*arclaii dictio culpatur.* §. XXX. *Cicero ab obiecta verboſitate defenditur.* §. XXXI. & XXXII. *Reſpondetur ad Salluſtii auctoritatem prouocantibus.* §. XXXIII. *Senecæ ingenium laudatur, ſtylus reprehenditur.* §. XXXIV. *Item Taciti.* §. XXXV. *Grotii.* §. XXXVI. & XXXVII. *Quid plurium conſenſus poſſit in mutatione eloquentiæ indicatur. Frigidorum acuminum exempla.* §. XXXVIII. *An cæterorum auctorum Claſſicorum dictio reiicienda.* §. XXXIX. & XL. *Cur Cicero in adhibendis acuminibus parcus?* §. XLI. *Senecæ ac Salluſtii ſenſus interdum obſcuri ac inanes. P. Labbei elogia.* §. XLII. *Examinatur eiusdem Genethliacum Ludouico XIV ſcriptum* §. XLIII. *Poeſis in proſa eſt contradictio.* §. XLIV. *Damna ex ſtylo arguto, ſeu Poetico.* §.

 XLV.

286666

XLV. *Metaphoris quomodo vtendum* §. XLVI. *item homoeoptotis ac homoeoteleutis*. §. XLVII. *Ornamenta ſuperflua ſpernuntur.* §. XLVIII. *Exemplum dictionis exilis.* §. XLIX. *taxatur nimia gracilitas, & nimia ſuauitas.* §. L. *Quando ornatu vtendum & acuminibus.*

§. I.

ETſi ea ſuperſtitio nondum me tenet, vt omnem eruditionem in linguæ latinæ politiori cognitione, aut ſermonis Romani terſiore ſtilo ſitam exiſtimem; tamen ſi quid dicendum de eo eſt, veritati certe plus dandum eſſe videtur, quam aliorum opinionibus, qui hic etiam neſcio quas nugas agunt, cumque contemtu antiquæ puritatis ſordes pro murrina venditant, aut inſipidum quoddam dicendi genus pro acuto, vel ſi mauis arguto. Quod ſi enim hi homines attollere pauxillum oculos, & perluſtrare parumper vel forum Romanum, vel campum Martium, vel Appiam etiam viam vellent, forte non deeſſent aliqui, qui eos ad meliorem mentem reducerent, & peculiarem Romanæ facundiæ grauitatem perdocerent, ne turpiter amplius ſeſe dantes Inſcriptiones intempeſtiue creparent, aut ſuas de ſtilo Lapidario ineptias proderent.

§. II. Sed cum facile perſuaderi mihi patiar

tiar, vix eos tantum patientiæ habituros eſſe, vt ob deponendum aliquod corruptæ mentis præiudicium vel Romam adire, vel antiqua conquirere marmora vellent; ego quantum in me eſt, & *Martini Smetii*, & *Iuſti Lipſii*, & *Iani Gruteri*, & *Thomæ Reineſii* indefeſſi laboris opera iis commendo, vt exinde latinæ ſimplicitatis tenorem cognoſcant nec deridicula ingenii ſui commenta cum maſcula Romanorum grauitate amplius confundant.

§. III. Et licet quidem præfracte negare nolim, in ipſa etiam Vrbe pro diuerſitate morum diuerſam quoque dicendi ac loquendi rationem obtinuiſſe; & ante Ennii quidem ætatem cum ſine luxu atque magnificentia, ad huc ferme omnia eſſent; incultam plane ac pene dixerim rudem; Scipionum vero ævo vſque ad Auguſti tempora cum diuitiis ſuis non vti, ſed frui Roma inciperet, politum magis & excultum ſermonem inualuiſſe; * Sattamen ſcio omnia illa ornamenta ſi cum iis, quæ inſequentibus ſeculis irrepſere comparentur, modica adhuc fuiſſe naturæ conſentanea, ab omni affectatione aliena, totoque cælo ab iis diſtantia quæ poſterior ætas inuexit; & male ſana prurientium ludimagiſtrorum turba in peius formauit,

* Conf. *l'art. de parler de Mr. Lamy liv. 4. Chap. 7.*

§. IV. Vbi tamen neutiquam putandum eſt, nos *antiquos illos foetores ſectari velle*, quos tantopere *Octauius Auguſtus* in Tiberio exagitauit, (vid. Suet. in vit. Aug. cap. 86.) neq; etiam credendum nobis Tullii ſuadam diſplicere, qui ſupremam limam Romanæ eloquentiæ addidit: Miramur enim iſtud tempus, neque optare deſiſtimus, vt veſtigiis illis inſiſtant vniuerſi, qui ad frigide acutum dicendi genus declinant.

§. V. Sed vereor ne ſpes noſtra inanis ſit atque fruſtranea; quippe iam Ciceronis ætate in longe alia itum eſt. Vnde tot in ipſum obtrectationes ex æqualiũ ſuorum invidia provenientes: quo pertinet *Galli Aſinii Cicero Maſtix, qui parum integre, improprie, atque inconſiderate eum eſſe locutum volebat*; ſed cuius reprehenſionem *neque dictu neque auditu dignam eſſe Aulus Gellius iudicat* N. A. *lib.* 17. *cap*, 1. vid. *Morhof. diſſert. de Patauinitate Liviana cap.* 4. *p.* 499. *ſeq.*

§. VI. Poſtea cum maior indies luxuria inualeſceret, venuſtæ illæ translationes, pares ac conuenientes rebus, notæ aptæ ac ſuaves, remque ob oculos quaſi præſentem ponentes ceſſabant; & horridæ, obſoletæ, a rebus ignotis ductæ, diſpares, affectatæ in earundem locum ſuccedebant; adeo vt idem Octauius *cincinnos quosdam in Mæcenate ſuo per*

io-

iocum notauerit; (Suet. l. cit.) & *Seneca* epiſt 114. in Salluſtio *amputatas ſententias, verba ante exſpectatum cadentia, obſcuramque breuitatem ſerio culpauerit.*

§. VII. Nerone imperante adhuc magis turbide fluere incipiebat Romana dictio, poſteaquam inſana metaphorarũ dulcedo animos ſemel inuaſerat. Hinc ferrum videbatur Ciceronis facundia, aurum vero *Petronii* ſales, & corrupti eiusdem numeri ad ſeculi guſtum accommodati; qui denique pruritus ad Poetas etiam penetrauit, vt mediocres Virgilii ſenſus faſtidirent, eosque exceſſu quodam augentes in inanem cacozeliam deſinerent, *Lucani* exemplo cuius tumorem & *Scaliger* notauit, & ex eo *Cauſinus* lib. 3. de *Eloqu. ſacra & humana* cap. 10. ad quem lectorem remittimus.

§. VIII. Neque mihi dubium hæret quin ad eandem, aut paulo inſequentem ætatem Q. Curtius Rufus referendus ſit, cuius characterem ac ſtylum ſi quis vnquam certe *Iohannes Clericus* detexit, declamationes eius notando, ac hyperbolas quas iis ſæpe locis adhibuit, vbi talibus ampullis opus non erat; nec ſcio an iniuſtas ſuſpicandi cauſas quidam habuerint, qui eum propius ad noſtra tempora reiecere, ob ſimilem aut ſane non diſparem tumorem, quem in *Barclaii Argenide*

de vniuerſa pene Criticorum ſchola obſervauit vid: *Art. Crit: pars III. Sectio III. cap. 1. ſeqq.*

§. IX. Quemadmodũ autem Traiani æuo omnia nouis efflorеſcere auſpiciis incipiebant; ita etiã noua ac inuſitata dicendi forma, brevis ac ludicra quædã dictio exoriebatur, quæ dicteriis, facetiis, & Græcis ac latinis ſententiis reſperſa, Attico dicendi generi locum fecit, cuius elegantia *Plinius Iunior* quoque captus tales nobis epiſtolas reliquit quæ ad Ciceronis ſuauitatem non adſurgunt; vt nihil de Panegyrico eiusdem dicam, qui a priſca ſimplicitate ac perſpicuitate nimium quantum deſciſcit; licet aliis cum *Michaele Neandro* tanta Plinii auctoritas ſit, vt nihil terſius, floridius, concinnius, nitidius, ſucculentius, acutius dici aut cogitari potuiſſe firmiter ſibi imaginentur. vid. *Morhof. Polyhiſt. lit. lib. 1. c. 23.*

§. X. Sed ſentient facile emunctioris naris Critici, hoc quidquid eſt fruſtra, & ex inepto quodam fauore dici; quibus aureæ ætatis ſcripta non incognita ſunt: nec dubito quin eadem æſtimatione *Flori* argutias plerique ſint emenſuri, quibus peregrina translationum copia inuiſa eſt; *Et vallum increpare ſaltu*, aliæque inconditæ phraſes ſtomachum faciunt.

§. XI.

§. XI. Quæ tamen omnia ſi ad *Appuleii* laſciuientem ſermonem comparentur, moderata adhuc videri poſſunt: quippe cuius in ſectandis allegoriis tantus exceſſus eſt, vt totus frigeat; tanta violentia, vt nec ii etiam eius latratus audire ac ſuſtinere poſſint, quibus alias parum accuratus de ſtilo ſenſus eſt. Ecce enim inſolentes quasdam metaphoras: *labiis vndantibus affectare roſas; Sorbillantibus ſuauiis ſitienter haurire, punicantibus phaleris in equitare cœlum;* quæ niſi fallor ridicula ſatis ſunt, niſi te magis delectet, *pediculos* ab eo *ſerpentes* nominari.

§. XII. Eſt igitur hæc corruptio maxima, quæ tanto latius ſerpſit, quanto propius ad Gothica tempora peruentum eſt, vbi ſumma barbaries inualuit, & tenebris vndique cincta ignorantia triumphauit.

§. XIII. In cuius mali originem ſi paulo diligentius inquirere, & quo caſu, quoue fato proprietas latini ſermonis, & natiua illa perſpicuitas decreuerit, inueſtigare velimus, non alias aut potiores, profecto cauſas inueniemus, quam peregrinorum confluxum atque colluuiem, exterorumque vt iam dictum, dominationem; quorum *regia*, teſte *Gravina dial. de Lingu. Lat. p. 131. vt peregrinis moribus, ita & verborum inſolentia ſcatebat; Indeque barbaries ſenſim influxit in vrbem, nouaq;*

multa in poſterioris æui ſcripta cum vocabula, tum etiam dicendi genera irrepſerunt, ut ii Scriptores ipſis latinis vocibus adhibitis nouam quandam reddiderint compoſitionem verborum atque commiſſuram, a quibus aures Romanæ, ſermonique purioris ſeculi adſuetæ plane refugiunt.

§. XIV. Quibus accedit quod plerique hominum non tam proprio ac perſpicuo, quam figurato ſermone delectentur; quippe qui & viuidiorem, & elegantiorem, & ampliorem notionem in audientium aut legentium animis excitare creditur; eo pene exceſſu, vt languere, & dormire incipiamus, niſi fulgura, tonitrua, tumultus, plauſus, gaudia ac triumphi mentibus noſtris perpetuo obverſentur. Vnde non poteſt non inſenſibilis quædam obſcuritas oriri, quia pleræque figuræ ita comparatæ ſunt, vt aliunde notum loquentis animum eſſe oporteat, ſi intelligere velimus, quæ ſesquipedalibus verbis iñuere ſibi propoſuerit. Semel autem affectibus occupati non dicta rigide expendimus, aut verba perorantis conſideramus, admodum contenti, ſi generalem aliquam imaginem nobis obiiciat; ſi leuem ſimilitudinem, ſi inane phantaſma ſenſibus noſtris occurrere faciat; cuius vaniſſimo adſpectu oculi detinentur, & a veritatis luce quam longisſime auertuntur. Quod ipſum præclare itidem

a *Quintiliano* obſeruatum cernimus qui *lib. X. Inſtit. cap. 4. cura verborum*, inquit, *derogat affectibus fidem; & vbicunque ars oſtentatur, veritas abeſſe videtur.* Conf. *Clerici Ars crit. part. 2. Sect. 1. cap. 15. n. 5. ſeqq.*

§. XV. Quo etiam ſpectat, quod alii circa Græcorum eloquentiam adnotarunt, cuius ſuccus & ſanguis incorruptus ferme vsque ad Phaleri ætatem extitit, qui primus inclinaſſe *Fabio eloquentiam* dicitur; (*lib. X. Inſt. C. 1.*) nec tam *armis, quam palæſtra inſtitutus* Ciceroni videbatur. Namque dum ſuauis videri maluit, quam fortis a naturali ad fucatum quendam nitorem deflexit, quo perfuſi animi non perfracti ſola aurium voluptate acquieſcebant. Ex quo non alia ſane prouenire dictio poterat, quam affectata; aut ſimilis aliqua confuſio, quæ linguæ Romanæ ſplendorem imminuit, & nil niſi luſus quosdam ingenii reliquos fecit.

§. XVI. Quod forte mirum cuiquam videri poſſet; poſteaquam expulſa barbarie, certatim viri eruditisſimi incubuere, vt Ciceronis virtutes denuo adſequerentur, & quod impolitum, rude, ac inconcinnum invenirent, ſine mora eiicerent; nec ſcio an *Manutii*, Bunellus, *Palearius*, *Caſelius*, *Scaliger*, *Sturmius*, aliique plures a prima illa puritate longius abfuerint, quam modis omnibus

qua-

quæſiuere, cupidæque iuuentuti nunquam non ampliſſimis encomiis commendauere. Sed vti eſt; *naturæ quadam iniquitate*, quemadmodum *Seneca* de ſuis temporibus loquitur, *ac ad malum pronitate eloquentia ſe retro tulit, eaq; quæ ad ſummum perducta fuere rurſus ad infimum velocius quam adſcenderunt, ſunt relapſa.*

§. XVII. Vbi non errauerim forte, ſi *I. Lipſium* præcipuum corruptionis huius Auctorem dixero: cuius authoritas circa finem ſuperioris ac initium huius ſeculi prægrandis in orbe erudito fuerat; quiue eo tandem ſe abripi paſſus eſt, vt nouum eloquentiæ genus fingeret, in quo argutiæ, adagia, hemiſtichia, græcæ ſententiæ & id genus alia, diverſa penitus ab ea ſcribendi ratione, quam iuuenis ſecutus eſt; cum adhuc Ciceronem legeret; eaque nondum potentia eſſet, vt ius ac normam dicendi pro arbitratu ſuo mutare poſſet. Ex eo enim tempore demum ruptis quaſi repagulis prurire incipiebant ſcriptores, ita vt epitaphia vbiuis ac triumphales arcus conſpicerentur; nec vlla ferme gratulatio fieret, nec dedicatio, nec laus nec vituperium lucem adſpiceret, quod eiusmodi floribus non reſperſum, vel metaphoris, alluſionibus, parecheſibus, breuiter, cacoze-

lia

lia ac frigida quadam affectatione plenum eſſet.

§. XVIII. Nolo me hic ſine ratione diſtendere, & ex Lipſio aliisque transſcribere exempla, quæ iam *Chriſtianus Weiſius* in ſuo de Argutis Inſcriptionibus libro exhibuit; Vir maioribus forte laudibus dignus, niſi & ipſe adoleſcentiæ ſuæ partem ludicræ dictioni conſecraſſet, & Præceptorum ſuorum vmbras ſequendo, argutiarum lactucas quæſiviſſet.

§. XIX. Sed per me quisque libertate ſua fruatur. Nos rem taxamus non perſonas, certi penitus, penitusque ab hoc die in peius omnia iuiſſe, nec pauciores prope *ſimias Lipſii* fuiſſe, quam noctuæ olim Athenis deprehendebantur. Non enim in Belgio tantum aliqui, *Svvertium* puto, & *Fratres Puteanos*, has amœnitates, ſi diis placent, ſecuti ſunt; verum etiam ex Polonis, Hiſpanis, Italis, Gallis, Germanis multo plures, qui cum *circumductum illud & fuſum dicendi genus exprimere non poſſent, pumilam aliquam dicendi rationẽ commenti ſunt*; quæ Morhofio teſte, *ſententiis argutis, ſed precariis, frigidis, & ineptis tanquam crepitaculis, & cymbalis velut aliqua morionum veſtis vndique ſonaret, & breuibus membris non flueret, ſed ſtillaret.* vid. *diſſ. de Patauinitate Liuiana cap. 4. p. 505.*

§. XX.

§. XX. In quorum cenſum, quicquid etiam aliis videatur, *Emanuelem Theſaurum, Iuglarem, Maſculum, Ferrarium, Matinam, Boldonium, Palatium, Maſenium, Balbinum, Auancinum, Petrum Labbeum*, aliosque huius furfuris homines absque vlla formidine refero; cum dubio pene careat, eos tantum detrimenti linguæ latinæ puritati, ac texturæ attuliſſe, quantum barbaris illis ſeculis homines rudes ac monachi; vel quod prætermittendum non eſt, *Sacro-ſancti Patres*, qui pari turbine afflati plus ingenio, quam veritati tribuere, luſibus quibusdam contenti, ac inanibus acuminibus, ita vt integra interdum pagina, vel etiam homilia nil niſi vana videatur inſcriptio.

§. XXI. In immenſum excurreret noſtra diſſertatio, ſi ex quouis Latinorum ſaltem Patrum arguta notare velimus loca. Declamat enim perpetuo *Hieronymus*; ludit non raro *Auguſtinus*; oſtentat verboſam facundiam *Ambroſius*; fundit orationis delicias *Cyprianus*; in omnibus autem modum plane excedit *S. Bernhardus*, cuius intuitu, credo ab Italis ac Ieſuitis cæteris, affectata ac puerilis illa dictio celeriter adeo recepta eſt, quam in *Aloyſio Iuglari, Drexelio*, aliisque ii etiam admirabantur, quibus in tanta luce difficile non fuiſſet has ineptias perſpicere.

§. XXII.

§. XXII. Exhibebo hic integram dicti Bernhardi epiſtolam LIII. quæ ad Haimericum Romanæ ſedis Cancellarium perſcripta de reliquo eiusdem ſtylo exactiſſime lectorem informabit. *Pro multis*, inſit, *& per multos memini me ſcripſiſſe ad Vos, ſed nunc ipſe qui loquebar, ecce adſum. Tres in duobus conſpicitis, quoniam absque me eſſe non poſſunt; in quorum iugiter pectoribus requieſco. & quidem ſecurius, atque ſuauius, quam in proprio. Mentiri videor, ſed ei qui amicitiæ vim nunquam ſenſit, qui virtutem charitatis ignorat, qui non credit multitudinis credentium fuiſſe cor vnum & animam vnam. Qui ergo videt eos, videt & me, & ſi non in meo corpore. Et quod loquuntur ipſi, ego pariter loquor ſed eorum linguis. Corpore fateor abſum, ſed hoc eſt exigua portio mei. Porro qui vidit faciem meam tantum, ſine culpa & ſine nota mendacii aſſerit ſe non vidiſſe partem mei, ſed me; cum tamen nonniſi partem, & partem modicam viderit. Quando itaque verius eſſe me dixerim etiam ſine præſentia corporis, vbi meam ſentio voluntatem, meum ſpiritum, & amorem, quæ vtique eſt pars potior digniorque mei. Tribus ergo in corporibus vnum nos eſſe noueritis, non pari ſanctitate, qua ambobus ego inferior ſum; ſed eadem voluntate, & ſumma concordia animorum. Cur enim diuerſitatem hanc inter diuerſos non faciat compago charitatis in vno ſpiritu; ſi carnalis co-*

pu-

pula efficit, vt ſint duo in carne vna? Quartum vos addi velim, ſi dignum iudicatis, & in eandem concurrere vnitatem dilectionis. Quod facile, ſi non contemnitis, obtinebitis; tantum id vos nequaquam contemnere, eis cognitum faciatis. Vale. Hæc obſcure ſatis & incongrue in epiſtola, quæ qnotidianis verbis texi debet, non ornatis, ſubtilibus, aut argutis.

§. XXIII. Ex quibus facile colligere eſt, quid de *Dominici Bouhours* Ieſuitæ Galli libro ſentiendum ſit, cui titulum fecit; *Penſees Ingenieuſes des Peres de l' Egliſe.* In eo enim adſtruere non tantum nititur, Patribus Chriſtianis eandem facultatem ingenioſe ſcribendi ac ethnicis ante Chriſtum natum fuiſſe; verum etiam eo deuenit, vt eosdem idololatris ac gentilibus omnibus longe præferat; nec Auguſti etiam æuo quidpiam dictum exiſtimet, quod ſiue argutias, ſiue delicatam dicendi rationem reſpicias, vllo modo ſuperare Patrum ſanctiſſimorum facundiam poſſit. In quo vera prorſus dixiſſe Ieſuitam arbitror. Non enim illis temporibus ad eam Romani dementiam perducti fuere, vt acutos vbiuis ſenſus ſectarentur. Sana adhuc omnia erant, propria, clara, perſpicua, ſolida: quas virtutes in Patrum ſcriptis quæſiueris fruſtra; cum nec ipſe Bouhours eas oſtendere ſemper potuerit; licet hæc eius intentio eſ-

eſſet, hoc propoſitum. Quod ipſum etiam *Iacobus Bernardus dans ſes nouvelles de la Republique des lettres*, Menſ. Auguſt. 1700. p. 210. obſeruauit. Itaque ſi paulo liberior loquendi poteſtas nobis eſſet conceſſa, non vereremur ſane admonere Reuerendum Patrem, ne imposterum tantum operæ locis communibus colligendis impendat, ex quibus prædicantium noſtrorum turba, nil niſi ſonos excerpit, & cum contemtu firmisſimarum rationum in his ſolum corticibus hæret. Alterum vero quod proponit conſilium non improbamus; non dubitantes, quin maior etiam virorum prudentum applauſus eum ſit ſecuturus, ſi ea Patrum cogitata publicaret, quæ plus pietatis, quam ornatus, plus ſanctitatis quam acuminis habere videbuntur.

§. XXIV. Neque enim hic adſentiri poſſum Viro clariſſimo *Chriſtiano VVeiſio* qui libro ſupra citato p. 171. ad *excitandam devotionem argutum, ac mirandum in Concionatoribus ſuis* ſtylum deſiderat, Patrum exemplo immature commotus, quos magno ſucceſſu, nec ſine quadam admiratione ad populum locutos eſſe ex communi Theologorum noſtrorum præiudicio concludit. Nam aliter credo animum ſuum induxiſſet, ſi ψευδώνυμον Patrum eloquen-

liam, ſi pueriles eorum declamationes, ſi ſententiarum floſculos, ſi verborum lenocinia, ſi intolerandas hyperbolas, paulo attentioribus oculis inſpexiſſet. Pleraque obſcura ſunt, quæ loquuntur, inuoluta, contorta, vt Oedipo opus habeant. Quicquid taxant, illud ita infamant, vt non ferendum ſed abominandum prorſus videatur. Si quid laudant, nulla mediocris virtus eſt; nullum modicum vitium. Quibus fauent eos ad cœlum, & ſi quid vlterius eſſet, extollunt; quibus autẽ aduerſantur, illos ad inferos deprimunt, aut ſi quid contemptius foret. Adeo declamatoribus nihil temperati ſufficit, qui pſittacum vt heroem; & heroem velut paſſerem deſcribunt! Hinc fruſtra in Patrum ſcriptis claram rerum obſcurarum interpretationem inueſtigaueris; vbi figuris omnia plena ſunt, periphraſibus, ſophiſticationibus, fucis: quod nec ipſi *Hieronymo* ſtrenuo alias declamatori obſcurum fuit; cui præceptor quondam ſuus *Gregorius Nazianzenus* rogatus ab illo *vt exponeret, quid ſibi vellet in Luca Sabbathum* δευτερόπρωτον, *ſincere ſatis reſpondit: Docebo te*, inquiens, *ſuper hac re in eccleſia, in qua mihi omni populo ad clamante, cogeris inuitus ſcire, quod neſcis; aut certe ſi ſolus tacueris ſolus ab omnibus ſtultitiæ condemnaberis.* Iam vero iudicet æquus lector, an tanta, vti cre-

creditur vtilitas ex hoc quod Patres ſequuntur, ſcribendi genere exſpectari poſſit? Sane hoc illud ipſum eſt, quod ſpeciem primi Chriſtianiſmi corrupit; quod natiuam eius pulchritudinem euertit, quod tot myſteria, tot abuſus, quod miſſam, ſanctorum inuocationem, quod exorciſmum, Transſubſtantiationem, & alia plura monſtroſa dogmata in eccleſiæ ſinum introduxit. At quis ad talia ſectanda improuidos quæſo iuuenes incitaret? Quis iam ineptos ſatis Concionatores ad pariter inepta compelleret? Non eſt, non eſt quærendus Papiſmus: mature nimis adeſt, præter exſpectationem appropinquat, repit, ſerpit, hæret in oſſibus, adeo vt nos Euangelicos eſſe ferme neſciremus, niſi interdum fulmen aliquod ex cathedra contra Pontificios emitteretur; aut craſſiſſimum aliquod mendacium cum clamore refutaretur. add. *Clerici Ars. Crit. part. II. Sect. I. cap. XVI.*

§. XXV. Sed ad rem inquiunt ſtili lapidarii defenſores. Age, quæ tibi tandem oratio placebit? qui ſermo? quæ eloquentia? An forte enormis illa Ciceronis verboſitas primas tenebit? an piperata eiusdem facundia? Siccine Salluſtius, Seneca, Tacitus &c. Romana illa lumina e ciuitate latina expellentur? An quicquid verborum eſt ſolus

Tullius poſſidet? Tune Lipſium quem bonarum literarum reſtauratorem appellant, tu Puteanos, tu communem eruditorum conſenſum adſpernaberis? quid hoc eſt? quæ impudentia? quare?

§. XXVI. Sic detonant, & quodam quaſi agmine facto in me irrumpunt; nec dubito quin ſi plures reſciuerint, inſcriptione facta & aqua mihi ſint interdicturi & igni, velut inſcitiæ, hæreſeos omniumque criminum reo. At enim vero non deerunt fortaſſean, quæ me tutum ab his furoribus præſtabunt ac ſecurum. Non enim Oſce meos loqui volo, non Volſce, non barbare: Diſplicet illa ſcabies; nec vllo modo antiquum iſtud pus arridet. Perſpicuitatem quæro ac euidentiam; hinc peregrinas, & Romanis auribus inſvetas voces ferre non poſſum; hinc Appuleianam affectationem reiicio; inde ineptas ac pueriles metaphoras reſecandas exiſtimo; nec ſi ſana eligere ſemper cupiam; permittere aut probare vnquam poſſum, vt eloquentia in quoddam neceſſitatis piſtrinum compingatur; & Atticiſmis, Laconiſmis; argutiis aliisque acuminibus obſcuretur.

§. XXVII. *Ciceronem* autem non propterea commendo, quia *Cicero eſt*, aut infinitis pene Ludimagiſtrorum noſtrorum Panegy-

gyricis elatus principatum obtinuit; ſed quia communi dicendi genere vſus, nihil inuſitatum attulit, nihil peregrinum, nihil affectatum; quia plana in eo omnia ſunt, propria, non procul accerſita ornamenta, non longius quæſitæ figuræ. At in hoc maxime linguarum omnium nitor conſiſtit. Cur enim amabo te, aut ſermo inuentus eſt, aut ſtilus, aut ſcriptio? An vt ænigmata proponamus, vt ſinuoſas fabulas excogitemus, vt obſcuros ſenſus miremur, & propterea demorſos vngues ſapiamus? an vero vt verba ſenſibus accommodentur, vt clara, rotunda, vſu trita ſeligantur, vt vera, ſimplex, nuda oratio fluat? Sane ſi intelligi velimus, hac potisſimum virtute opus eſt, vt non tam diuinari, quid velimus posſit, quam palpari. At enim qui hoc ſibi facile adeo imaginantur ac fingunt, ii citius ſe, quam putant deceptos ſentient.

§. XXVIII. Quippe minori labore vel *Lucani* tumorem, vel *Senecæ* inflatas periodos imitaberis, quam tenuem *Terentii*, aut *Martialis* ſimplicitatem; quemadmodum & in vernacula noſtra facilius multo erit ad *Lohenſteinii* cothurnum adſurgere, quam humilem aliquam & quæ ſine affectatione ſit epiſtolam adornare. vid. *Parrhaſiana p. 707.*

§. XXIX. Paradoxum hoc videbitur iis, qui ſe argutiis ſuis a vulgo diſtingui volunt,

quique in eo gloriam quærunt, vt non a quouis intelligantur; aut *Barclaii* imitatores audiant; cuius *dictio*, teſte *Scioppio lib. de Rhetor. exercit. generibus circa finem, venuſto hominis ingenio plus, quam latinitatis genere commendatur. Vt enim pergit, de obſcuritate dicere prætermittam, in quam ſæpius eum neceſſe fuit incidere, qui nec maiorum gentium Authores ſtudioſe volutaſſet, & quomodo alius nemo dicere aueret, nec barbariſmi, & ſolaeciſmi apud eum non inueniuntur, νεωτεϱισμῶν vero iniri vix poteſt numerus quos ipſe calori indulgens, ac nec ſuæ, nec amicorum limæ patiens, ſe ſolo Authore inuexit.*

§. XXX. Illorum autem me penitus tædet, miſeretque qui *Ciceronem* verboſum dicunt, redundantem, tautologum, ſatis hoc ipſo prodentes, ſe neſcire quid redundantia ſit, quid ταυτολογία, quid verboſitas. Nam hoc redundare eſt cum crebræ deſcriptiones, ſynonymiæ, expolitiones ſine delectu adhibentur, & oratio periodis ad plauſum apertis diſtenditur. At quis hanc vnquam in *Cicerone* intemperiem aduertit? *qui non pluuias*, vt Pindarus ait, *aquas colligit, ſed viuo gurgite exundat.* (*Quintil. lib. X. cap. 1.*) Aliud vero eſt βαττολογεῖν, aliud fuſe dicere, vbi nullum verbum excidit, non conſulto poſitũ, & quod ad rem illuſtrandam, aut augendam, aut minuendam non faciat. Notabilis

Quin-

Quintiliani locus eſt, quem, quia huc maxime facit integrum adſcribendum reor. *Tullium*, inquit, *non illum habemus Euphranorem circa plurium artium ſpecies præſtantem, ſed in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentiſſimum. Quem tamen & ſuorum homines temporum inceſſere audebant, vt timidiorem, & Aſianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidum, & in compoſitione fractum, exultantem, ac pene* (*quod procul abſit*] *viro molliorem. Poſtea vero quam triumvirali proſcriptione conſumtus eſt, paſſim qui oderant, qui inuidebant, qui æmulabantur; adulatores etiam præſentis potentiæ, non reſponſurum inuaſerunt. Ille tamen qui ieiunus a quibusdam atque aridus habebatur, non aliter ab ipſis inimicis male audire, quam nimiis floribus, & ingenii affluentia potuit, falſum vtrumque. Sed tamen illa mentiendi propior occaſio. Præcipue vero preſſerunt eum, qui videri Atticorum imitatores concupiebant Hæc manus quaſi quibusdam ſacris initiata, vt alienigenam, & virum ſuperſtitioſum, deuinctumque illis legibus inſequebantur. Vnde nunc quoque aridi, & exſucci, & exſangues. Hi ſunt enim, qui ſuæ imbecillitati ſanitatis appellationem, quæ eſt maxime contraria, obtendunt; qui quia clariorem vim eloquentiæ velut ſolem ferre non poſſunt, vmbra magni nominis deliteſcunt.*

§. XXXI. Hæc *Quintilianus lib. XII. C. 10.* vere ac ſincere, ſed contra eorum forte opinionem, qui Salluſtium, Senecam, Tacitum crepant, eosque iuuentutis, vt ita loquar, cymbala eſſe volunt. Quantum enim ad *Salluſtium*, iam ſupra credo iudicium meum interpoſui, in quo nihil adhuc muto, licet non neſciam a multis illum inter eius generis ſcriptores reponi, qui nouis argutiarum architectis auctoritate ſua præluſere; quos inter ſæpe *laudatus Weiſius eſt*, qui comparationem *Marci Catonis*, ac *Cæſaris a Salluſtio* inſtitutam diuerſis lineis deſcripſit, eamque a recentiorum elogiis nulla ratione vinci, magna animi lætitia adfirmauit. *libr. cit. p. 49.*

§. XXXII. Sed huic nihil aliud repono, quam hoc: inconcinnum admodum videri, imitari eo exceſſu magna ingenia, vt quod vna vice ab illis dictum eſt, in quauis pagina repetatur, qualem defectum in *Arruntio* notauit *Seneca*: *Quæ* inquiens, *apud Salluſtium rara fuere, apud hunc crebra ſunt, & pene continua, nec ſine cauſa. Ille enim in hæc incidebat, hic illa quærebat. Epiſt. 114.*

§. XXXIII. Ipſe autem *Seneca*, cuius ingenium non poſſumus non mirari, vix tamen a nobis impetrabit, ac ne vix quidem, vt eius dictionem ac ſtilum iuuenibus commen-

mendemus; qui ad orationis corpus formandum adhiberi non poteſt. Is enim cum eo tempore floreret, quo Romanorum aures perſpicuo verborum ambitu fatigatæ, res, ſententias, acumina deſiderabant, ad eum ſermonem adiecit animum, qui iſto ſeculo ferme omnibus placebat; ne ſi magis circumductum elegiſſet, corruptos ſuorum animos auerteret, & a dogmatum, quos euulgabat, approbatione reiiceret. Hinc ergo conciſa illa breuitas, & ex breuitate reſultans quædam obſcuritas; inde *meræ commiſſiones, & harena ſine calce*; quod ipſum *Caligulæ* tandem, *Fabii*, *Auli Gellii*, *Eraſmi*, *Scaligeri*, aliorumque cenſuras prouocauit, a quibus antiqua puritas ac connexio preſſiori ac ingenioſo dicendi generi non ſine ratione præferebatur.

§. XXXIV. De Tacito non opus eſt, vt ſim prolixus. Politicam ei ſcientiam non denego: Habet bene multa quæ capere lectorem poſſunt: at genus dicendi mutilum eſt, ſiccum, circumciſum; *ſpiritus elatus, ſententiæ audaces*; quod non poteſt non euenire ſi ſupra communem ſortem loqui velimus, & affectatam quandam facundiam quæramus: Inde etiam factum eſſe puto, vt quam plurimi exiſtimarent, Tacitum non tam Imperatorum quam ſuum animum depinxiſſe; hoc

eſt, *quædam ementitum eſſe, vt argutius dicere poſſet.* vid. Ruperti *obſeruat. in ſynopſ. Beſoldi p. m. 201.*

§. XXXV Neque ſat ſcio, quo caſu, quove fato ipſe *Hugo Grotius* abreptus hunc potisſimum ſtylum in Annalibus ſuis elegerit, cum tamen extra omnem controuerſiam poſitum videatur, non placere hiſtoricum, qui quouis momento obſcuritate ſua Lectorem retardat; veterum vero authoritas non excuſat eos, qui noſtris temporibus ſcribunt: adeoque nec *Grotium*, nec *Lipſium*, nec *Puteanos*, qui vltimi breues periodos, & acumina ſectati in eam difficultatem incidere, vt ſæpe non intelligantur; licet non dubitem eos intelligi voluiſſe. Conf. Parrhaſiana. *p. 128. ſeqq.*

§. XXX. Quamobrem parum me mouet quod de communi eruditorum conſenſu affertur. Plerique enim qui illiberalem hunc ſermonem calculis ſuis primum approbauere, extra Grammaticæ pomoeria pedem non protulere; quod de *Juſto Lipſio* imprimis obſeruandum eſt, *ne homo Criticus* ac *nullius plane iudicii* in exemplum nobis proponatur. (Conf. *Voſſius Orat. Inſt. lib. 4. c. 5. §. 7. & Theodorus Parrhaſius in Parrhaſianis p. 194.*) aut quod ridiculum foret, ius quoddam gentium effingatur; ſub cuius patrocinio ſtili lapidarii

rii tintinabula ſecurius aliquantum debacchari poſſent. In quouis enim ſermone vſus attenditur; Paucorum autem hominum pruritus,non vſus communis eſt ſed aliquis morbus. Sunt Itali fateor; ſunt ex Gallis aliqui; ſunt Germani, ſunt Iure Conſulti, ſunt Ieſuitæ; ſunt etiam Theologi Lutherani, Reformati,Philologi, quibus hæc arguta, prærupta,& confragoſa dicendi ratio arriſit; ſed hic non eſt omnium eruditorum conſenſus; nec ſcio annon omnes ægre eruditionis titulum ſint defenſuri, niſi aliis ſpeciminibus doctorum ſocietati ſeſe probauerint.

§. XXXVII. Appoſita ſunt quæ *M. Pomponius Marcellus ad Tiberium*: *Tu Cæſar*, inquiebat, *ciuitatem dare potes hominibus*, *verbis non potes*.Iam vero ſi hoc iis etiam denegatum eſt, qui in excelſo ætatem agunt, & de vita ac nece ius dicunt, quonam pacto, quæſo, quo prætextu, qua authoritate homines Pædagogi, ac vmbratici nouum ſcribendi morem introducent? Rideremus ſane Gallos, Hiſpanos,Anglos,ſi ſermonis Germanici proprietatem ad,vernaculæ ſuæ genium deflectere audeent. At ſic homines non Latini latinam linguam deformant,audacia vix audita, impudentia inuſitata. Quid enim?inferciire volunt omnia acuminibus, nihil ſine figu-

gura dici, nihil ſine alluſione, mirum quod non etiam panem figurate petant. Hinc ergo huius generis gemmæ: *Bona noua, corona noua*! hinc *Centaurus ſe ipſum equitans*, vt duplex eius natura exprimatur; nec dubito, quin ſi ita perrexerint, Alexandrum M. in certamine Olympico ita tandẽ ſint alloquuturi: *Curre Matris tuæ Nomen.* O frigus! o venuſtatem plane inſulſam!

§. XXXVIII. Equidem non ſum ex iis Iudicibus, qui ad exactam regulam redigere cuncta, aut nullum niſi Ciceronianum admittere verbum volunt. Multa bona etiam apud alios ſunt. Habet *Terentius* ſuas elegantias; non deſtituitur lepore ſuo *Plautus*, non *Varro*, *Criſpus*, *Seneca*, non cæteri, in quos tamen cenſoriam virgulam merito ſtringebamus. Nam quicquid diximus, id eo tantum fine dictum eſt, vt patere omnibus posſit, quinam *potiſſimum* ad imitationem proponendus ſit, quem *Ciceronem* eſſe, ii ſane non diffiteri poterunt, qui proprietatem, connexionem, ac perſpicuitatem in ſermone maximi æſtimant.

§. XXXIX. Quare non poſſum mihi temperare, quin memorabilem locum ex *Oratione pro M. Marcello* ſubiiciam, ex quo curioſa quædam Ciceronis ſolicitudo apparet, id maxime confirmans, quod in eo nunquam

non

non fui admiratus. Nam cum apud Cæſarem dixiſſet: *Tu ipſam victoriam Caſar viciſti,* ille verecunde ſe inſinuans, *vereor*, addebat, *vt hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit; atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſam victoriam viciſſe videris cum ea, ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti. Nam cum ipſius victoriæ conditione iure omnes victi occidiſſemus, clementia tuæ iudicio ſeruati ſumus.*

§. XL. Ex quo cognoſcis Lector, quam trepide acuminibus ſuis *Tullius* vtatur, ne in obſcuritatem aliquam incideret, quæ eos plerumque conſequi neceſſe eſt, qui ſubtiles ſenſus venantur, & vbi tota nitere oratio debet, in argutiis hærent.

§. XLI. Nolo nunc veteres pertentare ſcriptores *Senecam* puta atque *Salluſtium &c.* in quibus ſane non pauca ſupereſſe arbitror, quæ quoniam ex ingenii quadam indulgentia profecta ſunt, & legentibus crucem figunt; & ſi accuratius conſiderentur, futilia prorſus apparent, Iuuat iam vnum ex recentioribus conſideratius intueri, *Petrum* inquam *Labbeum Ieſuitam Gratianopolitaunm*, cuius elogiis ita capiuntur Iuuenes, vt non *miraculum* ſed *faſcinum* crederes; niſi hoc eorum eſſe iudicium conſtaret, qui minutiſſima admirantes concham ſæpe pro margarita prehendunt. Ego, ſi ex animi ſententia loqui

qui fas eſt, pleraque ab eo dicta otioſa ac puerilia inueni, licet auribus meis primum eblandirentur & ampla ſtructuræ ſpecies oculis ſæpe imponeret.

§. XLII. De quo vt tanto certius tibi conſtet Ludouico XIV. ſcriptum *Genethliacum* tibi commendo, quod quia mirantur alii ipſe videas ac iudices:

** ✝ **

Dederunt primum nomen Parentes, & impetrarunt ſecundum;
Nec tamen dediſſent primum, niſi Deus donaſſet ſecundum
non eſſet Ludouicus XIV. niſi eſſet a DEO datus.
Inter miracula natus eſt, inter vota conceptus erat.
Die Sancto Xauerio ſacra conceptus creditur;
Procurauerat Xauerio honores ſacros Ludovicus;
Procurauerat Ludouico heredem Xauerius.
Orauerat ſæpe Regina & fleuerat
& lacrimæ foecundæ fuere,
Lacrimis ſuis ſeruntur Lilia.
Currente ſeculo natus eſt,
Vt totum cum Patre coronaret.
Menſe Decembri in lucem editus eſt,
Vt menſis idem Parentibus & liberis natalis eſſet;

Lu-

Ludouicus & Anna hoc menſe in lucem exiere
Hoc menſe iniere coniugium,
hoc menſe Parentes fuere.
Nonis S. Victorino ſacris in lucem prodiit
vt nomen & dies victorias prædicarent:
hora de die vndecima,
pene dum naſcitur, meridiem attigerat.
Lucebat interea e Coelo ſignum virginis
& Leonis ac libræ rigorem temperabat.
Excipiebat hos influxus Ludouicus naſcens,
& generoſis ac iuſtis ſpiritibus clementiam admiſcebat;
Non potuit ſub aſtris melioribus naſci.
Nullum in vita portentum eſt,
nullum monſtrum in vita erit.
Plus tamen debet Ludouicus Deiparæ virgini,
quam ſigno cœleſti:
Vix aſſumta erat a Ludouico in Patronum regni, cum Patrem fecit,
adiecit oblatam hereditatem & dedit:
Id circo inter aſſumtam virginem & naſcentem deditus eſt,
vt debeat naſcenti vitam, & aſſumtæ Coronam.
Timete hoſtes Galliam, ſi timetis Mariam,
ex quo Ludouicus iuſtus deuouit Mariæ Galliam,
Regnum Galliæ eſt regnum Mariæ,

&

& virgo Deipara eſt pene Regipara.
Aurea hæc videri poſſunt, ſi verba ſpectes, & communem applauſum ſequaris; ſed quæ ſi acriori examini ſubiiciantur vulgaria ſunt & vnica eaque leui poſitione abſoluuntur: *Ludouicus XIV. conceptus creditur die Xauerii, natus Menſe Xbris, Nonis S. Victorino ſacris, hora XI. in ſigno virginis.* An vero ad tam tenuia deſignanda tanto apparatu opus erat? aut an terra, pontus, ac aſtra propterea commouenda, vt tam inanis ſenſus proueniret? Pleraque certe quæ adduntur nil niſi ineptam loquentiam produnt, quæ non poteſt non cum mendacio eſſe coniuncta; vel ſi modeſtius loqui decet, cum inſigni quadam iactantia, ex qua appareat, ipſum Ieſuitam non credidiſſe ea, quæ magno hiatu proloquebatur.

§. XLIII, *At hæc* ais, *poeſis in proſa eſt*; Sed ego apage, dico tam inconditam contradictionem. Pedibus ire ac equo vehi ſimul nemo poteſt. Quod ſi ea tibi peritia ſit, vt eleuato ſpiritu pangere carmen valeas, cur in confiniis quæſo Poetæ ac Oratoris ſubſiſtis? cur ſuſpicione Hermaphroditi, vt ita loquar te ſine cauſa oneras? Sed rectius credo ſentiunt, qui te poetandi facultate deſtitui, putant: hinc ranarum more coaxas; & vt cicadæ ſolent, cum ſtrepi-

pitu ſaltas, & repente quieſcis.

§. XLIV. Ego vero fatuus ſim, niſi ex hac impetigine magna mala in Rempublicam literariam redundent. Nam qui hiſce ſemel acuminibus animum adſueuere, ii breui adeò corruptos ſeſe ſentiunt, vt falſis ideis inhærere malint, quam nudæ veritati; ad quam tamen & cognoſcendam & apprehendendam non tam animus humanus videtur eſſe factus, quam natus. Inde etiam eſt, quod illorum tantum ſcripta mirentur, qui ſimiles furores imbibere, qui nullum ordinem, nullum tenorem in ratiocinationibus ſuis tenentes, eo ſæpe prolabuntur, quo eos corruptæ imaginationis æſtus, vel fucatæ Rhethoricæ ἐνθȣσιασμὸς protrudit. Faceta illis alluſio probatio eſt; ſuauis verborum harmonia, certum, ac in concuſſæ veritatis argumentum; adeo vt iis pene ſimiles euadant, qui in comoediis, quas operas appellant, amoeno Muſicæ concentu faſcinati actorum defectus notare non poſſunt. vide Parrhaſiana *p. 8. 9.*

§. XLV, Sed demus latebram hiſce hominibus. Nam metaphoræ aiunt propter inopiam cuiusuis linguæ a noſtro ſermone abeſſe non poſſunt; Homoeoptota, atque homoeoteleuta etiam in ſanioribus Rhetoricæ compendiis commendantur. Illa vero

placere non poteſt oratio, quæ Stoicorum in morem hirta eſt, vulgaris ac ſine ornamento. Verum facile nos hinc quoque expedimus. Fac enim infinitum rerum numerum eſſe, verborum finitum, ita vt neceſſario confugiendum ſit ad voces tropicas; an ad tædium propterea iis vtendum eſt? an qui frigoris depellendi cauſa repertus habitus ad laſciuiam & luxuriam frequentandus? (add. Clerici *ars crit. part. 2. Sect. 1. cap. 15.*) *Quemodmodum*, inquit Voſſius *lib. 4. Inſt. Orat. c. 6. §. 11, offendit ciuem bonum ſi aduenas in ſua vrbe plures videat, quam indigenas; ita probo formandæ orationis iudici diſplicet, ſi plura translata in oratione cernat quam propria.* Quibus addendum inſigni in hoc genere delectu opus eſſe, ne aliena cum puluiſculo in cameras noſtras conuerrentes, neceſſarium hoc *Tullii* monitum negligamus: *Verecunda eſſe debet translatio, vt deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe, atque vt precario non vi veniſſe videatur. lib. 3. de Orat.*

§. XLVI. Pari ratione homœoptota ac homœoteleuta non prorſus repudiamus, immo immodicum etiam ſplendorem in iuuenili ætate ferimus, non quod vitium non ſit, ſed quod luxuriantem dictionem iudicium atque ætas maturior vt plurimum reſecant. *At ſtata inclinataque ætas magis temperare debet*

tum

tum quod, eodem Voſſio dicente *l. 5. c. 5. § 2. nihil grauiꝰ ſatietate: tũ quia puerilem redolet affectationem oratio, quæ paſſim inuritur calamiſtris, talibusque lenociniis non tam honeſtæ matronæ quam proſtibuli, fuco ceruſſaque obliti ſimilis ſit.*

§. XLVII. Quamobrem eos maxime reprehendimus, qui nunquam ſimpliciter efferunt, quod volunt; & quamcunque orationem, cui rectam eſſe liceret, per ſummam dementiam detorquent. Omnia autem ornamenta, quæ nihil ſolidi ſub ſe habent, nauigiis adſimilari ſolent quæ quo minus onuſta ſunt, eo magis titubant, & cum periculo procedunt. vid. *Rapin dans ſes Reflexions ſur l' Eloqvence p. 42.*

§. XLVIII. Sed eſt hoc proprium magis iuuenibus vitium, vt ad ſatietatem iis oratio ornetur; quam vt ieiuna ſit, vt gracilis, vt vulgaris. Rarius enim tam aridum, & exſangue genus dicendi offendes, cuiusmodi eſt hoc quod *Cornificius* exagitat: *Nam iſtic ad balneas acceſſit; ad hunc poſtea dixit; hic tum ſeruus me pulſauit. Poſtea dixit hic illi: Conſiderabo. poſt ille huic conuicium fecit, & magis magisque præſentibus multis clamauit.*

§. XLIX. Quod ſi tamen eſſent aliqui qui hac fæce delectarentur; (Eſt enim nihil adeo abſurdum quod non baſiatores ſuos

inueniat) ii mihi eodem quo *S. Auguſtinus* loco habentur, qui ab altera parte modum, excedens priori contra *Iulianum* libro, quod Tractatorem eum Poenum appellauerat, impudenter, & cum profluentia dixit : *Magna tibi pœna eſt diſputator hic Poenus ; & longe antequam naſceremini, magna pœna hæreſis veſtræ præparatus eſt Cyprianus.* Vtrumque vitium deuitare meos volo ; & friuolam ſterilitatem; & ſtultam pulchritudinem, ſeu ſuauitatem.

§. L. Quod ſi prius luce veritatis perfuſi credantur animi, tum ornata, non repugno, oratio adhibeatur ; moueantur affectus, diducantur figuræ ; adſpergatur acumen, Sed ita vt intelligant auditores, cur emoueantur; vt cognoſcant cur tripudient; vt ſciant cur contriſtentur. Eſt enim ſatis huc vsque datum furori : eſt decepta plebecula ; eſt ſeducta iuuentus ; eſt inſcriptionibus nullus finis ; creſcit numerus ; inualeſcunt excerpta ; æſtimantur frigida ingenia ; ſubſidit veritas, & Appuleii, Gorgiæ, Mecænates, Poetæ in proſa, tanta copia reuiuiſcunt *vt difficile ſit ſatyram non ſcribere.* Quare hic finem facio, ne acuere calamum ſit neceſſe.

OBSER-

OBSERVATIO VI.

DE INDICE EXPVRGATORIO ROMANO RARISSIMO, QVEM IOANNES MARIA BRASICHELLANVS, SACRI PALATII APOSTOLICI MAGISTER, PRIMVS ET HACTENVS SOLVS EDIDIT.

§. I. *Danielis Franci obteſtatio vt index ille recudatur; fruſtra in Germania quæſitus:* §. II. *Sæpe tamen ab exteris, præſertim in Bibliotheca Patrum, citatus.* §. III. *Petri Waſtelii memorabilis narratio de ſupreſſa Romana editione, nouaque in Belgio prohibita, & ipſius indicis auctoritate.* §. IV. *Danielis* Papebrochii *ſtrictura in Waſtelium, iudiciumque de illa ſuppreſſione, ac Indice,* §. V. *Excerpta exemplaris e* Belgio *commodati alio tempore promittuntur.*

§. I.

PRidem eſt, quod Danielis Franci Diſquiſitionem de Papiſtarum Indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum, Lipſiæ an. 1684. recuſam perluſtrans, animo meo altius infixi adhortationem, quæ pag. 134. legitur: *Ipſum Braſichellani Indicem habere non potuimus. Iterum ergo iterumque obteſtamur orthodoxos omnes, vt qui*

exemplar poſſidet, publici iuris illud facere digne-tur. Quotiescunque igitur vel inſtructiorem aliquam in Germania bibliothecam acceſſi, vel cum viris eruditis ſermones de eiusmodi indicibus ore ſcriptoue miſcui, ſemper de Braſichellano cogitaui, mentionemque inieci; ſed vbique fruſtra. Nemo enim librum vel viderat, vel legerat vnquam.

§. II. Creuit interea deſiderium meum, cum Braſichellani Indicem allegatum vidi, apud Gallicos præſertim Anglicosue ſcriptores, vt Labbeum, Dallæum, Vſſerium, Cavium &c. Magis accenſa fuit expectatio, lectis Petri Waſtelii Vindiciis Ioannis Hieroſolymitani, qui libro I. ſect. III. pag. 73. pluribus me docuit, indicem Braſichellani, qui alios purgare voluit, purgatum & ſuppreſſum fuiſſe. Quia Waſtelii Apologia inter rariores hodie numeratur, non pœnitebit, omnia eius verba, licet longiuſcula, attuliſſe et conſideraſſe.

§. III. *Enim vero, quod ſpectat P. Magiſtrum Ioannem a Maria, non vidit ille, vnde Dn. Baronii circa Carmelitas hallucinatio nata ſit; videlicet ex non viſis ordinis monumentis. Bene eſt, quod ſancta Eccleſia Dei, ſuam interea interpoſuit authoritatem; & quæ zelus compegerat fidelis miniſtri ſui, ſale diſpunxerit prudentiæ. Vnde plera-*

raque illius libri hodie leguntur ad Veterum Patum Bibliothecam abſque Authoris nomine: atque vt dicam, quod noſtri Ordinis incommodorum communis neceſſitas hoc in loco dicere premit; vidi ego, manibus tenui, & legi, indicem illum expurgatorium nouo prælo deſtinatum, omnibus eius probationibus virga cenſoria cancellatis, vt tantum nudæ concluſiones in poſterum vulgarentur. Et vero vbi rationes afferuntur, coniecturæ, & ſenſa peculiarium Scriptorum, fas eſt illis obuiam eundo afferre remedium: quomodo cum fructu fecerunt multi viri pii & docti. Sed & cum ipſe in illa adhuc eram adoleſcentia; tamquam ſub magiſtro meo eximio, Domino Georgio Coluenerio, Profeſſore tunc Theologiæ regio & ordinario, nunc autem primario, atque æque almæ Vniuerſitatis Duacenſis noſtræ Cancellario, operam dans iudiciis librorum; pro modulo facultatis meæ non pauca in illo libro vidi, quod non irrationabiliter improbarem. Quin & poſt annos non multos prudentiſſime omnia diſponente Eccleſia Dei, feliciterque retardante Belgicam illam impresſionem; legi item in epiſtola Illuſtriſſimi Dn. Guidonis Archiepiſcopi Rhodienſis, Nuntii per Belgium, *data 21. Ian. anno 1612. quæ nobis vero pro baſi ſint totius noſtræ defenſionis: imo & reparatio illorum ſunt ſcriptorum,* (in margine ſcribitur: *Alluſio ad Ant. Poſſeuinum*) *qui pio metu ſua turbauerant, diſſidentes a ſe ipſis. Sic autem habet epiſtola:*

De mandato ſanctiſſimi Domini noſtri ſuſpenſus nuper fuit, ob nonnullas iuſtas cauſas expurgatorius librorum index impreſſus Romæ 1607. *Qua de re cognoſcimus per ſpeciales literas ad nos datas, ab illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus, qui præſunt Congregationi, in qua de huiusmodi negotiis agitur: Eumdem Indicem cum anno ſubſequenti ad te iſthic imprimendum transmiſerim, nunc te monendum putaui, cures typis non tradi, niſi iam traditus ſit. Si vero impreſſio ſit abſoluta, des operam, vt omnia exemplaria upprimantur.* Probo nihilominus, quod Dn. Bellarminus, & alii pro ſui temporis conditione, ſenſum Magiſtri Ioannis a Maria ſecuti ſint. Vere enim cum honore recipienda fuerunt illa ad Bibliothecam Patrum monita ſeu aduerticula, tamquam profecta a legitimo miniſtro Eccleſiæ, etſi ipſa tantummodo temporanea. Quomodo fere accidit tempore Pauli III. ſummi Pontificis, cum omnibus libris Deſiderii Eraſmi, Abdia Babylonico, & Commentario noſtri Authoris in Matthæum, titulo Chryſoſtomi, vt quæ ipſa tunc erant lectionis omnino prohibitæ; ſed poſtea, ne bona damnata habe-

berentur cum malis, cenſura reuocata eſt vel temperata &c. Opponit eidem Braſichellani Indici Waſtelius alia de Ioanne Hieroſolymitano iudicia Hiſpanicæ inquiſitionis, & Nicolai Richardi, Magiſtri ſacri palatii Apoſtolici an. 1635. quæ a noſtro iam ſcopo aliena præterimus, addita tantum Waſtelii concluſione: *Ex quibus cognoſcas, nos nihil hic ſentire contrarium menti Eccleſiæ DEi, non recte tamen feciſſe Commentatorem, dum ſuo multiloquio in eam nos dicendi adduxit neceſſitatem. Itaq; index ille expurgatorius authoritatem nunc dumtaxat tenet priuati Scriptoris: certe quoad ſpectat ipſius diſcurſus.*

§. IV. Hæc omnia ſatis euincunt, quanto in pretio debeat haberi Braſichellani Index, Romæ quidem vulgatus, ſed paulo poſt ſuppreſſus & in Belgio recudi vetitus: quæ arcana inuitus quaſi Waſtelius & importunitate aduerſarii coactus, ſed magno veræ eccleſiæ commodo, prodidit. Operæ igitur pretium eſt audire, quid ipſi reſponderit Daniel Papebrochius, cuius nouiſſimæ cum Carmelitis controuerſiæ in vulgus doctorum notæ ſunt. Ita vero ille in Reſponſione ad Exhibitionem errorum per Sebaſtianum a S. Paulo euulgatam p. II. Artic. XIII. pag. 20.

Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter, Ioannes

„nes Maria Braſichellenſis, allegatur etiam „a Raynaudo, atque ex tomo I. Indicis librorum expurgandorum p. 291. verba eius recitantur in fauorem ſententiæ negatiuæ, „quæ noſtra eſt. Sed huic auctoritati ſufficienter occurrere ſe putat Waſtelius, in „Vind. p. 73. docens, quod Index ille ante „an. 1612. *ob nonnullas iuſtas cauſas ſuſpenſus* „*fuit Romæ*, & reimpresſio Belgica impedita. „Sit ita ſane: ſed quoad Romanam impresſionem videtur id eſſe relaxatum: ſiquidem „in Indice anni 1683. ſolum prohibentur *In-* „*dices & Syllabi omnes particulares, extra Vr-* „*bem absque auctoritate ſacræ Indicis Congrega-* „*tionis impresſi &c.* Quidquid vero ea de re „ſit, aliud non volo, (nec vellem, licet nihil „tale accidiſſet) quam quod vltro concedit „Waſtelius, quod ſcilicet *index ille auctorita-* „*tem tenet priuati ſcriptoris*. Non enim exiguæ notæ is fuit, ſed *Magiſter S. Palatii*, cu- „ius perſpectæ ad eiusmodi diſcernenda ex- „perientiæ curam demandauerat Congrega- „tio indicem ſcribendi; quique (vt loquitur „Plettenbergius in Notit. Congr. & Tribu- „nalium Rom. p. 715.) inter *Conſultores* duo- „decim iſtius Tribunalis *primarius* erat *& eſt*. „Suſpendendi autem Indicis illius expurga- „torii *iuſtas cauſas* alias non oportet ſuſpicari, „quam quod (ſicut ex poſt facto patuit, & ſi-

ſicut vidit Waſtelius in præparato ad no-„ vum prælum exemplo) quod, inquam, vo-„ luerit Congregatio, *vt omnibus probationibus*„ *cancellatis, tantum nudæ concluſiones impoſte-*„ *rum vulgarentur*, Concluſio autem in præ-„ ſenti caſu, quo a pag. 63. vsque ad 297. indi-„ cantur expungenda in nouem tomis Bi-„ bliothecæ Patrum, editæ a Margarino de la„ Bigne Pariſiis an. 1583. hæc eſt: *tomo 9. in*„ *Ioanne Hieroſolymitano Epiſcopo, Columna 1241.*„ *in inſcriptione operis* (de Inſtitutione Mona-„ chorum) *& deinceps in titulis paginarum, no-*„ *men diui, præpoſitum Ioanni 44 Hieroſolymo-*„ *rum Epiſcopo auferatur.* Sequuntur ratio-„ nes cur auferendum ſit, ac deinde, cur di-„ ctus liber non videatur poſſe credi eſſe Io-„ annis prædicti. Has tamen rationes non„ improbauit congregatio, ſed noluit eis ſui„ nominis auctoritatem addere, ne & hic &„ alibi cogeretur pro iis reſpondere. Et hæc„ nunc eſt praxis Tribunalis iſtius, libros qui-„ dem ſibi non probatos notantis, improban-„ di tamen rationes nullas reddentis. De„ tali praxi non eſt meum hic legere; ſatis eſt„ intelligere, bonum Waſtelium ex ea nihil„ minus probare, quam quod cenſura Bra-„ ſichellenſis contra librum de Inſtitutione„ fuerit reprobata.

Nec prætermiſerim, quæ Artic. XXIV. p. 469.

469. eam in rem notauit Papebrochius: „*Expurgatorius* tamen ille *Codex* (in Clemen-„tis VIII. inſtructione promiſſus) prodiit „nunquam, imo cum ederetur *Fr. Io. Mariæ* „B*raſichellenſis, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtri,* „*eiusdem* Codicis *ſiue Indicis in gratiam ſtudio-*„*ſorum confecti Tomus primus, in quo quinquagin-*„*ta auctorum libri, præ cæteris deſiderati, emen-*„*dantur*, (erat in his etiam liber de inſtitu-„tione Monachorum, acrius quam Carmeli-„tæ voluiſſent, cenſuratus,) cum, inquam, „talis indicis tomus primus prodiiſſet *Romæ,* „*ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ 1607.* „*Superiorum permiſſu*; ſuppreſſus modeſte „fuit & recudi prohibitus: nec porro proceſ-„ſum in opere reliquo, quod mox apparuit „futurum ſeminarium litium infinitarum, „quibus ſuſtinendis nec vnus, nec plures fo-„rent pares, quantquis auctoritate ſubni-„xi; vt de labore nihil dicam, nunquam fi-„niendo, licet omnes curiæ Romanæ mini-„ſtri fuiſſent Braſichellenſi pares, eruditio-„ne, ſolertia, aſſiduitate, & faſtidioſiſſimi „ſtudii tolerantia. Interim ſicut illi 50. Au-„ctores manſerunt inexpurgati, & nihilomi-„nus verſantur paſſim in manibus omnium; „ſic etiam ceteri, extra materiam Religionis „quocumque auctore & loco impreſſi, ab E-„piſcopis, in Germania, Gallia, Belgio, In-qui-

quiſitorum perſonam ſuſtinentibus & per„ inſtitutos a ſe librorum Cenſores exercen-„ tibus, nullo diſcrimine tolerantur, paſſim-„ que inferuntur & exponuntur venales. In„ quo ipſo tamen, ne quod periculum ſit in-„ currendæ cuiuscunque cenſuræ, ſolent bi-„ bliophili timorati petere & facile obtinere„ prænotatam libros prohibitos legendi li-„ centiam. „

§. V. Non deeſſent quædam ſingularia, tam de hac licentia, quam de ipſa in libros cenſura, & modo, quo ea Romæ hodie exercetur. Sed in aliud tempus differemus, cum occaſio dabitur, præcipua Indicis Braſichellani capita, quæ ante biennium, accepto ex celebri bibliotheca Belgica remiſſoque illius exemplari, excerpſimus, inprimis Bibliothecæ Patrum cenſuram, quæ potisſima litium inter Pontificios, ſuppresſionisque cauſſa videtur, vel in hiſce obſeruationum tomis vel alibi, cum debitis ſtricturis euulgandi.

OBSERVTIO VII.

ARISTOTELIS ERROR CIRCA DEFINITIONEM NATVRAE CORRECTVS.

Synopsis.

Q*Via Philoſophia in vſu rationis poſita eſt.* §. I. *omni hominum æuo viguiſſe probabile eſt* §. II. *Non*

Non obſtante voluntatis degeneratione apud pleroſque. §. III. *Vnde male Ariſtoteles primus ſapuiſſe videri geſtiit.* §. IV. *Quem potius meliora aliqua antiquorum corrupiſſe apparet* §. V. *exemplo definitionis Naturæ.* §. VI. *Quæ præſertim Medicis, imo & aliis, antiquisſima fuit,* §. VII. *vel ipſo Ariſtotele teſte.* §. VIII. *Sed ab ipſo male explicatur & applicatur.* §. IX. *Definitio ipſa.* §. X. *Explicatur ab Ariſtotele* §. XI. *recte partim* §. XII. *variis argumentis* §. XIII. *quibus tamen mox offendit,* §. XIV. *manifeſtis verbis,* §. XV. *Sed operoſius inuoluit ſeſe in vlterioribus,* §. XVI. *qua re tota definitio implicatur & inutilis redditur.* §. XVII. *Dum peruerſa applicatio prædicati ad alienum ſubiectum ſuſcipitur.* §. XVIII. *Noſtra ordinatio definitionis,* §. XIX. *& inde perſpicuus ſenſus,* § XX. *Ariſtoteles prædicata remotiori ſubiecto perperam applicans,* §. XXI. *non definit, ſed petit principium.* §. XXII. *Motus & quies, dum in ſenſus magis incurrunt,* §. XXIII. *melius ſternunt viam, ad ſubſumtionem alicuius principii & cauſæ ſui* §. XXIV. *quam impoſſibilis certa ſuppoſitio a priori* §. XXV. *Cuius* ὕπαρξις *vnice a poſteriori cognoſcenda* XXVI. *ad cuius, motus, conditiones quadrant vere iſtæ reſtrictiones:* §. XXVII. *Quæ cum ita ſe habeant* §. XXVIII. *Concluditur, quod Ariſtoteles alienam bonam definitionem, ex inſcitia corruperit.* §. XXIX. *& Sectatores eius errorem* κατὰ πόδα *propagauerint.* §. XXX.

§. I.

§. I.

PHiloſophia vniuerſa ita in ſana *ratione* poſita eſſe videtur, vt nullum aliud obiectum admittat, niſi *quod*, & *quatenus*, *mentis* acie, ad minimum quoad τὸ ὅτι, *agnoſci*, vel etiam quoad τὸ διότι *pernoſci* atque perueſtigari poſſit.

§. II. Factum hinc ſine omni dubio eſt, vt cum ſana ratio, ita maximopere, *Philoſophiam* pariat, omnibus vtique a mundo condito ætatibus, aliquæ partes Philoſophiæ, ſi non *exculta* atque exhauſtæ, *culta* adminimum atque exornatæ ſint: Siquidem rectæ rationis vſus, omnibus vtique æuis, ſi non ita multos, at *aliquos* tamen excitauit atque exercuit, ad variarum rerum cognitionem, *inchoandam* ad minimum, aut *augendam* atque colligendam.

§. III. Quanquam enim nobis quam maxime conſentientibus, moneri poſſit, quod *voluntatis* ſocordia atque negligentia, *rationis* exercitium, operoſum ſane, & tamen comuniter ita gratuitum, vt fere nihil, niſi nudam *ſcientiam* vltimo nanciſcatur, potius aſpernata fuerit, carnalibus voluptatibus in promtu poſitis, potius inhians: teſtantur tamen non magis omnium æuorum *hiſtoriæ*, quam variorum operum reliquiæ, atque monumenta, quod ab antiquisſimis vsque ætatibus

bus primordia huiusmodi *philoſophicæ theoriæ* cœperint, & modo his, modo illis *obſeruationibus* & *ſpeculationibus*, farraginem poſteritati collegerint, è qua partim *imitando*, partim *conciliando* atque *connectendo*, de tempore in tempus, vel maior, vel certior cognitio, formaretur.

§. IV. Nunquam ſane *inuidiæ*, & neſcio, annon *ſtoliditatis* quoque, ſuſpicionem effugient aut expiabunt *Ariſtotelis* manes, quamdiu imputationem illam ex antiquis hiſtoriæ traditionibus non abolebunt, quod multorum *antiquorum Philoſophorum* opiniones & placita, per orientem præcipue, & Græciam quoque conquiſita, igne nominumque & memoriæ abolitione, e medio ſuſtulerit, & *ſyſtema* philoſophicum, ſub ſuo tantum nomine atque auctoritate, poſteritati obtruſerit.

§. V. Vt enim taceamus ea, quæ e *Democriti* principiis, ſeculo modo elapſo, quaſi poſtliminio, contra *Ariſtotelem*, vel in lucem reuocata, vel adminimum denuo ſtatuminata atque reſtituta ſunt; certe vna quædam, eaque conſideratu non indigna, *definitio* ab *Ariſtotele* in medium propoſita, ſed minus magiſtraliter explicata atque applicata, huius culpæ ipſum reum agere mihi videtur, quod *ab antiquioribus* prudentius prolatam

rem,

rem, disſimulando veram illorum ſententiam, & meliorem forte explicationem, inconcinna ſua acceptione, turbare ac confundere ſuſtinuerit.

§. VI. Eſt verò illa, de qua loquimur *definitio*, *Naturæ*. Cuius quidem dignitatem pluribus argumentis declarare facile poſſem; ſufficit autem vno, aut ad ſummũ duplici, illud præſtitiſſe, quod nimirũ in eo verſatur quod hodie denuo coorta ſit quæſtio: *An detur Natura*? nempè ens tale *poſitivum* & omnino *activum*, quod ab ipſo *Ariſtotele*, imò potius ab omni ante Ariſtotelem *antiquitate*, ſuppoſitum atque agnitum fuit.

§. VII. Cuius quidem quæſtionis tanto dignior noſtro, *Medico*, *foro* eſt diſquiſitio & quaſi cauſæ cognitio, quia huius appellationis nimium quam familiaris vſus apud ipſos *Medicos* occurrit, non modo propiorum ſeculorum, ſed *antiquisſimos* vsque, vti merito *Hippocratem* noſtrum, appellamus, eiusque anteceſſores, à quibus hanc appellationem ipſum accepiſſe, atque transſumpſiſſe, vel ex eo ſolo patet, quod hac loquendi formula ita libere atque familiariter vtatur, vt quàm maxime cognitam atque tritam illam fuiſſe, optimo iure inde concludatur.

§. VIII. At vero ipſum quoque *Ariſtotelem*, *Naturæ* non magis *appellationem*, quam

acceptionem pariter ab *antiquioribus* ita transſumpſiſſe, docere vel illud ſolum poteſt, quod illo maxime loco, vbi famoſam illam *definitionem* quaſi de ſua ſententia efformare videtur, agat de vero ſignificatu illarum, *vſitatarum* nempe, loquendi formularum, quibus variæ res dicantur eſſe vel *Naturâ*, vel *per alias cauſas*.

§. IX. Vbi quidem ſtatim in ingreſſu diſcurſus, qui eſt *Phyſicorum lib. II. Cap. 1. generalisſimam* Naturæ *acceptionem* ad ea applicat, quæ *à Natura* Macrocosmica fieri atque foveri, priſcis viſa ſunt: Paulo vero poſt, quam *definitionem Naturæ*, quaſi propria ſui ipſius collectione atque concluſione, ſubiunxit, ſtatim ad *explicationem* & applicationem ita *alienam* dilabitur, vt mihi quidem videatur hinc evidenter demonſtrari poſſe, quod hæc ipſa definitio, nequaquam ab *ipſo* ita collecta atque formata ſit, ſeu Ariſtotelem *Autorem* agnoſcat, vt potius à *prudentioribus antiquioribus*, *ſcite* atque prudenter formatam, ipſe, & hactenus omnes eius *ſectatores* aliena acceptione atque explicatione, deformauerint & *corruperint*.

§. X. Quod ipſum, vt quibus argumentis inductus aſſeuerem, melius diluceſcat, ipſa eius verba ad examen reuocare è re noſtra fuerit: Sunt vero ſequentia: ὀύσης τῆς

φύ-

φύσεως ἀρχῆς τινὸς ϰ̀ αἰτίας τȣ̃ κινεῖσθαι ϰ̀ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως, καθ᾽ ἀυτὸ, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός. i. e. exiſtente Natura (ſiue, melioris ſenſus gratia caſum rectum aſſumendo) *exiſtit vero Natura principium quoddam & cauſa motus & quietis, in quo eſt primo, per ſe, & non per accidens.*

§. XI. Verba hæc ſimul atque protulit, aggreditur mox explicationem, ſeu illuſtrationem, & primo quidem *reſtrictionis* illius, *non ſecundum accidens*; Quam inductione ſeu exemplo *Medici* declarare ſatagit: Sed ſane *operoſe*, & vix non *difficilius* ipſa re demonſtrandæ. Mox tamen presſius proſequitur explicationis partes, dum Naturæ eſſentiam ponit in tali *inhæſione in ſubiecto ſuo*, vt illi plane *intrinſece inexiſtere*, inhærere, ineſſe moneat, vt omnino propterea mereatur *principium* iſtius ſubiecti, (nempe in toto *complexu* affectionum ſuarũ *ad motum aut quietem* pertinentium, conſiderati) *intrinſecum*, & quaſi *concretum*, intelligi atque agnoſci.

§. XII. Recte ſane & ordine *hactenus*; Et bene mea ſententia feciſſet, ſi hîc ſubſtitiſſet, quod facere voluiſſe apparet, dum mox quaſi concludendo ſubdit, *eſt igitur Natura, quod dictum eſt.*

§. XIII. Neque vero ſubſequentes aſſertiones carebant vtilitate ſua, vt omni modo in-

 cul-

culcaret, illud, quod *Naturam* vocat, eſſe ita, vt ante notatum, perpetuò *in ſubiecto* ſuo, *cuius Natura eſſe* dicitur: Diſerte enim ita dicit; *Subiectum enim aliquod eſt, & in ſubiecto* (nempe tali) *eſt Natura ſemper.*

§. XIV. Sed offenderat iam, ſi recte perſpicio, antea, & facit illud prolixius in ſubſequentibus, dum implicatur circa aſſignanda ſuo ſubiecto, verba illa, καθ᾽ αὐτὸ, καὶ ȣ̓ κατὰ συμβεβηκός. *per ſe*, vel vt ibi habet, καθ᾽ ἑαυτὰ, *à ſe ipſis*. Certe enim videtur abruptus ille ſenſus omninò eo flecti, vt verba hæc omni modo ad illud *principium*, eiusque *exiſtendi*, *inexiſtendi*, *coëxiſtendi* modum pertinere intelligantur; vt ſit ſenſus, *ibi* dicendum eſſe, quod *adſit vel inſit Natura*, vbi non modo *principium* motus & quietis *inſit*, ſed inſit etiam *primo*, inſit *per ſe*, *non* inſit *per accidens*.

§. XV. Alium enim ſenſum non poſſum conciliare verbis illis: ȣ̓δὲν γὰρ (ποιȣ́μενον) ἔχει ἐν ἑαυτῷ τὴν ἀρχὴν τῆς ποιήσεως, ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν ἄλλοις οἷον ὀικία, καὶ μὲν ἄλλων τῶν χειροκμήτων ἕκαστον. Τὰ δὲ ἐν αὐτοῖς μὲν, ἀλλ᾽ ἐυ καθ᾽ ἑαυτά, ὅσα κατὰ συμβεβηκὸς αἰτία γένοιτ᾽ ἄν ἑαυτοῖς. i. e. nullum enim ipſorum (quæ *fiunt*) habet *principium* factionis ſui *in ſe ipſo*: Sed alia quidem habent hoc *in aliis*, & ab *exteriori*, vt domus & manufacto-

ctorum quoduis: Alia vero habent hoc *principium* quidem *in ſe*, ſed non *per ſe* ipſa, aut *à ſeipſis*, quæcunque nempe *per accidens ſui ipſorum cauſa* fiunt. Hic, inquam, vltima verba aliter accipere vel interpretari non poſſum, quam vt antea dixi, quod nempe loquantur de *modo* illo, quo *principium* hoc, nempe *Natura*, *in illis ſubiectis ſit*, in quibus eſſe dicitur.

§. XVI. Tanto magis vero operoſus eſt ad hoc vlterius ſtabiliendum, explicandum, illuſtrandum in ſubſequentibus, vbi illas locutiones recte intellectui proponere laborat, quid nempe dicatur, *ſecundum Naturam* eſſe, quid *à Natura* eſſe. Ipſa verba prolixe adducere piget; inferunt vero vndiquaque hoc vnum, quod *Natura* ſit tale motus aut quietis *principium*, quod certo ſubiecto *inexiſtat* ſeu inhæreat *primo*, inhæreat *per ſe*, & *non per accidens*.

§. XVII. Vbi ego quidem minime diſſimulo, aut *Ariſtotelem* non ſatis *vel in theſi*, *vel in hypotheſi* ſeu exemplis, rem hanc deduxiſſe, quomodo conceptus de tali *inhæſione per ſe* aut per accidens, qualem de *Natura* formare aut informare vult, præſertim in allatis illis exemplis, luculenter inſtrui poſſint: aut me ad minimum ipſum nequaquam ſatis percipere atque intelligere. Neque vero

ſolus ego ita hebes hîc ſum, ſed nota ſane ſunt exempla plurium; & inter hos nonnullorum, qui non paruam ſagacitatis exiſtimationem conſecuti fuerunt, quibus tota *definitio Naturæ* hactenus tacta, hoc ſenſu ita obſcura viſa eſt, vt ipſam pro *vana atque irrita* habere non dubitauerint.

§. XVIII. Omnes tamen hi, tum ab ipſius *Ariſtotelis* explicatione huius deſcriptionis, tum *interpretum* eius, quos quidē mihi hactenus videre contigit, pari aberratione ſeducti, & in res, quantum mihi videtur, ſatis clara confuſi, & à vero intellectu abducti fuerunt, dum hi quoque dicti *Interpretes*, incongruam applicationem *τȣ̃ ineſſe per ſe, primo &c.* ad indebitum *ſubiectum*, commiſerunt.

§. XIX. Mea itaque ſententia, antiquisſimi definitionis huius architecti, illud voluerunt, quod *Natura* ſit *principium motus & quietis*, non vbi *ipſa Natura* hoc principium ſit per ſe, primo, non per accidens: Sed ibi, vbi *motus ſit primo, per ſe, & non per accidens.*

§. XX. Ita, vt *verus ſenſus* definitionis ſequens ſit: Natura eſt principium motus aut quietis, in quolibet ſubiecto, in quo *motus aut quies ὑπάρχει*, exiſtit & quaſi *inhæret*, *eſſentialiter ineſt*, *πρώτως*, *primo & primario*, ſine mediata ſpeciali *dependentia*, *transſumptione*, *trans-*

tranſcenſu, communicatione: καθ᾽ ἀυτὸ, *per ſe* & quaſi *ex ſe*, iuxta *propriam* ſui eſſentiam: Non vero *per accidens*, ratione *fortuiti temporis, fortuiti gradus, fortuitæ directionis, fortuitæ* extrinſecæ *proportionis, fortuiti*, ſeu nullius certi & deſtinati, *finis* ſiue ſcopi.

§. XXI. Ex ipſa certe definitione innoteſcit affatim, quod vocabula illa, ἐν ᾧ ὑπάρχει, eadem prorſus, imo iuſtiore connexione, reduci poſſint ad τὸ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, quam per verſâ Ariſtotelis acceptione, ad *definitum* generale, τὴν φύσιν. Aliter enim ipſa conſtructio non ferebat, quam ita: τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, ἐν ᾧ ὑπάρχει, nempe illud κινεῖσθαι ἢ ἠρεμεῖν; et *propius* vtique, imo *proximum* eſt hoc *prædicatum* ὑπάρχειν, huic *ſubiecto*, motioni aut quieti, quam longe *remoto* definito, ſiue *ſubiecto* vniuerſæ definitionis.

§. XXII. Apparet tanto magis rei huius veritas, quod ex illa acceptione & peruerſa explicatione, quam *Ariſtoteles* & ſequaces eius in medium propoſuerunt, inextricabilis *petitio principii*, & inſuperabilis incertitudo reſultauerit, quo *fundamento* aut *argumento* deprehendi poſſit, an in oblata aliqua ſpecie, ante omnia apparentis ſuæ *quietis*, *conſtructionis*, *ſitus* principium ſit aut fuerit vel *intra* ipſam, vel extra ipſam. i.e. an *ſubiecta* talia, vel

naturalia exiſtant, vel artificialia, aut *fortuita*.

§. XXIII. Et ſane ſi quidquam vere *phyſicam*, non modo *materialem* ſed *corpoream*, conſtitutionem & habitudinem mutuæ *dependentiæ*, & *accuratam* eius penſitationem atque *attentionem* poſcit & requirit, eſt illud omnino *quies* in corporibus naturalibus, ſenſibus occurrens. *Motus* vero ſenſibus occurrens, eſt vtique ſubiectum tale, quod *ſcrutinio ſcientifico* iuſtam ſemitam patefaciat, atq; viam ſternat. Profecto enim magno interuallo *facilior* eſt illa indagatio *a poſteriori*, in quo corpore eſt *motus*, an hic motus ſit ab *externo* principio, magis vel minus manifeſto *ſecundario, communicatiue, accidentaliter*, ſubiectum hoc *adoriens* & occupans: Quam *a priori*, an in aliquo ſubiecto inſit *principium aliquod, motum* intrinſece & per ſe ſuſcitandi capax: præſertim, ſi tale corpus *viciſſitudines*, ſiue *gradus* motus habeat, ad magnam vsque remisſionem deſcendentes, quos vulgo *quietis* nomine denotamus.

§. XXIV. Certe enim longe promptior eſt ſubſumptio: *Hoc corpus habet motum* in ſenſus plus minus exquiſitos incurrentem, ergo habet vel à *principio intrinſeco*, vel *extrinſeco*. Vbi vlterior circumſpecta ſenſualis perueſtigatio, non modo liberum campum, ſed

ſed egregia etiam *ſubſidia*, inueſtigandi nanciſcitur.

§. XXV. Longe, inquam, promptior eſt hæc ſubſumtio quam altera illa, quæ in inueſtigatione Naturæ per ſe & *à priori* adhibenda eſſet, quæ ita ſonare deberet: Hoc Corpus vel *habet principium motus*, vel non *habet*: ergò *poteſt moueri*, vel *non poteſt*. Si *habet*, habet vel *primo & per ſe*, vel *per accidens*. *Habet* verò . . . . Vnde hoc demonſtrabitur, *à priori*, inquam? Nunquam certe in æternum; Sed vnice à poſteriori, *quia habet motum*: aut propter *ſtructuram* certam videtur *habuiſſe motum*, cuius ope partes in tale totum concretum, aggregatum, ſtructum, inter ſe inuicem admotæ ſint.

§. XXVI. Hac autem ratione luculenter patet, quod agnitio *exiſtentiæ Naturæ*, in aliquo ſubiecto ſubſiſtentis, inhærentis, inexiſtentis, non aliter, niſi *ex motu aut quiete* eius colligi & ſciri poſſit. Vt adeo recte à *motus præſentià, inexiſtentia*, & *dependentia*; vnice *Naturæ* præſentia & exiſtentia in ſubiecto tali concludatur *à poſteriori*, minime vero aliunde.

§. XXVII. Tantò magis verò perſpicua eſſe poteſt ὕπαρξις illa *motus aut quietis* ſecundùm conditiones illas, quæ in definitione requiruntur. Videlicet (1) an in tali ſubiecto,

motus *ὑπάρχῃ*, *πρώτως*, *primo*, *originaliter*, *οὐ* *δευτέρως*, non *ſecundo* quaſi *progreſſu* ſiue gradu, vt alibi ortus, huc tranſeat: (2) An inſit *καθ' αὑτὸ*, *ſecundum illud ipſum*, vt quaſi *immediate* illud ipſum, immediate non niſi *illud vnum* ſubiectum complectatur, afficiat, cum illo *concretum* vnum, & quidem *proprium*, conſtituat. (3) Non vero *κατὰ συμβεβηκός*: non *ex accidenti*, non *propter accidens*, ſed propter illud *ipſum*, & *in eius ſubiecti ipſius gratiam*, *vſum*, *neceſſitatem*, immediate: propter *aliorum* vero vſum, non niſi *δευτέρως*, & *accidentali* reſpectu.

§. XXVIII. Quæ omnia cum ita manifeſto ſeſe habere compareat, vt nempe ex acceptione & *explicatione Ariſtotelis* & *ſequacium* eius, plane nulla ſcientifica agnitio aut cognitio *τοῦ ὑπάρχειν τῆς φύσεως ἐν ὑποκειμένῳ τινι*, formari & erui poſſit, quamdiu *τὸ ὑπάρχειν*, *πρώτως ὑπάρχειν*, *καθ' αὑτὸ ὑπάρχειν*, acceptione Ariſtotelica, ad ipſum *definitum τὴν φύσιν*, refertur: econtra vero ſenſus definitionis, & totus *ordo cognoſcendi*, dilucidisſime procedat, ſi hæc *prædicata* referantur ad *ſubiectum* illud *proximum*, *motum aut quietem*, *τὸ κινεῖσθαι ἢ ἠρεμεῖν*:

§. XXIX. Concludimus hinc optimo prorſus iure, quod *Ariſtoteles*, *definitionem* in ſe *bonam*, minime ipſe *formauerit*; Sed aliunde acce-

acceptam, ne quidem *intelligere* potuerit: Imo, abſona interpretatione ita *corruperit*, vt omnium illarum *confuſionum* circa hoc negotium, ipſe non modo primus, ſed & *ſolus*, dux & Autor accuſari mereatur.

§. XXX. Sectatores vero eius, dum κατὰ πόδα verba Magiſtri ruminant, omnibus ſuis in hanc rem commentariis nihil aliud egerunt, quàm vt loci maiorem vmbram offunderent, quo ipſo liberioribus ſpeculatoribus atq; ſcepticis, totam definitionem, imo totam rem, non modo dubiam reddiderunt, ſed eo denique perpulerint, vt tædio altioris indaginis, totam rem ita male adornatam, pro friuolo & otioſo figmento aſpernarentur.

OBSERVATIO VIII.

De IVRE BELLI ET PACIS STATIBVS IMPERII COMPETENTE.

SVMMARIA.

PRæmonenda de tempore ſcriptæ huius diſſertationis & Autore eiusdem. §. I. *Occaſio ſcripti. Ius belli & pacis ſtatibus imperii competere, eſſe extra dubium.* §. II. *Duplex eſt hoc ius. Aliud enim ſtatibus competere iure ſtatuum, aliud iure ſuperioritatis territorialis.* §. III. *De priori prius*

agendum, & primo quidem de iure belli. §. IV. *Bellum eſſe rem maximi momenti commercioque priuatorum exemptam* §. V. *Ius belli & pacis in Imperio penes Imperatorem & ſtatus coniunctim reſidere.* §. VI. *Statuum conſenſum in iure belli iam ante capitulationes fuiſſe neceſſarium & ſaltem his confirmatum, vt & poſtea Inſtrumento pacis Weſtphalicæ* §. gaudeant. §. VII. *Expoſitio illius paragraphi. Controuerſia antiquæ de iure belli intuitu Imperii ſoli Imperatori competente.* §. IIX. *Suffragia in Comitiis competere ſtatibus non per modum conſilii ſed decreti. An ſemisſis ſummæ poteſtatis in Imperio ſtatibus competat, an plus?* §. IX. *In quibus negotiis iure ſuffragii gaudeant ſtatus.* §. X. *Decernere bellum continere tria capita, & in horum ſingulis ſtatibus ius ſuffragii competere* §. XI. (1) *in decreto conſultationis.* §. XII. (2) *Indictio belli quatenus ſoli Imperatori competat, quatenus ſtatuum conſenſus & ad hanc concurrat.* §. XIII. (3) *A decretione & indictione belli tanquam actibus tranſitoriis,* §. XIV. *differre quidem actus varios adminiſtrationis, ſed & in horum plerisque concurrere ſtatus.* §. XV. *Omiſſa accurata Inſtrumentorum adminiſtrationis diuiſione,* §. XVI. *Illuſtrantur dicta exemplis, conſcriptionis ſcilicet militum & conſultationis de numero copiarum,* §. XVII. *conſtitutionis Ducum maiorum* §. XIIX. *curæ rei tormentariæ & commeatuum, commercii literarii inter ſtatus & ſummum*

mum militiæ ducem, §.XIX. *iudicii militaris, conſtitutionis directorum & conſiliariorum, reddendarum rationum*, §.XX. *tributorum & collectarum imperialium*, §.XXI. *nouorum munimentorum extruendorum, aut veterum præſidiis firmandorum, hoſpitationis militum*, §. XXII. *induciarum longiorum*, §. XXIII. & *condirectionis belli* §. XXIV. *Porro & in iure pacis ſtatus concurrere, ſiue agatur de quæſtione an pax expediat Reip. Germanicæ* §.XXV. *ſiue agatur de ipſis pacis tractatibus ſeu de conditionibus eius*, §. XXVI. & *formula* §.XXVII. *ſiue denique de ratihabitione eius ſermo ſit* §. XXIIX. *Querela de neglectu quorundam iurium*, §. XXIX. & *eius cauſa* §. XXX. *Tranſitus ad alterum caput, de Iure Belli & Pacis ſtatibus vi ſuperioritatis territorialis competente* §. XXXI.

§. I.

SCripta fuit hæc diſſertatio eo tempore, cum in fœderato Belgio actio de ineunda pace proxime incipienda eſſet, Ratisbonæ vero in Comitiis Imperii inteſtinis disſidiis adeo laboraretur, vt conſilia publica penitus ſilerent, & ob mutua illa certamina nihil omnino rerum ſtatibus agere de republica licuerit. Quamobrem propoſitum autori fuit, commonefacere Ordines officii & iurium ſuorum, eosque ad capeſſendam

dam ſtrenue Rempublicam hortari, ne interea dum ipſi aliis de rebus inter ſe confliƈtantur, vnius arbitrio & curæ ea committant, quorum procuratio traƈtatioque ad omnes pertinet. Quæ præmonere ideo exiſtimauimus, vt diƈtorum quorundam ratio conſtaret, non ita facile ſine hoc monito perſentiſcenda, quando temporum conditio iam præterierit, cuius memores eſſe oportet, qui intelligere ſcopum autoris reƈte volunt. Cogitabit etiam Leƈtor, ſi quædam in hac diſſertatione deprehenderit paulo cordatius diƈta, quam admittere videatur decorum libertatis Academicæ; quod Autor officio ſuo, quod gerebat, tutus, liberiora ſcribere poterat, quam homines ſcholaſtici. Iam vero incipit ipſa diſſertatio.

§. II. De iure belli & pacis hoc tempore Reipublicæ haud intempeſtiua habenda eſt meditatio, quæ diſpicit, quid eâ in re Statibus Imperii liceat, quæque eorum ſit auƈtoritas. Nam cum non modo omnia bello perſtrepant, verùm etiam ſpes pacis, vtcunque dubia, affulgere videatur, ad Comitia autem Imperii, quo hæc negotia propria pertinent, omnia incerto magis rumore perferantur, quàm vt vlla cum ſtatibus ibi congregatis ſuper eiusmodi publica cura communicatio fiat, vel eorum ſententiæ more patrio rogentur

tur, quaſi Comitiorum omninò nihil interſit, quid alii de bello paceue adeoque de fatis Imperii ſtatuant, idcirco operæ pretium ille facturus videbitur, qui velut torpentes nos & faſcinatos commendatione iurium noſtrorum excitat & officii, quod patriæ nobisque debemus, commonefacit. Iura belli & pacis ſtatibus Imperii ab omnibus fere iuris publici Scriptoribus vindicari dubitatione caret. Eadem quoque ipſa re actuue per illos exerceri multa libertate inter ſe, & auctoritate apud cœteros non minori, experientia nos hactenus ſenſusque docuere, circumſtrepentibus toties armis à Statibus arreptis: & inter compoſitionem pacis officiis eorum ſtudiisque cum aliis populis coniunctis, ſiue in partem belli venerint, adeoque inter partes paciſcentes numerentur: ſiue mediatorum, quos vocant, munere agant, pacem aliis interceſſione aut arbitrio conciliaturi. Quare res miraculo fere ſimilis eſt, vt cùm ſinguli ſtatus, quibus potentiæ & opum reſpectus exiſtimationem apud gentes conciliat, hoc iure ſuo tam præclare vti nouerint ſocietate fœderum & belli, tùm etiam participatione de omnibus conſiliis, ſuper bello perſequendo ſeu ineunda pace propoſitis; Vniuerſi illi, & in vnum corpus collecti, qui formam Reipublicæ habent, vrgente tanta

re-

rerum negotioſa mole ſe non moueant, ſuamque etiam aûtoritatem deliberationibus & decretis Comitialibus interponant.

§. III. Eſt enim hoc ius Statuum genere duplex. Aliud Status Imperii habent iure ſtatuum, id eſt, quà ſunt Status ſeu Ciues, in partem adminiſtrandæ Reipublicæ admiſſi; & poteſtate de negotiis publicis deliberandi ſtatuendique præditi. Et aliud quà domini territoriorum ſuorum, ſuperioritate illa territoriali ſubnixi, quam priuati publicique iuris auctores nullibi non crepant, cùm paucisſimi reuera ſint, qui veram eius indolem & naturam intelligunt. Illud ius partem conſtituit ſummi Imperii, & poteſtatem facit ſententiæ in Comitiis de Republica dìcendæ, adeoque commune eſt ſtatibus velut pro indiuiſo, quando non niſi coniunctim omnes id exercent, ab Imperatore ad id conuocati, cuius eſt referre ad Status Imperii de bello ineundo, eorumque conſilium rogare, quod tamen decreti vim habet, & inſtar Senatus Conſulti eſt. *Concluſum Imperii* communiter vocare ſolemus. Alterum ius proprium eſt ſingulis Statibus, quo quisque vtitur pro captu ſuo & arbitrio, prout ei viſum e re fuerit, absque conſortio vel interventione alterius, non in ipſo modo Imperio, cùm inter Status res vertitur: ſed & mixtis cum externis genti-

ti-

tibus negotiis; ad præſcriptum tamen & regulam Legum publicarum atque officii Ciuis.

§. IV. Cum igitur propoſitum nobis ſit de vtroque genere huius iuris quædam commentari, a primo vt incipiamus, quod vti dixi, pars quædam eſt ſummi Imperii haudquaquam infima, ordo & dignitas rei poſtulat. Ius belli & pacis appellatur: de bello itaque primum, deinde etiam de pace.

§. V. Bellum eſt *ſtatus per vim certantium, qua tales ſunt.* Ita Grotius, cuius definitio hactenus palmam tulit. Res ſane momenti maximi, & a cuius ſobria tractatione exiſtimatio Reipublicæ: ſæpe etiam ipſa ſalus pendet. Itaque priuatorum commerciis merito exempta, & in vniuerſæ ciuitatis arbitrium collocata, cui ſollicitudo incumbit regiminis publici.

§. VI. Quanquam ciuitates non vna omnes forma vbique gentium reguntur, atq; etiam ego non ſine cauſa vereor, vt omnes omnium rerumpublicarum formæ ad ſolas tres illas quatuorue ſpecies commode referri poſſint, quas partitioni Ariſtotelis debemus, quem deinceps Politicorum vulgus ſequitur. Sane enim illuſtri Puſendorfio viſum eſt, irregularem formam addere, quæ mox ob illam ipſam irregularitatem, ſi ita lo-

qui fas, in alias innumeras formas ſubalternas tranſire poteſt. Quanquam etiam pro formæ diuerſitate definiendum ſit, cui belli paciſue arbitrium in Repuhlica vindicandum: tamen hæc inſpectio nobis in præſenti negotio eo minus anxie facienda, quod ſicuti vbique fere in quacunque Republica ab ipſo rerum vſu docearis, penes quem ſumma rerum ibi ſit, quam vt definire audeas, cuius formæ nomen reſpublica iſta referat; ita ſufficere nobis poteſt, quod conſtet, in Republica noſtra, quæ Imperium Romano-Germanicum audit, ius belli & pacis ſecundum leges & inſtituta patria penes Imperatorem & Status Imperii coniunctim reſidere, de quo neuter ſine altero ſtatuere poſſit, excepto defenſionis neceſſario caſu. De cætero haud ſolliciti, qualem in hoc ipſo Imperio formam regnare credibilius ſit. Plane ſingularem eam eſſe, atque adeo Reipublicæ noſtræ propriam, ſatis nouimus, quam ſi Imperialem dixeris, fortaſſis haud facile erraveris. Cuius tamen nouitatis in imponendis nominibus ego nemini autor eſſe cupio.

§. VII. Ius belli igitur Status Imperii cum Imperatore ſine dubio participant. Id eſt, non poteſt decerni bellum, non indici, non geri, non finiri ſine ſtatuum conſenſu & auctoritate, quod nimirum communi nomine

Im-

Imperii incipiendum adminiſtrandumque eſt. Antiquisſimum hoc ius Statuum, & iam vltra duo ſecula publicis legibus definitum: adeoque per Capitulationes repetitum potius & confirmatum, quam introductum. Scriptas Capitulationes ante Caroli V. Imperium non habemus. Atqui tamen diu ante hunc Imperatorem auus eius Maximilianus I. fidem dederat, ſe absque ſcientia & voluntate Statuum nec bellum cum exteris initurum, nec fœdera pacturum, qua de re Conſtitutio extat Wormatiæ anno 1495 facta, ſub titulo: Handhabung des Friedens / rechtens und der Ordnung. rubr. die Königl. Majeſt. Itaque cum Status in Comitiis Wormatienſibus, anno 1509. habitis id a Maximiliano non ex aſſe obſeruatum arguerent, eamque ob cauſam ſe ab auxilio contra Venetos, quod eos Imperator poſtulauerat, excuſarent, is operoſa defenſione placandis illis opus ſe habere credidit, quam actionem inter Imperatorem & Status eo tempore inſtitutam recenſet Goldaſtus opere ſuo der Reichs-Handlung pag. 84. & ſeqq. Inter cauſas enim denegati auxilii, quas ſtatus allegant, id præcipue eſt grauaminis loco, quod bellum contra Venetos absque præſcito eorum & conſenſu decretum, & quod eis non

ſatis conſtet de commodis damnisue per id in Romanum Imperium redundaturis: obiectis etiam magna libertate ſuperioribus bellis, quæ temerarie ſuſcepta, non ſine graui ignominia & cum fraude reipublicæ finierint: Poſt hæc a Caroli V. tempore id ipſum ius ſingulis Capitulationibus magna perſpicuitate aſſertum & iureiurando munitum, donec tandem tabulis Weſtphalicæ pacis in legem perpetuam & fundamentalem eualuit, fideiuſſoribus Gallia & Suecia. Ita enim conuentum §. 8. Inſtr. Pac. *Gaudeant ſine contradictione iure ſuffragii in omnibus deliberationibus, ſuper negotiis Imperii, præſertim vbi leges ferendæ vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hoſpitationes militum inſtituendæ, noua monumenta intra Statuum ditiones extruenda, nomine publico, veterave firmanda præſidiis, nec non vbi pax aut fœdera facienda &c. &c. nihil horum aut quicquam ſimile poſthac nunquam fiat vel admittatur, niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu.*

§. IIX. Merentur hæc verba legis paulo preſſius inſpici, & cum aliis legibus ſuperiorum temporum, quatenus his per illa derogatum non eſt, conferri. Ita enim quid iure belli & pacis comprehenſum ſit, rectius edocebimur. Primo igitur ſtatuitur, *gaudeant*

ſine

ſine contradictione. Hoc innuere videtur, fuiſſe olim contradictionem inter Imperatorem Romanum & Status Imperii. Et ſane in actione illa, quam paulo ante Maximiliano I. cum Statibus fuiſſe retulimus, Imperator non omnes eorum querelas iuſtas & decoras agnoſcit, ſed & quædam ſuo ſe iure facere potuiſſe contendit, & tantum non increpat aliquando Status, quod ipſum tot tantisque accuſationibus onerare non vereantur. Præterea quædam ſæpe neceſsitate temporum excuſabantur, Statibus Imperii contradicentibus, neque exceptionem illam probantibus; quam ſibi fraudi cedere intelligebant. Inde rurſus controuerſiæ, ſimultates & odia, ſed & neſcio, an non ante Maximiliani I. tempora Imperatores in bello decernendo poteſtate vixerint aliquantum liberiore. Id quidem pro comperto habeo, Imperatores, ex quo poſt Carolinum nomen in Germania ex ipſis Germanis deſignari cœperint, quoties cum auxilio & opibus Statuum gerere bellum voluere, conſenſu, etiam ſuffragio eorum opus habuiſſe, quo forſan omnia illa exempla pertinent, quæ Limnæus *ad artic. II. Capit. Carol. V. p. 184.* ex Mutio aliisque hiſtoricis recenſet. Enimuero nihilominus quæſtio ſupererat, quodſi bello Imperator ſuis ſe viribus parem iudicaſſet, an

an non id ei incipere licuiſſet inconſultis etiam Statibus? qualis rerum ſtatus adhuc in Anglia eſſe dicitur, vbi Rex indicendi belli poteſtatem habet, ſi bello ſufficit ex ſuo ærario. Sin vero tributis populi in id opus habet, tum demum Concilii regni, ſeu Parlamenti auctoritate vtitur. Hæc controuerſia iam apud nos per Capitulationes & Inſtrumentum pacis ſublata eſt, omnique bello interdictum, quod ſine ſtatuum conſenſu ineundum eſt, etiamſi nemo eos auxilia & pecuniam poſtulare voluerit. Nam facilis eſt & vix euitabilis implicatio Statuum bello per Imperatorem imperii nomine ſuſcepto. Adde quod ad omne negotium publico nomine gerendum auctoritate Statuum etiam opus ſit, præſertim ex quo tempore ſucceſſio in Imperium non ab hæreditate, ſed libera electione delata. Recte igitur ſancitum eſt, *gaudeant ſine controuerſia &c.*

§. IX. Debent autem gaudere Status iure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii. *Ius ſuffragii* dum lex nominat, facile apparet, aliquid longe ſublimius ſignificari, quam quod rationem conſilii habet. Quamuis enim decreta Statuum in Comitiis communi appellatione Conſilium, ſeu id quod mihi factu recte videtur, Gutachten audiant: id tamen potius modeſtiæ

cau-

cauſa ſic dictum, quam vt vim decreti minuat; neque enim res nominibus accommodantur, ſed nomina rebus. Ius hic ſuffragii ſuper negotiis publicis ita deſcribitur, vt nihil horum niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu fieri vel admitti debeat. Quare argumentum validiſſimum ſuppeditat pro actuali participatione in adminiſtranda Republica: Vt iam ipſam vocis vim non valde vrgeam, quæ, ex vſu loquendi & inſtitutis omnium Rerumpublicarum eo tendit, vt ſicuti, qui in populo olim Romæ, Athenis, Lacedæmone ius ſuffragii, id eſt, poteſtatem ſtatuendi de rebus ciuitatis ſuæ, habuere, & hodie apud Polonos, Venetos, Belgas, Heluetios habent, in ipſum regiminis conſortium admisſi, & ſummæ poteſtatis participes facti creduntur; Ita etiam conditio Statuum Imperii hanc ſublimem vocis ſignificationem ſibi vtique recte vindicet, quanto eſt æquius, vt qui integras prouincias, vrbes atque territoria iure proprio poſſident, ne ſaltem ciue Romano, qualis olim fuit, vel nunc Nobili aliquo Polono aut Veneto in iure ſuffragii, eiusque autoritate deteriori loco habeatur. Effecit hæc conſideratio, habita ſimul Maieſtatis Cæſareæ & plenitudinis eius, quæ vocatur, ratione, vt Statibus Imperii ſemisſis

ſummæ poteſtatis tribuatur, tanta huius ſententiæ certitudine & auctoritate, vt etiam in Senatibus Imperii, adeoque veluti ſub Imperatoris oculis ſuffragia publica lata fuerint, quæ credidere ſe non parum de Principe ſummo meruiſſe diſtributione huius ſemisſis, & dum alteram ſoli Imperatori relinquunt. Sunt enim quibus religio eſt, tantum conceſſiſſe. Ego ſicuti vni vel alteri parti admetiri quicquam certi veluti ex modio vel ad menſuram non auſim; Ita pro comperto habeo, quamcunque etiam portionem Status Imperii ſuffragii iure in adminiſtranda Republica obtinuerit, eam eſſe ex genere iurium ſummi Imperii, adeoque ipſos Status hactenus cum Imperatore in eius rei eſſe communione: ſiue id ex æquo fuerit, ſiue ex impari. Pares ſaltem in eo certe erunt, vt neuter ſine altero nihil publicæ rei decernere, nihil exequi poſſit. De cætero ordo negotii hic eſt. Imperator refert ad Status de Republica, Status conſultant & ſuffragia ferunt: Poſt ſententias dictas fit concluſum primo cuiusque collegii, deinde totius Imperii: id quod etiam nomen Senatus Conſulti ſiue Concluſi Imperii, Reichsſchluß obtinet, quamdiu hac forma ſubſiſtit. Certe ad Imperatorem miſſum Reichsgutachten appellatur. Enimuero ſicuti hæc germanica

vox

vox nudum conſilium hoc loco non ſignificat, ſed eodem ſenſu eſt cum altera Reichs-Schluß / ſono ſaltem modeſtiori & ad ſubmiſſionem compoſito; Ita quoties acta publica latine loquuntur, hanc vocem Reichs-gutachten / nunquam de Conſilio, ſemper vero de Senatus Conſulto vel Concluſo Imperii intellectam, & ſic etiam de verbo ad verbum redditam ſenties.

§. X. Hoc ius ſuffragii eſſe dicitur *in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii*; Iſtorum negotiorum quædam ſingulatim exprimuntur. Quæ ſint reliqua eiusmodi generis alia, vti prolixe ſcriptores occaſione huius argumenti tradunt, nec omnes in eo conueniunt, ita mei inſtituti non eſt, ſeu facere catalogum, ſeu factum ab aliis meæ cenſuræ ſubiicere.

§. XI. Mihi ſufficit in præſenti cauſa, Status Imperii gaudere ſine contradictione iure ſuffragii, *vbi bellum decernendum*. Decernere bellum ambitu ſuo & ſenſu legis hæc tria complectitur. Decretum præuia conſultatione factum, indictionem, & adminiſtrationem. In ſingulis gaudere Status iure ſuffragii, nec iura nos dubitare ſinunt, neque vſus.

§. XII. Primo quod decernendum bellum attinet, hic expreſſa etiam ſunt verba, addi-

ta paulo poſt prohibitione, nihil horum poſthac vnquam fiat, niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii ſtatuum conſenſu; quo cum conſentit Capitulatio Leopoldina *art. 13.* quæ bellum decerni vel incipi vetat absque ſuffragio ſtatuum, quodcunque etiam prætextum illud habeat. Hæc ſatis clara ſunt. Adeoque cum bello Gallico ſuperiori tardarent Status Gallum pro hoſte habere, atque in eum bellum decernere, illud bellum, quod Imperator fere biennio ante iam gerere cœperat ex fœdere cum quibusdam Statibus inito, pro communi Imperii bello neque a Gallis neque ab ipſis ſtatibus habitum fuit, commorante interea Ratisbonæ in Comitiis Gallico Miniſtro Grauello, & munera amici in ſpeciem obeunte, donec anno 1674. demum migrare iuberetur.

§. XIII. Indictionis ſiue clarigationis eadem eſt ratio. Nam decernere bellum ſuo ſenſu etiam eſt indicere; quanquam ſolennem actum indictionis, qui propoſito edicto peragitur, & ſpeciem ſupremæ exemtionis habet eorum, quæ per Status decreta ſunt, Imperatori merito relinquimus. Interea id certum eſt, qui ſine Statuum ſuffragio bellum decernere non poteſt, is neque illud indicere niſi his ipſis ſuffragantibus poteſt.

§. XIV.

§.XIV. Neque ſane aliter ſe res habet in adminiſtrando bello. Hoc ſaltem intereſt, quia decernere bellum & indicere ſunt actus tranſitorii, quorum alter ex primo velut reſultat, in eoque continetur, itaque quod lex de bello decernenda ſtatuit, ad indicendum rectisſime extenditur; præſertim cum in Capitulatione belli gerendi mentio fiat, quæ indictionem iam præſupponit.

§. XV. Circa adminiſtrandum bellum res paulo aliter comparata eſſe videtur, quia enim hoc negotium pluribus actibus, qui ſibi inuicem ſuccedunt, conſtat, & in varias curas abit; ita fateor ego, ex Legis verbis ſtricte non ſequi, ſine quorum conſenſu bellum decerni non poteſt, id neque ſine illis geri poſſe, ſi adminiſtrationem ſingulorum ſpectes, quibus opus habet bellum feliciter atque prudenter gerendum: poſſunt enim hæc vnius fidei & arbitrio committi exequenda, imo poſſunt more patrio relicta eſſe. Enimvero ſi ad hunc ipſum patrium morem attendimus, ſimulque ſupplemus ea ex aliis legibus, quæ Conſtitutioni in artic. VIII. Inſtrum. pacis contentæ, atque Capitulationi Leopoldinæ deeſſe videntur, liquido conſtabit, in hoc etiam adminiſtrandi belli articulo Status plurimorum, quæ eo pertinent, participes eſſe, non expediendorum niſi

com-

communibus ſuffragiis. Vereor vt exactam omnium commemorationem facere poſſim, quorum tamen recordari pro tempore licet, iſta breuiter recenſuiſſe nihil, opinor, vetat.

§. XVI. Poſſem quidem iſta fere omnia vno communi nomine *Inſtrumentorum* comprehendere, quæ iterum in principaliora, vt milites, & minus principalia, quæ illis inſeruiunt, diſpertiri liceret. Sed nolo tam accurato ordine defungi, potius prout vnum quodque mihi ſuccurrit, illo in exemplum vti venia ſit.

§. XVII. Decreto ſemel bello, prima eſt *cura de conſcribendis militibus & ordinando exercitu*, quibus rem in hoſtem geſturi ſumus. Hinc ante alia neceſſaria eſt *conſultatio de numero copiarum.* Atque eam rem Imperatorem ad Status Imperii referre ſolere, eorumque ſententiam exquirere, vt vetera omittam, acta Comitiorum de anno 1644. & deliberationes publicæ terna vice in his Comitiis ſuper ea habitæ abunde oſtendunt, vbi ſemel contra Turcam, deinde in Gallos, & tertium aduerſus quoscunque hoſtes aggreſſores exercitus maiore ſtudio decretus, quam conſcriptus eſt. Adhæc ſimul definitum, quem quisque circulus Imperii præſtare numerum debeat equitum, dimachorum & peditum. Hic miles ita decretus & conſcri-

ſcriptus dicitur *nomine Imperatoris & Statuum*, vel etiam nomine *Imperatoris & Imperii* conſcribi, itemque *in ſeruitio Imperatoris & Imperii eſſe*: & totus exercitus *miles Imperii* das Reichs-Volck. Die Reichs-Armee, der Röm. Kayſerl. Maj. und des Heil. Röm. Reichs Kriegs-Heer / cuius rei in fidem videſis loca actorum apud Limnæum *ad artic. 11. Capit. Caroli V.* adducta.

§. XIIX. *Conſtitutio Ducum maiorum* qui Generales appellantur, itidem per Statuum ſuffragia fit, qui & ſuum cuique locum & ſtipendia aſſignant, tum iuramento adigunt in verba Imperatoris & Imperii. Imprimis ſummus ille exercitus Dux, quem Generalem Campi Marescallum vocant, ex Statuum voluntate commendatur Cæſari, imo fuit aliquando tempus, cum Status Imperatorem rogarent, vt copiis ſummo cum Imperio præeſſe ipſe velit.

§. XIX. *Cura rei tormentariæ & Commeatuum* ſiue annonæ ad eandem claſſem referuntur, vti & *leges diſciplinæ militaris*, vulgo articuls-Brieff / quæ res ante annos viginti & quod excurrit Statuum deliberationibus copioſam materiem præbuit. His adde *commercium literarum inter Status & ſummum militiæ Ducem*, cum quibus ille non modo de bello adminiſtrando, ſeu pugnandum in hoſtem

ſtem fuerit, ſeu vrbs obſidenda, confert: verum etiam ab eis mandata accipit gerendæ rei. Imperatoris ſic ſemper memores ſumus, cuius approbatione & iuſſu decreta Statuum velut auctoramentum habent.

§. XX. Operoſum nimis eſſet minora alia commemorare, quæ olim in Comitiis hiſce magno ſtudio agitata ſunt, cum publicæ defenſionis & ſecuritatis negotium ferueret, veluti *de Iudicio militari, de Directoribus & Conſiliariis ſummo militiæ duci adiungendis, de reddendis rationibus acceptorum & expenſorum*, quas Commiſſarium Generalem ſiue Quæſtorem poſtulamus; & quæ ſunt plura huius generis, quæ nunc per partes exequi inſtituti ratio non fert. Satis enim eſt ad præſens argumentum prouocatione ad acta, quæ neminem latent, oſtendiſſe, de iſtis omnibus Status Imperii liberis ſuffragiis ſtatuere poſſe, eorumque conſortium Imperatorem libenter admittere, actis ſæpe gratiis pro negotiis tam egregie digeſtis ac ordinatis.

§. XXI. Illorum tamen obliuiſci adhuc non poſſumus, quorum expreſſam mentionem tabulæ pacis Weſtphalicæ faciunt. Primum eſt de *Tributis ſiue Collectis Imperii* absque conſenſu & ſuffragio Statuum non indicendis, quorum toto bello maximus eſt vſus, cum pecunia ſit rerum gerendarum neruus.

Hinc

Hinc toties deliberatum de publico ærario inſtituendo ferendis belli ſumptibus. Vernacula noſtra res illa dicitur die Reichs-Caſſa, nomine ſemper ditior quam opibus, moroſitate & cunctatione conferentium, quos hactenus ad officium præſtandum nullæ leges ſatis coercuere, cum vix accuſationem de reſiduis ferrent, nomini vero *Moroſorum* etiam iraſcerentur. Excuſationes a variis cauſis petitæ, ſed inprimis cenſus in matricula Imperii deſcripti inæqualitas, nonnullis cenſu illo ex parte leuatis, dum reliquis antiquum onus incumbit, maximas querelas peperit. Hinc aliud conſilium inuentum, ſcilicet vt relicto in matricula cenſu, quem frequentes minutiones, hodie *moderationes* vocant, absque ſufficienti facultatum cognitione ad partis inſtantiam & quasdam commendatitias ſuperfunctorie conceſſæ plane turbauerant, vnusquisque Statuum pro numero militum gregariorum, quos conſcribere tenebatur, certam pecuniam ſolueret, in pedites quadraginta crucigeris, monetæ id genus eſt, & in equites duobus florenis impoſitis, id quod ſimplum vocabatur, duplo vel triplo poſt augendum, ſi neceſſitatibus ærarii non ſufficeret. Sed & hoc commentum effectu caruit, pauciſſimis ſolutionem præſtantibus, nullo in publicum bonum emo-

lu-

lumento. Vnde etiam illuſum ſibi a reliquatoribus eſſe, prompti illi & officioſi Collatores non ſine indignatione queſti ſunt. Olim adhuc alius erat contribuendi modus habito omnium bonorum exacto cenſu, quorum deinde certa pars ſoluebatur, vulgo nummus communis, ſiue der gemeine Pfennig/ quocum hodie comparare poſſes genus tributi nonnullis locis extra ordinem premente neceſſitate inſtitutum, die Vermögen-Steur/ſed id prorſus in deſuetudinem abiit, nec facile reuocari in vſum poteſt, auerſantibus Statibus opes ſuas ab aliis exacte cognoſci & æſtimari. Itaque cum vſus docuiſſet, ærario publico non valde conſuli, ſpe in Statuum contributione collocata, cogitatum eſt de inſtruendo eo aliis mediis, per quæ Statuum patrimonio nihil decederet, neque etiam ſubditos nouis oneribus ſubiici oporteat. Et ſane fuere hanc in rem propoſita haud omnino ſpernenda. Sed dum omne defenſionis publicæ negotium hoc tempore quieſcit, ſuperuacanea etiam viſa eſt ſollicitudo, ærarii rationem habitura.

§. XXII. Alterum eſt, vt *noua munimenta* intra ſtatuum ditiones nomine publico ne extruantur *veterave præſidiis firmentur*, niſi de Comitiali liberoque omnium ſuffragio & conſenſu. Ac denique tertium, ne item *de-*

le-

lectus aut hoſpitationes militum aliter inſtituantur. Quod ad munimenta tamen attinet, ea per legem non intelligi apparet, quæ momentaneæ ſecuritatis causa in expeditione contra hoſtem extruuntur; ſæpe enim referendi ea de re ad Status facultatem occaſio non permittit, ſed quæ firmandi limitis cauſa duraturo ad perpetuitatem opere fiunt. Interea etiam ſi quid tumultuario labore pro impetu hoſtili coercendo excitatum fuerit, qualecunque id ſit, ſi ſtare id poſtea & præſidio teneri perpetuo debet, hæc eadem lex ad Status Imperii poteſtatem ſtatuendi defert. De Hybernis, hoſpitationibus & delectibus militum res clarior eſt, quam vt explicatione indigeat. In his enim negotiis conſultatio ſemper moram aliquam patitur, cum facile maturis mandatis præuerti incommoda & turbæ poſſint, nec improuiſa vnquam ſint, quæ huc pertinent, ſi tempore & occaſionibus vti placeat.

§. XXIII. *De induciis* paucorum dierum concedendis veluti ſepulturæ gratia vel inter loci obſidionem alias ob rationes, arbitrium ducum eſſe debet. Sed quæ longius in menſes aut annos prominent, imprimis vero, ſi multos in annos fiant, quia paci ſunt propiores, inconſultis ſtatibus pangi non poſſunt.

§. XXIV. Si de ſumma *directione* belli quæ-

ritur, illa quidem procul dubio ad Imperatorem ſpectat. Sed hoc nomine a condirectione excludi ſtatus non poſſunt, niſi quibus in rebus Imperatori arbitrium eſt collatum Comitiali conſenſu & ſuffragio, in cæteris idem agendi modus manet, quem iura Statuum, & forma Comitiorum deſiderant. Ex actis enim Comitialibus abunde conſtat, quam Condirectionem Status ſuperiori bello Gallico, in omnibus fere inſtruendi gerendique belli momentis vſurparint, probante Cæſare, & ſtudium ſæpe magnifice laudante Summa igitur erit Imperatoris directio belli, quæ Summum Principem & Adminiſtratorem Imperii decet, erit vero vna etiam directio quædam Statuum, prout dignitati eorum & auctoritati ſuffragiorum, vnde decreta Imperii fiunt, conuenit.

§. XXV. Tandem etiam *ius pacis* habent Status, quæ item iuxta formulam Tabularum non aliter ineunda quam ſuffragiis illorum & decreto : ſiue quod idem eſt, *comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu.* Videamus igitur per partes, quid hoc iure pacis faciendæ contineatur. Prima igitur inſpectio eſt, *an expediat Reipublicæ*, pacem fieri, aut bellum geri. Bellum enim quod ſtatus vnitis cum Imperatore conſiliis & animis ex neceſſitate Reipublicæ ſu-

ſuſcepere, iisdem finiendum eſt pace ſecura, ſtabili & glorioſa : quare omnino ad eorum conſultationem pertinet ſtatuere, an pro temporum conditione talis pax haberi poſſit, vel ſatius ſit, bellum pro obtinenda perſequi. Maxima pars ſalutis Reipublicæ dependet ab eiusmodi conſiliis quam ſaluam eſſe & felicem Statuum præcipue intereſt. Eorum igitur hic res agitur, itaque eorum etiam conſenſu & auctoritate opus.

§.XXVI. Deinde *de conditionibus & formula pacis* Status decernendi poteſtatem habent, quæ actio ad ipſam tractationem pertinet, vnde euincitur, *tractatuum* etiam *pacis* Status fieri debere participes. Concurſum dicimus ius illud, quo ſua pro parte actioni interſunt, & publico Imperii nomine de legibus diſceptant, in quas facienda pax eſt. Sub Imperatoris tamen veluti præſidio & ſuprema directione, qui in cauſis communibus, & vbi ad Exteros commune decretum referendum eſt, ſuis atque Statuum auſpiciis rem gerit. Hoc tribus fere aut quatuor modis fieri poteſt. Vno, quando Status rem omnem fidei Imperatoris & prudentiæ committunt, ratum gratumque habituri quicquid communi nomine egerit. Altero, cum actio pacis in loco inſtituitur, vbi Comitia ſunt, quæ expeditisſima ratio perficiendi negotii, cum

facile ita de ſingulis Imperator referre ad Status eorumque ſententiam de republica habere poſſit. Hoc modo Armiſtitium illud vicennale initum. Tertio, cum Status ad conuentum & actionem delegatos mittunt ex ſuo corpore idoneo procuratorio inſtructos, qui repræſentant Status & vice omnium ex mandato ſuffragia ferunt, ita ante tria circiter luſtra Francofurti ad Mœnum agere cum Gallis placuerat: & quarto denique, vt ſolus Imperator interſit actioni, nemo autem communi Statuum nomine; *ita* tamen vt Imperator in ſe recipiat Statibus in Comitiis congregatis communicatum iri de omnibus, quæ in conuentu illo hinc inde proponuntur, vt ſuper iis deliberare atque decernere ipſi etiam poſſint. Hac ratione Neomagi arbitror negotia fuiſſe tractata. Ex hiſce viis quæ præſtet alteri, non eſt meum definire. Id pro comperto habeo, ſi Status e re ſua & dignitate duxerint, ipſis tractatibus per Delegatos intereſſe, neminem ſane ius habere id impediendi, neque eſſe, quo hæc eorum auctoritas in dubium vocari recte poſſit.

§.XXVII. Poſtquam demum diſceptatis conditionibus de pace conuenit, Imperator antequam illam concludit, *de formula conuenta* denuo refert ad Status & ex eorum ſententen-

tentia conſilia capit: id quia in conuentu Neomagienſi intermiſſum fuerat, Imperator excuſauit Statibus, fidemque dedit, fraudi eis atque præiudicio haud fore: obtenta ſcilicet ſunt eo tempore negotia, quorum ratio moram non ferebat, quæ excuſatio in bonam partem quidem accepta, ſed & ſimul poſtulatum eſt, ne eiusmodi quid amplius fieret.

§. XXIIX. Tandem etiam concluſa pace vt eam Status *ratihabeant*, vltimum eorum ius eſt circa hanc rem: id quod ſolenni illa ratihabitione pacis Neomagienſis & Armiſtitii Ratisbonenſis clarisſime demonſtratur. Quin hanc Statuum ratihabitionem tempore prædicti armiſtitii Rex Galliæ tanti fecit, vt iisdem actu reciproco peculiari, per Legatum ſuum Directorio Moguntino exhibito cauere voluerit, quod ſcriptum adhuc in Cancellaria Moguntina aſſeruatur.

§. XXIX. Ex his ſuo ordine deductis, quæ ſupra opinionem prolixiora fuere, notitia aliqua eius iuris prouenire poteſt, quod Statibus circa bellum & pacem competit, & quod illi non vna occaſione exercuere actibus, qui ad rei memoriam ſatis illuſtres ſunt. Cum igitur Tabulis pacis Weſtphalicæ ſacra adeo & conſtans ſit lex, *nihil horum aut quicquam ſimile poſthac vnquam fiat, niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & con-*

ſenſu, non ſine cauſa admiratio nos & ſtupor ſubit, qui fiat, vt hoc præſenti bello iſtorum omnium nulla fere ratio habeatur? ſane quidem, quod bellum attinet decernendum atque indicendum, egregie Status partes ſuas expleuiſſe videntur actuum ſolennitatibus, quorum inſpiciendorum cupido etiam peregrinos cepit. Sed & Status mandatorum quæ vocant auocatoriorum & inhibitoriorum publicatione, quibus partim Germani & Itali Feudatarii, qui apud Gallos ſtipendia meruere, domum vocantur, partim merces Gallorum importari vetantur, ſeueriſſimis poenis in eos decretis, qui in hæc peccare auſi fuerint, dignitatem ſuam atque exiſtimationem egregie tutati ſunt. Sed his velut omni impetu conſumpto, hactenus deſides conſedimus, omni cura belli adminiſtrandi in alios deriuata, abs quorum prouidentia & ſtudio in rempublicam ſi fuiſſet, nobis ſane res non niſi peſſime geri potuiſſent. Et profecto dici non poteſt, quantam Status Imperii hoc ſuorum iurium neglectu iniuriam ſibi faciant, cum præclarisſima occaſio ad manus ſit, & de Republica fortibus conſiliis bene mereri, & auctoritatem ſuam locumque in Republica pro more patrio tueri. De indicendis tributis, de aſſignanda in vſus belli pecunia, de delectibus, de hybernis

nis & hoſpitationibus militum, de vniuerſa denique gerendi belli ratione nihil amplius refertur ad Status, nihil cum eis communicatur. Adhæc de tractatibus pacis vndiquaque nunciatur, & vt fama communis fert, negotium illud haud procul a conclusione abeſſe dicitur. De iis omnibus certiores facere Status oporteret, eorumque ſententiam de conditionibus rogare, quorum tantopere refert, quibus facienda pax ſit, cum ſi quid hoſti contra leges Weſtphalicæ pacis aliquid vtique relinquendum fuerit, id Imperium Statusque ſuo de patrimonio publicæ tranquillitatis cauſa conſecrare debeant, vt celanda eis res nullo modo ſit, quæ adeo prope & intime illos boni maliue ſenſu tangit. Vno verbo, ea tempora Reipublicæ ſunt, vt ſi non eſſent Comitia Statùum, illa vtique præſenti periculo habenda eſſent. Nunc cum ipſis in Comitiis verſemur, ita a longo iam tempore agitur, ac ſi nulla omnino haberentur: abiecta omni publici boni cura, quatenus illa ad Senatum illum Imperii pertinet; adeo nullæ amplius deliberationes, nulla ſuffragia, nulla decreta nobis cordi ſunt, diuiſis in factiones, & impeditis per contraria ſtudia.

§. XXX. Atque hæc ipſa animorum ægritudo eſt, cuius cauſa in nos vnice redundat;

præter nos nemini facile imputari poteſt. Scilicet ob iram vnius rei, quæ, vtcunque protrahatur, perficienda tamen denique eſt, cum longius iam proceſſerit, quam vt reuocari penitus poſſit, tantillam moram redimere placet iactura huius maximi & æſtimabilis iuris noſtri, quo belli pacisque negotia moderamur. Niſi enim ipſi nobis offenſioni eſſemus & impedimento, niſi arma ſuppeditaremus in nos vertenda, non eſſet profecto facile alius, qui litem nobis mouere auderet. Saltem inuidia & exprobratio, qua nunc mutuo nos premimus, in illos recideret, qui diſſenſiones noſtras in ſua commoda vertunt, & irridere etiam nos videntur, cum eas pro excuſatione habent.

§. XXXI. Hactenus de iure belli & pacis, quod ad Status Imperii pertinet iure Statuum. Nunc de illo diſpiciendum foret, quod *ex ſuperioritate territoriali* prouenit & ſingulis eſt proprium. Eſt enim hoc argumentum pars altera diſſertationis noſtræ. Cum vero prior hæc ſupra opinionem excreuerit, ea quæ reſtant, peculiari operæ deſtinamus.

OB-

OBSERVATIO IX.

IVLIANVS AN VNQVAM VERE FVERIT CHRISTIANVS?

SVMMARIA.

Communis perſuaſio, Iulianum ab ineunte ætate fuiſſe Chriſtianum. §. I. *Vnde & communiter Apoſtaſiæ accuſatur.* §. II. *Circumſtantiæ & occaſio Apoſtaſiæ eius* §. III. *Veroſimilius eſſe, quod Iulianus nunquam ſincere Chriſtianus fuerit, neque Chriſtianam doctrinam vnquam exacte cognouerit.* §. IV. *Refutatur aſſertio, quod Iulianus ab Eccleſiaſticis viris ſub Epiſcopis in iuuentute informatus fuerit.* §. V. *Fabulam videri, quod Iulianus baptizatus & apud Chriſtianos Lector fuerit* §. VI. *Reſpondetur denique ad reliquas rationes ſententiæ communis* §. VII.

§. I.

IVlianum vere quondam Chriſtianam profeſſum fuiſſe pietatem apud pleroſque dubio vacat. Sozomen. *lib. 5. hiſt. Eccl. c. 2. p. m. 539. edit. Græco-latin. in Germ. adornata* ſcribit: *eum parentibus Chriſtianæ religioni addictiſſimis ortum fuiſſe, a puero iuxta Eccleſiæ ritum initiatum & ſacris literis inſtitutum, ſub Epiſcopis denique & Eccleſiaſticis viris educatum fuiſſe.* Ioh. Cuſpinianus *de Cæſaribus*

atque Imperatorib. Roman. p.m. 156. docet, quod *initiandus & primum erudiendus Euſebio Epiſcopo Nicomediæ fuerit traditus*, quem, vt alibi paſſim, preſſo pede ſequitur Chriſtian. Matthiæ *in Theatro hiſtorico theoretico-Practico p. 684.* His præiuiſſe Pomponius Lætus non immerito creditur. *Conf. etiam Hottinger. Hiſt. Eccleſ. part. 1. p.m. 183.* Imo, ſi Gregorium Nazianzen. Ruffinum & Theodoritum audias, lectoris officio in Eccleſia functus; ita enim Cyri Epiſcopus *lib. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 2. p. 125. in lectorum numerum adſcriptus ſacros libros in Eccleſiaſticis conuentibus populo recitauit*; Cui *l. c.* concordat Sozomenus, qui diſerte, *Iulianum & fratrem eius Gallum ab humaniorum artium Magiſtris & a doctoribus ſacrarum literarum ita fuiſſe eruditos* ſcribit, *vt in Clerum adſcriberentur & Eccleſiaſticos libros populo prælegerent.* Nec his deuotio eius circumſcripta terminis ſtetit, ſed & reuerentia in clerum & martyres illuxit; vberiusque expoſitum tum a Theodoreto tum & a Sozomeno, quomodo Iulianus & Gallus fratres opus inter ſe partiti ſepulchrum Mennæ Martyris ampliſſima baſilica circumdare ſtuduerunt &c.

§. II. Atque huic paſſim tanquam certum ſupponitur, quod verbo Socratis *lib. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 1. p. 165. Iulianus ab ineunte ætate fuerit Chriſtianus.* Infami quoque Apoſtatæ nomine

ne ab aliis notatur, vt videre eſt in Sozom. *l.5. Hiſt. Eccl. c.4. p.599.* Diſerte etiam S. Auguſtin. *lib.18. de Ciuit. DEI c.53. Iulianus*, inquit, *extitit infidelis Imperator. Nonne extitit apoſtata, iniquus, idololatra?* Ammianus Marcellinus, qui Iuliani caſtra ſecutus, *lib. 21. p. m. 327. occulte a Chriſtianorum cultu deſciuiſſe Iulianum*, autor eſt. Et nullum foret euidentius teſtimonium quam ipſius Iuliani, ſi, qua de re merito dubitatur, genuina eſſet epiſtola, quam citat Baronius *Tom. 4. Annal. Eccleſiaſtic. ad Ann. Chriſt. 362. N. 246. p. m. 117. edit. Mogunt.* in qua ita Imperator Antiochenos compellat: *Si mihi obedieritis admonenti vosque ad veritatem reuocaueritis, dum eum aſcultaueritis*, Iulianum ſcilicet, *qui illa*, Chriſtianorum videlicet religionem, *viginti iam ſecutus fuit annos, nunc vero DEorum ope duodenarius agitur annus, hanc graditur viam; Si igitur obedire placitum fuerit, magis lætabimini.*

§. III. Qui lapſum eius narrant ita rem deſcribunt, vt non obſcure innuant, Libanii ſcholam ei erroris & impietatis fuiſſe magiſtram. Nam cum a prima ſchola Conſtantinopolitàna diſceſſiſſet Nicomediam, vbi magna eloquentiæ laude florebat gentilium errorum tenebris immerſus Libanius, initio quidem domi ſcripta eius, quibus mirifice capiebatur, lectitauit, deinde vero et-

iam ab ore eius pendere voluit, ſumta, Græcorum more, in Chriſtianos declamandi licentia. Socrates *l.c.* & Sozomenus *c. 2. lib. c. p. 594*, accuſant Maximum Philoſophum, qui Iuliani fama impulſus Nicomediam venerat, & aiunt, quod Iulianus a Maximo rudimenta ac præguſtum Philoſophiæ hauſerit, *ac ſtatim religionem eius imitari cœperit*, inſtillata animo eius a Maximo cupiditate imperandi. Conſentit Gregorius Nazianzenus, ſcribens, Maximum, fuiſſe *alterum Iuliani corruptorem, qui cum docuerit impietatem, qua & in Aſtronomia & natalitiis & ſpecie diuinationis ludificetur horumque Comite Magia.* Ex hoc gymnaſio Athenas migrauit ibique philoſophatus ſortes omnes disquiſiuiſſe fertur, an olim regnaturus eſſet; factum notabile memorat Theodorit. *lib. 3. H. E. c. 3. p. 126.* & tandem hanc epicriſin ſubnectit: *Ita cupiditas imperii infelicisſimum Iulianum pietate ſpoliauit.* A Conſtantio deinde Cæſar conſtitutus & in Gallias miſſus barbarorum irruptionibus obiectus ea fini, vt, quemadmodum teſtibus Marcellino & Socrate *rumore tenus vbique iactabatur, per ſæuisſima deleri poſſet bella*, quamuis aliter res ceciderit, vt latius a Marcellino & Zoſimo narratur. Hic vero aperte ſe Paganum eſſe declarauit. Nam cum ex legatis intellexiſſet, Conſtantium velle, vt

cum

cum Imperio Cæſaris habitum poneret, privatæque vitæ reſtitutus Imperatoris voluntati ſeſe permitteret, *palam animi ſui de Numine ſententiam oſtendit, aperte prolocutus audientibus vniuerſis, potius ſe diis quam Conſtantii verbis ſe vitamque ſuam permiſſurum*, vt ait Zoſimus *lib. 3. Hiſt. Nou. p. m. 267.* Nec attinet hinc commemorare, quanto feruore poſt mortem Conſtantii paganiſmum propugnarit, & quam ſtudioſus voluerit videri Deorum gentilium cultor. Loquantur numiſmata in Baronio, Patino *p. m. 481.* & gemmæ in Theſauro Brandenburgico *p. m. 130.*

§. IV. His non obſtantibus haud deſunt, qui nunquam Iulianum ex animo Chriſtianam fuiſſe profeſſum fidem, opinantur. Certe Sozom. *lib. 5. H. E. c. 1. p. 509.* notanter ita ſcribit: πρότερον χριστιανίζειν δοκῶν; & Socrates *lib. 3. H. E.* narrans *c. 1. p. 167.* quomodo legatum Conſtantii exceperit &c. ſubiungit: eodem tempore prorſus abiecit ὑπόκρισιν τοῦ χριστιανίζειν. Centuriat. Magdeburg. *Cent. 4. c. 3. colum. 113.* aiunt, quod recte Eutropius dixerit, *Chriſtianum eum, antequam ad imperium perueniſſet, putatum tantum fuiſſe, cum qualis eſſet, diſſimulaſſet primum*, quæ licet in Eutropio ſincero, qualem primus fortasſis Ioh. Baptiſta Egnatius dedit, non deprehendantur, in antiquioribus tamen editionibus, quæ

Win-

Winfridi additamentis interpolatæ ſunt, leguntur, & ſatis probant, non heri aut nudius tertius hanc ſententiam eſſe natam, cum Paulus Winfridus Caroli M. tempore diaconus Aquileienſis fuerit. Nec prætermittenda cenſeo ſequentia Cuſpiniani verba: *Iulianus palam Chriſtum confitebatur, clam autem ſuperſtitionibus vacabat*, quæ eum ex Sozomeno mutuatum eſſe ipſa *p.595.* inſpectio oſtenderit. Meretur etiam conſiderationem Chriſtianorum reſponſio ad præceps Iuliani iudicium, quod lectis, quibus doctrina Chriſtiana defendebatur, libris, in inſcriptione tulerat: *ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, legi, cognoui, condemnaui*; ita vero iſta ſonat: *legiſti, ſed non cognouiſti, ſi enim cognouiſſes, non condemnaſſes.* Ecce Chriſtiani fatentur, quod Iulianus Chriſtianæ pietatis dogmata non cognouerit, vnde colligere par eſt, eum non ſtatim a primis incunabulis Chriſtianæ fidei lacte nutritum fuiſſe. Quomodo enim in Imperatorio throno eum, qui per tot annos Chriſtiana dogmata ſectatus eſſet, arguere potuiſſent illorum temporum Chriſtiani, quod veritatem Chriſtianæ religionis non cognouiſſet? Accedit præterea etiam hoc, quod obiectiones aduerſus Chriſtianorum ſcita a Iuliano motæ, prout in Cyrillo hodie adhuc leguntur, exactam Chriſtianorum dogmatum cognitionem haud ſapiant.

Quam

Quam friuola enim ſunt quæ de Zelotypia tanquam Deo indigna cauillatur! Quam ineptum, quod ex oraculo Chriſti, *ne quis reſiſtat malo*, & claſſico illo, *diligite inimicos veſtros* Chriſtianam religionem vt ſeditioſam & magiſtratibus iniquam ac prægrauem accuſet! Quaſi vero eadem a ſanioribus etiam philoſophis non inculcata, vt legere licet ap. Huet. *lib. 3. c. 19. de concordia rationis & fidei.* Si præcepta Chriſti recte intellecta fuiſſent a Iuliano; vtique nunquam hanc ſibi obiectionem excidere paſſus fuiſſet, quippe qui gentilium illa effata probe cognita habebat. Id vero etiam puerile eſt, quod de turri babylonica ad cœlum vsque pertingente argumentatur. Res itaque ipſa clare loquitur, Iulianum nunquam cum cura ſacrum codicem euoluiſſe. Et qui poterat ille, qui attonitus gentilium dogmata ita admirabatur, vt paruam Ecceboli epiſtolam *maximis etiam bonis* anteponeret *in oper. Iulian. p. m. 191.* qui profitebatur, *ſe vita frui non poſſe, niſi eatenus quoad literas Maximi legeret*, p. m. 177. qui, *ſi in auem mutari potuiſſet*, non ad Olympum ſed in neſcio quæ montium cacumina volaſſet, vt *Eugenium Philoſophum amplecteretur p. 185.* qui audebat dicere, *ſe hominem non eſſe, quamdiu a Iamblicho abeſſet p. m. 245.* Quo affectu ſcripta philoſophorum euoluerit, teſtabuntur literæ ad Libanium da-

tæ

tæ,quæ *p. 174.* ita ſonant : *legi heſterno die orationem tuam magna ex parte ante prandium, pranſus vero ſine vlla intermiſſione reliquum abſolui. O Te felicem qui ita poſſis dicere aut ſentire potius. O orationem! O mentem! O prudentiam! O partitionem! O argumenta! O diſpoſitionem! O aditus! O verba! O numerum! O compoſitionem!* Eum qui tanto percitus oeſtro in profanis volutabatur autoribus, in religionis rebus valde hoſpitem eſſe neceſſe eſt. Et hinc Iulianus de Chriſto (non ſecus ac Tacitus) tanquam de ignoto ſibi *in Miſopogone p. 126* loquitur, qui in legendis libris non minus ſe quam quenquam æqualium ſuorum verſatum non vane *l. c. p. m. 61.* gloriatur.

§. V. Et certe non parum ſuſpecta ſunt ea, quæ de Iuliano §. *I.* ex aliis autoribus recitavimus. Nam initio merito dubitare licet, num Iulianus ab Eccleſiaſticis viris ſub Epiſcopis educatus fuerit. Nam in Miſopogone *p. 82.* acquieſcit Imperator, quod Athenienſes iure accuſent tanquam *Principem vitæ ſuæ morumque auctorem* ὡς ὄντα μάλιϛα αἰτιώτατον τῶν ἐμῶν ἐπιτηδευμάτων ſenem eunuchum, qui matri ſuæ Homeri atque Heſiodi poemata expoſuerat, cuique poſt ſeptimum annum traditus fuerat, vt breui ante dixerat. Neque facile induci poſſum, vt credam, Iulia-

lianum ſilentio prætermiſſurum fuiſſe Eccleſiaſticos & Epiſcopos Præceptores, ſi quos habuiſſet, nam tanto magis Antiochenos Chriſtianos, quos vt rigidæ auſteræque vitæ ſuæ Ariſtarchos perſtringit, confudiſſet Iulianus, ſi obiicere potuiſſet iis Eccleſiaſticos illos viros, qui tam aſperis eum imbuiſſent moribus. Imo vero liquido apparet, Iulianum captaturum fuiſſe occaſionem acerbe ſugillandi Antiochenos, quod cuticulam ſtrenue curarent & voluptatibus contra euangelica & apoſtolica præcepta ſeſe immergerent, ſi hæc a teneris Iuliano fuiſſent inculcata. At nullum veſtigium eorum in ingenioſo hoc ſcripto occurrit. Illa quæ p.45. leguntur; *Viri fortes quales vos eſtis mane debent commeſſari, noctu voluptati operam dare: leges parum vobis curæ eſſe non verbis docere, ſed re ac factis demonſtrare*, ſatis ſalſa ſunt; at acerbius pupugiſſent, ſi ſelectiſſimis verbis & admirabili, qua pollebat, facundia Iulianus ea aliquo modo immutaſſet, & effrenem diuinæ legis transgreſſionem in voluptaria hac vita exprobraſſet. Quod vtique opinor, feciſſet, ſi a primis incunabulis ex præceptoribus Chriſtianis hauſiſſet, quanta ſeueritate Chriſtianos bellum belluinis voluptatibus indicere oporteat. Enim vero ſenex ille Iuliani præceptor non Chri-

ſtum ſervatorem noſtrum, non S. Apoſtolos vitæ duces principi oſtenderat, ſed Platonem, Socratem, Ariſtotelem, Theophraſtum. Qua de re ita ipſe Imperator *in Miſop. p.82.* ſcribit: *Sæpe, credo, nomina hæc audita vobis ſunt tantopere videlicet exagitata & deriſa, Plato, Socrates, Ariſtoteles, Theophraſtus. Illis ſenex iſte cum nimis ſtulte ac ſimpliciter obtemperaſſet, poſteaque me puerum & diſcendi deſiderio incenſum nactus eſſet, perſuaſit, ſi illorum veſtigiis vellem inſiſtere - - meliorem me meipſo futurum. Ego vero (quid enim aliud feciſſem) obſecutus ſeni non poſſum iam quippiam mutare.* Æquitas autem requirit, vt ipſi Iuliano, quorumnam fidei commiſſus fuerit, narranti, magis credamus quam aliis. Huic Mardonio ſi jungas Nicoclem Grammaticum & Ecebolium Sophiſtam vt & Maximum ac Libanium, facile intelliges, an ſub eccleſiaſticis viris tyrocinium ſtudiorum poſuerit Iulianus?

§. VI. De initiatione ſeu baptiſmo Iuliani res itidem valde dubia eſt. Iis enim temporibus, quibus Iulianus vivebat, ſtudio baptiſmus vel ad ſenectutem vsque differebatur. Ita Conſtant. M. extremo vitæ tempore baptizatum narrant Euſebius, Hieronymus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus, Freculphus &c. Conſtantius fide

Atha-

Athanaſii *de Synod. moriens voluit baptizari.* Idem poſtea Theodoſius M. fecit teſte Ambroſio *orat. de eius obitu.* Multis aliis hoc in vſu fuiſſe ac verbo Tertulliani, per illam baptiſmum differendi conſuetudinem *commeatum delinquendi feciſſe*, ex acri S. Patrum cumprimis Gregorii Nazianz. *orat. 40. in S. baptiſma* caſtigatione liquido apparet. Quomodo ergo tam facile credemus, Iulianum in pueritia baptizatum ſub diſciplina talis præceptoris, cui Philoſophorum ſcita magis curæ fuiſſe videntur, quam Eccleſiæ ſacramenta? Maiori adhuc difficultate laborat, quod de officio lectoris anno ætatis decimo ſexto a Principe in eccleſia Nicomedienſi ſuſcepto proditur. Nam etiam poſterioribus temporibus non niſi vigeſimo anno ad Lectoris munus adſpirare fas erat, teſte Photio *in Nomo-Canone tit. 1. c. 28.* quod ſine controverſia ſtrictius ſeculo IVto obſervatum, præprimis cum illis temporibus non tantum divinæ ſcripturæ caput coram Eccleſia prælegeret lector, ſed & explicationem aliquam adderet. Diſerte S. Chryſoſtomus *hom. 8. in epiſt. ad Hebræos p. 479.* de lectore ita loquitur: *Et tunc dicit, quæ dicit, vt ea vobis clariora fiant & non ſolum ſciatis, quæ illic habentur, ſed cauſam eorum, quæ ſcripta ſunt, & quis ea dixerit.* At vero hoc exſpectare ab adoleſcen-

 te

te ſedecim annorum abſonum eſt. Et qui permiſiſſent Chriſtiani, vt is divina oracula publice in Eccleſia legeret ac interpretaretur, qui profano ore duce ac impietatis magiſtro Libanio in huius ſcholis in circulo gentilium ea arrodebat & ſubſannabat, quod eum feciſſe ipſi Chriſtiani ſcriptores fatentur? Et ſi vel maxime Iulianus, qui ſe τῶν πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους ζηλωτὴν δογμάτων *pag. 182.* appellat, ſe excuſaſſet, quod ingenii exercendi gratia Chriſtianorum dogmata armis Libanii impugnaret more Peripatetico, fucum hunc facile Euſebius vir doctiſſimus detexiſſet & vel *ex 1. Topic. Ariſtot.* oſtendiſſet, hoc ne quidem iuxta leges Ariſtotelicas fieri debere, iis enim cautum eſſe, ne in diſputationis argumentum trahantur, quibus pietas & boni mores labefactantur.

§. VII. Narratio de baſilicæ ſtructura, præterquam quod in circumſtantiis Theodoreto non adeo exacte conueniat cum Sozomeno, itidem ita comparata eſt, vt de eius veritate non adeo imprudenter ambigatur. Nam vnde ſumptus ad perficiendam ædem ſacram ſuppetebant Iuliano, qui teſte Socrate l. c. p. 165. ἐν λιτῷ σχήματι *ſimplici habitu in baſilicam, vbi ſcholæ erant, procedebat?* Vt vel hinc videas, quam parum fidei mereatur Sozomenus hoc in paſſu, qui neſcio quam ἀγωγὴν

βασι-

βασιλικὴν Iuliani memorat. Iſti, qui accenſum imperii cupiditate, faces ſubminiſtrante Maximo, in devia abreptum cum Theodoreto *l.c.* aiunt, ipſi Iuliano contrariantur. Is *in epiſtolis* non ſemel teſtatur, ſed & *in Miſopog. p.81* Deos ſuos gentiles teſtes invocat, *vere & ex animo* regnum ſe recuſaſſe. Qua in re conſentientes habet Eutropium & Marcellinum. His aliisque pluribus inductus in eam propendeo ſententiam, Iulianum nunquam ex animo Chriſtianæ fidei fuiſſe alumnum, ſed vel ex gentilium Philoſophorum perſuaſione in tenera ætate, aut in adulta ex proprio conſilio inſerviiſſe ſcenæ & tempori, ac Chriſtianum interdum ſe finxiſſe, cuius rei illuſtre documentum præbuit; *cum Auguſtus a milite ſalutatus fingeret ſe Chriſtiano cultui adhærere & in Chriſtianorum eccleſiam progrederetur, vt omnes nullo impediente ad ſui favorem illiceret*, apud Ammian. Marcellinum *lib. 21. p. 327.* Interpolator Eutropii cum videret teſtimonia antiquorum de munere legendi in eccleſia Nicomed. expleto & aliunde tamen convictus eſſet, Iulianum nunquam fuiſſe Chriſtianum, eo prolabitur; vt dicat, eam *iſtud geſſiſſe ſimulatione.* Iſta vero verſipellis hominis hypocriſi ſine dubio inducti fuere Chriſtiani, qui ſubdolum hominis ingenium perſpectum non habebant, vt eum Chriſtia-

num eſſe firmiter crederent, & cum larvam hanc depoſuiſſet, a verorum Therapevtarum religione divortium feciſſe opinarentur ac propterea παραβάτην appellarent. Id vero me tutum præſtiterit adverſus obiectionem, auctoritate Theodoreti, Socratis, Sozomeni aliorumque Eccleſiaſticorum ſcriptorum nitentem, quod illi ipſi hic ad relationes aliorum prouocent. Sane non infrequentes in rebus Iuliani illorum formulæ, *fertur*, Φασὶ δέ τινες, ὁ πολὺς λόγος κρατεῖ: & Sozomenus non diſſimulat ſe fere incredibilia narrare de Iuliano ac confugit ad alios, qui iterum ab aliis acceperint.

OBSERVATIO X.

De

ORATIONE QUADAM GRÆCA HVGONIS BROVGHTONI.

MAgnum Hugonis Broughtoni nomen inter eruditos, quibus vt optimo iure annumerari poſſet, nullis pepercit laboribus & ſudoribus. Nam, vt Samuel Clarck teſtatur, tanta diligentia ſtudiis invigilauit, vt, niſi aliunde ſontica impedimenta ſingulis diebus minimum 12. vel 14. plerumque autem 16. horas Muſis conſecrarit. Rariora vero eius ſcripta ſunt, quæ Witte in diario biographico (ad quod conſici-

conficiendum non parum contulere ſchedulæ Cl. Iohannis Hallervordii hæmoptyſi præmature extincti, a Martino Hallervodio Iohannis Germano ad doctiſſ. Dn. Witte poſt Ioh. mortem miſſæ) ad Ann. 1612. diem 4. Augusti (licet die ſeptimo huius menſis eum obiiſſe narret Clarck) recenſet. Inter ea vero rariſſima oratio græca ad Genuenſes περὶ τῆς κατα βάσεως εἰς ἅδου τὶ θέλει τὸ ῥητὸν, quæ Moguntiæ A. 1601. per Ioh. Albinum edita. Pauci admodum ſunt, qui eius mentionem faciunt. Mihi certe præter Dn. D. Grabium *in appendice ad Urbani Regii librum de formulis caute loquendi*, Iacobum Windet Med. Doct. in eruditiſſimo ſcripto *de vita functorum ſtatu* (vbi etiam *Rabbinicæ Theologiæ peritiſſimum* vocat Brougthonum) Paulum Colomeſium & modo nominatum Witte non contigit legere, quempiam, qui eius notitiam habuiſſe videatur. Præclara vero eſt & rebus ſcitu digniſſimis referta. Facile trecenti auctorum textus vt plurimum ſine auctorum nomine & librorum allegatione recitantur in opuſculo illo. Defœcatum eius de Beza, Bilſono, Barlæo, ac aliis iudicium nemini non placere poteſt. Quantum Genuenſes in negotio religionis ac doctrina fidei ſibi tribuerint eluceſcit ex iis, quæ Broughtonus ſe cum Genuæ eſſet, audiviſſe refert de imputata domino

ſuo apoſtaſia ex hoc capite, quod non crederet Genuenſes *τὴν ἀποςολικὴν κρατεῖν πολιτείαν*. Verba eius adſcribere non pigrabimur, ita vero illa habent: *παρ᾽ ὑμῖν ὢν, ἀκήκοα, τὸν ἐμὸν κύριον ἀποςῆναι τῆς πίςεως, ὅτι οὐ πείθεται ὑμᾶς τὴν ἀποςολικὴν κρατεῖν πολιτείαν*. Quinam ille ſit dominus, quodammodo ex ſequentibus colligere pronum eſt, nam paulo poſt, vt Broughtonum latine loqui non nemo fecit, Genuenſes ita compellat: *diligentiam præterea adhibete, vt tandem beneficio adficiatis eos, qui vobis ſuccurrerunt in extrema paupertate veſtra octo chiliadibus coronatorum, quibus mei domini Henricus Comes Vindonienſis & Franciſcus Valſingamus & Gvaltherus Mildemaus &c. vobis inſervierunt.* Exemplar græcum ſcriptum cum verſione latina & notis *in quibus oſtenditur, ex quibus & cum quibus Broughtonus fuerit locutus*, poſſidet *Chriſtianus Helwich Ph. & Med. Doct. & Practicus Vratislavienſis*, qui publicæ alicui bibliothecæ opuſculum hoc propediem conſecrare conſtituit, niſi forte ſit, qui Cl. auctoris fama motus illud typis committere cupiat, quo in caſu poſſeſſor exemplar ſuum primo petenti transmittere paratus eſt.

OBSER-

OBSERVTIO XI.

De ARCANI DVPLICATI ET TARTARI VITRIOLATI GENEALOGIA.

Synopsis.

CHymicorum medicamentorum multi vani tituli. I. *Arcanum duplicatum*. II. *E qua materia* III. *modus præparandi*, IV. *Cryſtalliſatio*. V. *Cauſa repetitarum calcinationum*. VI. *Vulgo Nitroſum* VII. *Vacuus titulus Arcani, & quidem duplicati*, VIII. *Scrutinium proſapiæ huius ſalis*. IX. X. *Naſcitur ex acido Vitrioli, & alcali Nitri*, XI. *Qui vulgo ignoretur ratio horum?* XII. *Probatur a priori*, XIII. *a poſteriori* XIV. *Opiniones de indole aquæ fortis*. XV. *reprobantur argumentis experientiæ* XVI. *errante hic Vigano* XVII. *Non eſſe ita ſpecifice corroſivam* XVIII. *Aſſertio de origine noſtri ſalis confirmatur*. XIX. *quam communem habet cum Tartaro Vitriolato*. XX. *Cuius præparatio, & circumſtantiæ* XXI. *Conferuntur cum noſtro, ratione figuræ* XXII. *nitidioris Cryſtalliſationis modus* XXIII. *Sapor vtrique communis*, XXIV. *Solubilitas difficilior*.

 XXV.

XXV. *& hinc naſcentes commodæ quædam enchiriſes.* XXVI. *Ponderoſitas,* XXVII. *Reductio acidi hic inhærentis, in ſulphur commune,* XXVIII. *Nitrum Vitriolatum Ludovici, idem cum his,* XXIX. *Vnde fruſtra hic arcanum expectatur, nedum duplicatum.*

§. I.

QVam ſuperfluis, & non raro vix ab oſtentationis nota vindicandis, titulis, elogiis, pollicitationibus, multa, & fere levidenſia quæque, præparata, & medicamenta Chymica, magis onerentur, quam ornentur, demonſtratu facillimum eſſet, ſi modo ſemper, aut ad minimum in plerisque, qualemcunque hunc laborem ſuſcipienti, operæ pretium eſſet: Interim in talibus, quæ male fundatis huiusmodi promiſſionibus, præter inefficacem vſum, etiam pretii iniquitate augeſcunt, larvam hanc detrahere, & e veris fundamentis, legitimam titulorum & elogiorum talium æſtimationem oſtendere, juſtum ſane & æquum arbitramur.

§. II. Eſt vero inter hæc talia non poſtremum, illud præparatum, quod *Arcanum duplicatum* vulgo appellatur, ſiquidem ſpecioſum hoc nomen non modo *arcani*, ſed tanquam ſtupendo artificio ad *duplum* aucti, non par-

parvam forte reuerentiam, ad ſola nominum teſtimonia credulis, inſpirare poſſet: Quod tamen encomium, cum tantum abſit, vt tueri valeat, vt potius ne *ſimplicis* quidem arcani titulo dignum exiſtat, placet non niſi *mediocres* eius *parentes*, & propemodum *plebejam* familiam ad cenſum citare, & ante omnia peregrini noui tituli ſchemate detracto, *arcanorum* tribu movere, & fratribus ſuis ipſum reſtituere.

§. III. Naſcitur nempe ſic dictum *arcanum duplicatum*, e *vitriolo* atque *nitro*; dum *Vitrioli* calcinati pars vna, cum æquali pondere *nitri* puri (aut *capitis mortui* de ſpiritu vitrioli partes duæ, cum vna parte *Nitri*) e retorta pelluntur, ubi *Aquafortis* vulgo dicta, nempe *Spiritus acidus Nitri*, *Vitriolico* acido vix leuiter inquinatus, *fuſci*, ſed translucidi tamen, *vaporis* forma tranſcendit,

§. IV. *Craſſamentum*, denſum, durum, quod in vaſe deſtillatorio, retorta, ceſſantibus exhalationibus, remanet, affuſæ aquæ feruidæ, vel prorſus cum illo decoctæ, elargitur *Sal* quoddam, quod ſub forma limpidæ ſolutionis filtrum tranſit, relicto nigro-purpureo ſeu fuſco, *pulverulento*, *metallico* ſpiſſamento.

V. De ſoluto ita *Sale*, evaporatur leniter humiditas vsque ad ſiccitatem; ita remanet

ſal candidum, ſed fere communiter ingratiſſimi *venereo-vitriolacei* ſaporis, particeps, & ſub hoc quaſi crudo & confuſo ſtatu, *emetica & nauſeoſa* efficacia odioſum. *Vritur* itaque, leni candefactione per aliquantum temporis, & ſoluitur hinc denuo, vbi ſedimentum, aliquod pulverulentum relinquit: Exſiccatur iterum evaporando; uritur denuo, ſolvitur, exſiccatur: *Repetitur* quin etiam vſtio hæc & ſolutio, donec nullam amplius pulverulentam ſubſtantiam, poſt calcinationem repetita ſolutione exhibeat.

VI. *Repetita* hæc *calcinatio*, & iterata ſolutio, & filtratio, inſtituitur, ad expurgandam *vitriolici vomitorii Salis*, aliqualem copiam, quæ vna ſeſe exſerit, tanto magis, quando proportio *vitri* ad vitriolum non ſufficiens adhibita eſt: vel non ſatis diu continuata expulſio per *deſtillationem*. Hac vero *calcinatione*, quæ ſal noſtrum nihil inſigniter alterat, exuritur *vitriolicum* illud, vt amiſſo denique acido ſuo, *Metallica* portio pulverulenta forma ad fundum ſecedens, filtro ſeparari poſſit. Quæ quidem vitriolica ſubſtantia, a noſtro ſale omni modo exterminanda eſt, vtpote alioquin non raro grauiſſimorum incommodorum *cardialgico-emeticorum* cauſa: Quo nomine proinde *arcanum duplicatum* officinarum, quocunque, præter pulchre *candidum*, *colore* conſpicu-

u m,

um, merito ſuſpectum eſt. Et refero huc maxime obſeruationem illam & cautelam, quam ita ſe nominans *Wigandus*, in non ineleganti tractatu *De Philiatrorum germanorum itineribus*, Tartaro vitriolato imputat, quod non raro grauium, imo lethalium, *diarrœrum* auctor fiat.

§. VII. Ita præparatum eſt, lev idenſe hoc *arcanum* quod, ſi poſt vltimam ſolutionem *moderata* humiditatis euaporatione, aut plane deſtillatoria proportionata abſtractione, vti moris eſt & artis, ad *cryſtalliſationem* deducatur, in gemmeos veluti *anguloſos* & *faſtigiatos* lapillos, *octäedricos*, abit, ſaporis pure *amari* ſalini.

§. VIII. Reperitur quidem hoc præparatum non ita raro in Pharmacopoliis, prædominante non modo *nitroſo ſapore* inſtructum, ſed etiam cryſtallina ſua conſiſtentia *nitri* cryſtallini haſtatam ſexangularem priſmaticam concretionem exhibens: Verum licet nullum inde malum aut noxium effectum nanciſcatur, ſuperfluam tamen quantitatem nitri in proportione primæ compoſitionis adhibitam fuiſſe teſtatur atque commonſtrat.

§. IX. Iam cum e talibus initiis, & laborioſo quidem, ſed certe non faſtuoſo apparatu, quaſi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, ex improuiſo *arcanum duplicatum*, ita repente vti fungus ena-

enaſcatur, incidunt non illepida verba *Quintii* apud *Liuiium* Dec.IV. lib.5. *Eſt autem res ſimillima cœnæ Chalcidenſis hoſpitis mei, hominis & boni, & ſciti conuiuatoris, apud quem ſolſtitiali tempore comiter accepti, cum miraremur, vnde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio? homo non quam iſti ſunt glorioſus, renidens, condimentis, ait, varietatem illam, & ſpeciem ferinæ carnis, ex manſueto ſue factam*; Ita ſane in noſtro quoque ſubiecto e talibus initiis, non certe condimentis, ſed admodum cruda operatione, *arcana* longe facilius quis ſperaverit, quam perfecerit, niſi quod bona interpretatione, & verborum conditura aliquid hic factum ſit.

§. X. Nos vero non vt illi ſunt glorioſi, ſimplici ſcrutinio, & materiarum, & certe valde ſimplicis operationis, in verum *fundamentum*, tam operationis, quam materiarum & concretionis; inquiremus, vbi nihil certe vsquam deprehendimus, quam in crudo ſimplici *vitriolo acidum* & *metallicam* ſolutam ſubſtantiam: In *Nitro, acidum* pariter, ſed volatiliorem ſpiritum, & *alcali fixum*.

§. XI. Ex hiſce quatuor rebus, ſub ipſa operatione obtinentur, primo *acidum Nitri* ſincerum; ſecundo ſubſtantia e *vitriolo metallica*, acido ſuo ſpoliata, ſimiliter de reliquo ſatis ſincera, & nihil mutata. Tertio,

Sal illud, ex parte, licet exigua, adhuc *vitriolicum*: Maxima vero ſui parte, *nouæ* cuiusdam & inſolitæ, ſi ſponte naſcentia, aut ſine materiali aliqua peculiari commixtione emergentia ſalia conſideres, indolis.

§. XII. *Amiſſum* interim eſt *alcali nitri*, & *acidum vitrioli*; Quæ ſane non magis *in nihilum* redacta eſſe temere credideris, quam modo dictum hoc quaſi nouum ſal *e nihilo* in iſtorum locum de ſubito exiſtere atque cooriri exiſtimes. Sed fuerit ſine dubio ſimpliciori rationis conſiderationi magis congruum, quod noua hæc ſpecies ſalina ex vtriusque iſtius alterius *coalitu* in vnum tertium, prognata ſit.

§. XIII. Et certe rem ita ſe habere, jam quidem ſtatim valde facile demonſtratu nobis erit. Cur autem non jamdudum demonſtratum ſit, ratio ſane fuit, quod e nudorum empiricorum, qui *Paracelſum* ducem in hoc genere ſecuti ſunt, indole, ne quidem *ſimpliciſſimorum* ſuorum Salium vera geneſis perſpecta atque percognita eſſet, ſed rei tantiſper inſolitæ novitas, ab avidis hominibus, pro meris portentis haberetur, quibus quidem næniis ſcatent veluti atque abundant pleraque *Paracelſi* ſcripta in hoc genere, ſicut de reliquo in *ſimplicium*, neque fortaſſis ita multorum, *certa* tamen & per *experientiam* per-

perſpecta energia *medica*, ita aſſiduus & veluti ad nauſeam (vbilibet non tam datis, quam affectatis occaſionibus repetendo) creber eſt, vt vel ex hac nota *vera* eius experimenta, & in quibus certam aliquam fiduciam collocaverit, perveſtigari poſſe videantur.

§. XIV. Vt itaque rem definiamus, dicimus, quod hoc pro *arcano* venditum compoſitum, nihil aliud ſit, niſi *ſal medium*, ex *acidi vitrioli* & *alcalico ſale*, quod *nitro* corpus præbet, mutuo complexu formatum. Probabimus *a priori*, & *a poſteriori*. *A priori*, quia aſſumtum erat *Vitriolum*, ex *acido* ſaliuo ſtagmate, & *metallo* corroſo, conſtans; Et *nitrum*, ex *acido* ſpirituoſo, & *ſale alcalico fixo* conflatum: Exit vero a tractatione ſupra recenſita, *ſpiritus acidus Nitri*, & *metallicum* puluerulentum illud, quod in *vitriolo*, acido eius *diſſolutum* inhæſerat, nunc omni illo acido orbatum, & prompte, debitis adminiculis, colliquandum, longe vero promptius, vel ad minimum otioſius, addito *nouo acido* vitrioli vel ſulphuris, denuo in *vitriolum* reducendum. Quid ergo factum de *acido vitrioli*, & *alcali fixi* nitri? Ex his ſine dubio natum eſt nouum hoc *ſal*, non modo in genere, quia *a priori* loquendo, *e nihilo* naſci non potuit, & duo hæc, *acidum* e vitriolo, & *alcali*, e nitro in *nihilum* diſparere non potuerunt:

Sed

Sed etiam ſpecialius, quia nouum hoc productum eſt indolis *pure Salinæ:* Et ſpecialiſſime, ipſum quoque certo intuitu *a priori*, aliunde notum, huc applicando, hæc duo ſalia auidiſſime inter ſe invicem coaleſcunt, imo vix aliter, niſi ſui mutuo occurſu, vnumquodque priſtinum ſuum *ſocium*, integrum & illibatum a ſe dimittunt, quale quid hic manifeſto contingere, *ſpiritus nitroſus*, & *metallica* illa pulverulenta ſeceſſio, teſtantur.

§. XV. *A poſteriori* demonſtrat rem examen, tum *ſpiritus* modo allegati *nitroſi*, & iam nominatæ *pulverulentæ metallicæ* materiæ; tum ipſius huius *ſalis*. Non mirum ſane eſt, ſi fragilitatem humanam, ſub ſpecioſis etiam nominibus, ampliter latentem, prodant etiam res adeo miſere ſimplices, vt eſt *aqua fortis* ſub hoc reſpectu, de quo examen noſtrum teſtari debet; ſi nondum examinata, ſed iniquis ſuſpicionibus onerata cernitur, dum videlicet in quæſtionem vocatur, *an ſimplex ſpiritus nitri acidus*, an vero cum ſpiritu ſeu *acido vitrioli* maritatus, ſeu ex his utriſq; confuſum quiddam, exiſtat?

§. XV. Famoſæ in hoc genere allegari merentur *duæ traditiones*, quarum altera *aquam fortem*, ſeu ſpiritum illum nitroſum, qui e compoſitione vitrioli & nitri pro noſtro ſale, emanat, pro *mixto*, ex *nitri* & *vitrioli* acido,

differt, & hoc nomine, novo ſecundo auſu, pro *valde corroſivo* accuſat. *Altera*, quæ eſt *Vigani*, recte quidem potius pro ſpiritu *ſimplici nitri* agnoſcit, ſi non diutius, quam donec *colorati* fuſco-rubicundi illi halitus exeunt, deſtillatio contineretur: Vt vero *aqua fortis* iuſta fiat, putat continuandam eſſe ignis violentiam, vt *albi* etiam, nempe *vitriolici* ſpiritus penitus expellantur (quandoquidem *nitroſi* ſub hoc actu prima leuisſima quoque incandeſcentia tranſcendunt, quibus crasſiores *vitriolici* non ita parent) & ſic demum ex *utrorumque* connubio veram *aquam fortem* naſcituram eſſe. Vtrique horum impedimento fuit primo agnitio fundamenti, quænam cauſa ſit, cur e commixtis ita *vitriolo & nitro*, huius poſterioris ſpiritus a *fixo ſuo alcali*, quod ipſum hactenus in craſſum illud ſiccum & pene inſipidum ſalinum corpus ſecum coagulaverat, tam *cito & facile* divellatur, cum alias nullo igne hoc ſibi eripi, aut certe non, niſi ægerrime, patiatur.

§. XVI. Cum vero ipſi quoque, qui *aquam fortem* in præcipuo, & propemodum plane proprio vſu habent, metallici *docimaſtæ*, rerum ſuarum per cauſas & ex fundamento ſatagere neglexerint, ſola *empirica* adminiſtratione contenti; tanto magis forte condonandum his eſt, qui vſus & effectuum aquæ fortis directo

rectorum, circa *metalla*, ignari magis, e puris ſuis opinionibus tales ſententias ſibi præfiguraverunt. Ad *metallicas* enim *Docimaſias* pertinet, quod *acidum* ſeu ſpiritus *vitrioli*, *argentum* minime aggrediatur aut ſolvat, præcipue ita nude & ſimpliciter: Imo in ſpiritu *nitri* ſolutum argentum. Si *vitrioli* acidum affundatur, proportionata quantitate mox e ſpiritu hoc *nitroſo*, *albi pulueris* forma ad fundum deiiciat ſeu *præcipitet*.

§. XVII. Vnde quidem enormiter in hoc paſſu aberrat *Viganus*, dum ad conſtituendam *aquam fortem*, *vitriolicum* ſpiritum prægreſſo *nitroſo* ſuperinducendum eſſe putat: e contra recte ſane, quamuis ſolum ab externis circumſtantiis, hariolatur, quod ille qui primo egreditur, non niſi *nitroſus* ſit ſpiritus: At vero ſi iuſta *proportio nitri* ad vitriolum adhibita ſit, & ignis ſucceſſiva moderatione, ille nitroſus ſpiritus propellatur, vltra humanas vires fuerit ex Autoris mente *albos* iſtos ſpiritus, quos ad conſtitutionem *aquæ fortis* requiri putat, ulterius expellere, dum nulli penitus ſequuntur.

§. XVIII. In altera vero illa opinione luſus in terminis ſubeſſe dici poteſt, vt *aqua fortis* nondum depurata, ſiue vt appellant non *præcipitata*, adeoque aliquali adhuc halitu, paucis forte guttis *vitriolici* acidi adhuc inquina-

ta, intelligenda eſſet. Ita vero deſtituitur experientia a poſteriori, quod nempe tunc iſtos *corroſivos* effectus in corpore animali edat &c. Vti iam alibi (a) monitum eſt.

XIX. E quibus circumſtantiis cum manifeſto diſpaleſcat, quod in illo ſpiritu acido, qui e tali mixtura prodit, nihil de *vitriolico* acido præſto ſit, in alia vtique productorum reliquorum parte illud quærere neceſſe erit. Cuiusmodi, cum illud de quo ſermo nobis eſt *ſal*, exiſtat, indolis inſuper ſtatim primo aſpectu *ſalinæ*, adeoque iam ita *a priori* proſapiam hanc indigitet, vocanda in vſum ſunt teſtimonia, quibus hæc eius origo aſſeri queat, primo a ſimilitudine *ſaporis*, ſecundo *figura* cryſtallorum, tertio *ponderoſitatis*, cum illo ſale, quod *poſitiue* e commixtione *acidi* huius & *ſalis alcali*, vel etiam nitri crudi pariter prodit.

XX. Notius nempe, & modeſtiore nomine, genus ſuum nihil diffitente, eſt compoſitum illud ſal, quod *tartarus vitriolatus* appellatur; Quando nempe *fixum* ſal *tartari*, vel aliud purum *alcali*, in aqua, aut per deliquium, ſolutum, inſtillato *ſpiritu vitrioli*, ita ſaturatur, vt ex ebullitione, vltimo ceſſante, concludi poſſit, nullam amplius mutuam colliſionem & concretionem locum invenire, adeo-

(a) *Menſ. Februario: p. 443. & ſeqq.*

eoque *alcali* illud ſufficienti *acido* maritatum & combinatum eſſe. Ita periit ſtatim & *cauſticus ſalis alcali* fixi, & *acidisſimus* ſpiritus *vitrioli*, ſapor, enaſcente ſolo notabiliter, licet mediocriter, *amaricante*.

§. XXI. Subſidet interim, notabilis, ad proportionem aſſumptorum ingredientium, quantitas crasſiuſculi, veluti ſabuloſi, ſedimenti, *nitidi*, quod ſcilicet nihil aliud eſt, niſi *ſal* hoc, *tertium* compoſitum, e duobus illis ſimplicibus iam modo concretum, ob defectum ſufficientis dilutionis aquoſæ, ſtatim in exiguos eiusmodi *cryſtallulos* coaleſcens. Vnde, ſi paulo ſpecioſior eius facies expetitur, affuſione ſufficientis aquæ, & intercedente inſuper *calore*, diſſolvi, & denuo, abſtracta aliqua humiditatis parte, lenisſima ſucceſſiua refrigeratione, imo aliquot dierum mora, cryſtallos præbet maiores, octäedrica figura, cum apicibus tamen cardinalibus, nempe pyramidalibus, obtuſis ſeu *planis*. Quamuis etiam non ita plane immutabilis per omnia minima, ſit ſingularum harum cryſtallorum figura, ſed aliqui etiam paulo aliter velut ludant, plerisque tamen, modo accidentales perturbationes abſint, dictam *figuram* nanciſcentibus.

§. XXII. Iam ſi noſtrum *arcanum duplicatum* eadem cryſtalliſationis methodo tractetur,

easdem plane *figuras* cryſtallorum exhibebit: quæ a *nitroſis* intercurrentibus (quando videlicet proportio *nitri* & *vitrioli* non exquiſite ſibi mutuo reſpondit, ſed aliquid *nitri* abundauit,) aut *a vitriolicis* iam tamen albis, (ſi *vitriolum* abundauit) & *figura* & *conſiſtentia*, facile diſcerni poſſunt.

§. XXIII. Obiter addo, quod vtrorumque horum ſalium *cryſtalliſatio*, non ineleganter etiam ſuccedat, ſi in patulo aliquo vaſe aut vitro, non tam ſuper, quam penes fornacem, hyberno nempe tempore calefactam, poſita ſolutio, leniſſima illa aquæ exhalatione, ſiccas ſalinas particulas, in cryſtallinam huiusmodi concretionem congregatas relinquit.

§. XXIV. *Sapor* quoque arcani noſtri duplicati, non ſimilis, ſed *idem* omnino eſt, cum modo dicto *tartari vitriolati* amarore, modo *nitroſarum* abundantium reliquiarum prædominium aut interceſſio, vel abſit, vel guſtu diſcernatur; ſiquidem *nitroſus* quidem ſapor primo ſtatim guſtum ferit, ſed primo quoque rurſus obliteratur & perit, remanente & durante diutius *amaro* illo, *ſalis*, de quo loquimur, proprio.

§. XXV. Quod ne ipſum quidem, quia vtique fit, & *cauſa* ſua ſpeculationem admittente, & *vſu* non ſaltem ſpeculativo, ſed omnino etiam *practico*, caret; nec proinde *Phyſico-*

Chy-

Chymicarum tenerarum varietatum ſcrutinio indignum, aut otioſæ *μικρολογίας*, ſed potius *ἀκριβολογίας* nomine dignum. Eſt nempe, cauſa huius, diuerſa *deliqueſcendi* promptitudo, quæ in *nitro facillima*, in *ſale* vero *noſtro* puro, in proportione ad pleraque alia, tartaro vini excepto, *difficillima* eſt. *Practicus* allegatus *uſus* hic eſt, quod ex hoc fundamento, *arcanum duplicatum* ex accidenti multo *nitro* abundans, a maxima huius parte ita repurgari poſſit, vt *purum* deinde ſeorſim colligi queat. Fit hoc, ſi tale *confuſaneum*, *cryſtalliſatum* tamen, & præſertim langvide & *ſucceſſive* cryſtalliſatum, ſal, in paucam admodum, *frigidam* aquam ponatur, & ſine multa agitatione ita relinquatur: Deliqueſcit hac ratione ſatis prompte *nitrum* ſuperfluum, reliquo huic ſali interſperſum, remanente hoc ſale *non ſoluto*. Habet hoc fere plurimum vſum eo caſu, quando hoc ſal *leni* & ſucceſſiva aquæ exhalatione, vel *euaporatione* ad cuticulam, in libero aëre cryſtalliſatum eſt: Qua vtraque fere methodo nitrum coniunctum *breviores* & aliquatenus velut irregulares cryſtallos format: Aut parvæ cryſtalli nitri, paruis arcani duplicati ita internaſcuntur. Si enim aliqua notabilis ſalis huius copia ſimul præparetur, & ſolutio, ex cucurbita ad medietatem abſtrahendo, ſine multa commotione, in cu-

curbita alembico munita ad cryſtalliſationem ita relinquatur, vel plane non ſuccreſcunt prima vice coniuncti adhuc ſuperflui *vitri* cryſtalli, vel quicunque iam, aut poſt repetitam reſiduæ ſolutionis proportionatam abſtractionem, enaſcuntur, *longis haſtis* aſſurgentes, maximam partem & oculis diſcerni, & manibus hinc ſecerni atque ſeponi poſſunt.

§. XXVI. Imo vero *vſus alter* oppido quam conſideratu dignus, conſiſtit in eo, quod, ſi ad ipſam extractionem ſalis huius e craſſamento illo integro, nempe capite mortuo, vt vocant, aquæ fortis, ſi inquam, *pauca* nimis aqua, præcipue vero *frigida* inſuper, adhibeatur, valde *parum* huius ſalis inde educatur, ſed multum eius adhuc in puluerulento illo magmate obhæreſcat & remaneat.

§. XXVII. Vltima in hoc genere obuia convenientia nominata a nobis, eſt *ponderoſitas*; quæ ſane in vtroque hoc ſale, præſertim *languidius cryſtalliſato*, aut quacunque demum enchireſi bene limpidas cryſtallos nacto, præ quibuslibet aliis (exceptis *Mercurii* & *plumbi* cryſtalliſationibus, & congeneribus *metallicis* denſioribus:) agmen ducere apparet, quod quidem tanto minus mirum eſſe poteſt, ſi recordemur *ponderoſitatis*, *acido* vitriolico concentratiori, *oleo* puta *vitrioli*, propriæ, quæ

quæ quidem in hac noua concretione in ſpiſſas haſce, denſas, nitidas cryſtallos, ab aquoſitate ſua penitus liberata, quæ ponderoſitatem eius adhæſione ſua imminuerat, hanc ſuam affectionem nunc tanto liberius exerit.

§. XXVIII. Poſtrema omnium conuenientia in eo conſiſtit, quod præſentia *aciditatis* huius *vitriolica* in *arcano duplicato*, eadem penitus methodo monſtrari poſſit in vtroque hoc ſale, nempe tam *arcano* noſtræ conſiderationis *duplicato*, quam *tartaro vitriolato*, *a poſteriori*, per experimentum illud, quo acidum hoc, vti primitus in *ſulphuris* mixtione hæſit, & ex illa demum in *vitriolum* tranſumptum fuit, ita denuo, addito debito ipſius altero principio, in *ſulphur* reducitur. Quo ipſo actu immediate etiam altera ejus pars, *alcali* nempe fixum, quod e *nitro* arripuerat, in propria hac ſua eſſentia atque conſiſtentia, in conſpectum venit. (*)

§. XXIX. Hoc intuitu, eiusdem vtique virtutis & indolis, cum *arcano duplicato* & *tartaro vitriolato*, eſt *Nitrum* illud *vitriolatum Ludouici.* Verbo, ſi ſingula recte parata ſint, ſunt vnum idemque. Monſtrauit vero iam olim hanc efficaciam *acidi vitriolici* in *alcalica* corpora, & veluti ſuſtentacula *nitri* & *ſalis communis*, *Glauberus*, tum hinc inde, tum manife-

feſtius *Centur. III. num.* 86. 87. 88. 89.

XXX. E quibus omnibus ita *à priori*, & *poſteriori*, in omnes ſenſus ingeſtis, indubia illa veritas luci expoſita videtur, quod hoc ſal non modo non *duplicatum* arcanum exiſtat aut dici mereatur & haberi, ſed ne quidem *ſimplex*, *numerice*; *ethice* vero etiam exquiſite tale.

(*) Vid. Menſis Iulius 1697. *de nouo experimento Sulphur verum arte producendi.* & Tr. *de Fermentatione* p. 119.

OBSERVATIO XII.
De
SYNCRETISMO PHILOSOPHICO GENERATIM.

Σύνοψις.

Vox Syncretiſmi vnde? §. I. *a quo primum rebus theologicis ſit accommodata?* §. II. *de philoſophicis conciliationibus, ſi recte eam vſurpari.* §. III. *Vſurpatur de illis, qui diſſentientes tolerant ſiue omnes, ſiue quosdam.* §. IV. *Siue commodi ſui cauſa, ſiue alia ratione adducti,* §. V. *Vſurpatur etiam de dogmatum conciliatione.* §. VI. *quæ ſignificationes neutiquam ſunt confundendæ,* §. VII. *Dogmata conciliari poſſe ſi ſaltem ſit*

ſit pugna circa verba, §. VIII. *Laudantur, qui diſſentientes ita conciliant, vt non diſsimulent, in quibus conciliari nequeant.* §. IX. *Syncretiſmus dogmaticus diuiditur* §. X. *De Syncretiſmo Critico quædam obſeruantur*, §. XI. *De Syncretiſmo theologico & iuridico*, §. XII. *De Syncretiſmo medico*, §. XIII. *Syncretiſmus philoſophicus duplex conſtituitur.*

§. I.

SYncretiſmi vocem a Cretenſibus profluxiſſe, qui cum inteſtinis diſcordiis agitati mutuis ſe inuicem bellis lacerarent, externo hoſte eos inuadente, ad commune periculum propulſandum, vires mox conſiliaque conſociabant, notius eſt, quam vt prolixius a nobis commemorari debeat. Plutarchus: *Præterea oportebit & illud meminiſſe, fratribus inter ſe diſſidentibus, obſeruareque, vt potiſſimum eo tempore conſuetudinem habeas & convictum cum illorum amicis. Rurſum inimicos fugias, neque admittas ad familiaritatem, illud videlicet Cretenſium exemplum ſecutus, qui frequenter cum factionibus & bellis inteſtinis inter ſe pugnarent, inuadentibus aliunde hoſtibus, omiſſa contentione, coniuncti ſunt: atque is erat, quem illi Syncretismum appellabant*, περὶ φιλαδελφίας;

quem locum vna cum aliis huc ſpectantibus affert quoque Eraſmus Roterodamus *Chiliad. 1. Cent. 1. n. XI. p. m. 35.*

§. II. A re militari primum ad res theologicas, deinde & philoſophicas, doctorumque virorum, aliorum ſententias inter ſe conciliare annitentium ſtudia, vox iſta translata eſt. In rebus theologicis primum hac voce vſum fuiſſe *Davidem Pareum*, Heidelbergenſem Profeſſorem in *Irenico ſuo*, ſiue *de vnione & ſynodo Euangelicorum concilianda libro votivo p. 65.* obſeruat Conradus Tiburtius Rango in *Syncretiſmi a mundo condito Hiſtoria, Cap. I.* Idem tamen addit Dauidi Pareo exemplum iam præiviſſe *Saulum Windeckium*, cuius hæc in *Prognoſtico, p. 412.* extent verba: *ſi ſaperent Catholici, & ipſis chara eſſet reipublicæ Chriſtianæ ſalus, Syncretiſmum colerent.* Qui vt in bonam partem hac voce vſus eſt, ita contra in controuerſia Philippi atque Staphyli, *Syncretizantium* in malam partem iniectam mentionem fuiſſe, idem docet. Verba, quæ ex Staphyli libro de *Luth. concord.* affert, hæc ſunt: *Syncretizantes ſunt, qui ſuadent omnibus aliis ſectis, vt ſimulent ſaltem interea domi pacem, quando veram concordiam inire non queant, vt more Cretenſium &c.*

§. III. Ad philoſophicas conciliationes hanc vocem trahi, nemo mihi vitio vertet, tum

tum quod res ipſa in eos, ut poſtea demonſtrabitur, plane quadret, tum quod iam præeuntes hic habeam doctisſimos viros, *Iacobum* ſcilicet *Thomaſium*, cuius de *Syncretiſmo Peripatetico* extat oratio, quæ numero decima quinta eſt inter eius orationes iunctim editas, & *Georgium Hornium*, a quo itidem hoc vocabulum hac in re adhibetur in *Hiſt. Phil. Cap. XIII. p. 123.*

§. IV. Sed ne in incertum feramur, variæ vocis huius evolvendæ paucis ſunt ſignificationes, ut quæ hic demum in cenſum veniat, omnibus innoteſcat. Primo itaque Syncretiſtarum nomine veniunt, qui diſſentientes tolerandos ferendosque ſuadent, indignum nomine præſertim Chriſtiano arbitrantes, ideo odio aliquem proſequi, quod diuerſam a noſtra foueat ſententiam. Sed & hi non unius eiusdemque generis ſunt, ſiue limites, quibus tolerantiam ſuam circumſcribunt, ſiue cauſam, quæ ad tolerantiam illos compellit, ſpectes. Etenim ad limites tolerantiæ quod attinet, ſunt, qui omnes diſſentientes, quamcunque demum foueant opinionem, tolerandos docent, ſunt contra, qui quosdam, ut Socinianos, hinc excludunt. Atque ſi ad Philoſophos hoc transferas, deprehendes itidem, qui facilius Platonicos, aut Ariſtotelicos, quam Carteſianos

vel

vel alios ferant: & ſi reliquis forte locum in republica concedant, quos ſingulari odio proſequuntur, ſtatim ejicerent, & in exilium pellerent, ſi ſummum rerum penes eos eſſet arbitrium.

§. V. Atque ſic etiam de cauſis cenſendum, quæ oppido diuerſæ ſunt, quibus ad diſſentientes tolerandos homines adducuntur. Sunt, qui tolerantiam ideo ſuadent, ut Cretenſium more contra tertium animi & arma coniungantur. Atque in hos, ut omnium optime vox iſta quadrat, ita, ni fallor, idem quoque in animo habuerunt, qui primum eandem ad res theologicas transtulerunt. Voluerunt enim adducere Proteſtantes, ut poſitis iris armisque, quibus ſe mutuo lacerabant, iunctis viribus Romanenſium machinationibus ſe opponerent. Sunt, qui idem in votis habent, ut rerum publicarum tranquillitati & quieti ita conſulatur. Aſt ſunt etiam, qui ideo in hanc ſententiam pedibus eunt, quod veritas in abſcondito lateat, omnisque opera, quæ in aliorum erroribus redarguendis, aut diſſentientibus conuincendis inſumitur, pereat, fructuque omni deſtituatur. Quorſum, ni fallor, ea collimant, quæ Auctor *Commentarii Philoſophici ſuper hæc verba: compelle eos intrare*, hac de re diſſerit, certatim ideo a *Juriæo*, *Saurino*, aliis-

aliisque refutatus. Denique nonnulli, quod omnes homines ſincero tenerrimoque amore, ex Chriſti præcepto, proſequantur, religioni ſibi ducunt, inſurgere ſtatim contra eos, atque damnare, aut æternis cruciatibus addicere, qui diuerſas mente de quibusdam dogmatibus conceperunt opiniones.

§. VI. Altera vocis ſignificatio non ad tolerantiam, ſed ipſam dogmatum aut ſententiarum conciliationem pertinet. Namque quibusdam non ſatis eſt tolerare diſſentientes, ſed in eo omnem operam collocant, ut oſtendant, eorum non diſcrepare ſententias, ſed unum idemque eos docere. Manifeſtum autem eſt, hanc ſententiarum conciliationem multum differre a tolerantia: adeoque cum hæc interdum in laude ponatur, illa contra, ſi eos, qui revera inter ſe diſſentiunt, conciliare inter ſe ſuscipiant, non poteſt non, ut deinceps demonſtrabitur, veritati plurimum nocere. Atque hoc tum generatim de omni Syncretiſmo, tum ſpeciatim de theologico obſervandum.

§. VII. Videant itaque, quorum intereſt, an ſatis accurate ceu Syncretiſmi ſynonyma hæ voces afferantur: *Mutua tolerantia, conſilia de pace, moderatio, coalitio, fraternitas, indifferentismus, neutralitas, neutralismus, induciæ,* tem-

temperamentum, ſtatiſmus, medium, unio, coitio, pax in terra, pax Evangelii, fraterna, eccleſiaſtica, irene ſpiritualis; concordia, conſenſus, conciliatio, conſociatio eccleſiarum, conglobatio ſectarum, Samaritaniſmus, conteſſeratio, Gallioniſmus, fœdus irenicum, miſcella religio, communio fraterna, ſocietas ſpiritualis, ſophiſtica involutio &c. Vid. Conradus Tiburtius Rango in *Hiſt. Syncret. C. 1. p. 8. 9*, Etenim cum tolerantia diſſentientium, & opinionum conciliatio res longe diuerſisſimæ & neutiquam inter ſe confundendæ, una Syncretiſmi voce, deſignentur, manifeſtum eſt, alia eius eſſe ſynonyma, quando illam, alia quando hanc denotat, & haſce voces miſcendas non eſſe, ſed accurate a ſe invicem diſcernendas.

§. VIII. A nobis igitur pro dogmatum conciliatione accipitur, quæ tamen itidem non una ratione peragitur. Namque primo interdum contingit, ut qui in dogmatibus â ſe invicem diſſentire videntur, re accuratius conſiderata, in verbis tantum formulisque loquendi diſcrepare deprehendantur. Atque hoc qui oſtendunt, & ita diſſentientes conciliant, poſſent Syncretiſtæ vocari, ſed uſus tamen repugnat. Laudandus hoc in genere eſt doctisſimus vir, *Werenfelſius*, quippe qui in tractatu de *Logomachiis eruditorum* eundo per omnes artes atque ſcientias

entias, pleraſque eruditorum controverſias, quibus orbis eruditus iam olim perſonuit, & hodienum perſonat, tandem in meras logomachias & inanes de vocibus concertationes deſinere.

§. IX. Deinde cum quidam diſſenſum, qui inter viros doctos aut diverſas ſectas reperitur, ultra, quam decet, extendant, & controverſias controverſiis augeant, laudabili itidem opera funguntur, qui de conſenſu & diſſenſu ſectarum aut virorum doctorum commentantur, ut omnibus pateat, quousque conſentiant inter ſe, quousque diſſentiant. Sic *Daniel Sennertus*, præclarus ille Medicus, de Chymicorum cum Ariſtotelicis & Galeno conſenſu & diſſenſu librum peculiarem ſcripſit. Vt nunc alios taceam, quorum maxima extat multitudo. Sed nec hosce Syncretiſtarum nomine nunc indigitamus, ſed illos præcipue, qui Auctores reuera diſſentientes aut in omnibus, aut præcipuis, ſaltem ipſis principiis, ita conciliare ſtudent, ut ſibi aliisque perſvadeant, unam vtrumque Auctorem, aut vtramque ſectam fouere ſententiam.

§. X. Atque iſte quidem Syncretiſmus per omnem doctrinæ liberalioris campum ſeſe diffundit, reperiunturque, qui in omnibus diuinæ humanæque eruditionis partibus hoc

conciliationis officio fungi voluerunt. Poſſetque adeo iſte Syncretiſmus in *criticum*, *theologicum*, *iuridicum*, *medicum*, ac *philoſophicum* diſpeſci.

§. XI. Criticum Syncretiſmum, vt paucis ſaltem, quid hoc nominis ſibi velit, indicem, eum voco, quando aliquis verſionem, v. g. a textu originali diſcrepantem, cum ipſo textu, aut verſiones diſſentientes inter ſe conciliare annititur. Ad infelicem eiusmodi laborem damnatos ſe facile vident, qui verſionem quandam ſcripturæ ita defendendam ſuſcipiunt, ut eam in omnibus cum textu originali conſentire aſſerant. Sic cum apud Romanenſes magna ſit verſionis vulgatæ auctoritas, & vero a Sixtino Amama, Hunnio, Walthero, Calouio, aliisque oſtenſum ſit, eam non tantum a vero ſenſu textus Ebræi aberrare, ſed plurimis etiam erroribus Grammaticis, Hiſtoricis, Topographicis, Chronologicis ſcatere, non exiguus ſane eius patronis obtigit labor hinc ſe expediendi. Videas ergo, alium omnem mouere lapidem, vt eum textu Ebræo eam in concordiam redigat, alium, vt eius loquendi formulas cum Ciceronis aliorumque auctorum claſſicorum conciliet, qui labor Albericum Gentilem occupauit, alium aliud quid ad palladium hocce tuendum, conferre. Nec felicius interdum

illis

illis negotium ſuccedit, qui Lutheri verſionem in omnibus cum fontibus Ebræis conciliare annituntur. Sic vir quidam doctus cum bene obſeruaſſet, B. Lutherum Michæ *Cap. 1. 10. 11.* nomina quædam propria pro appellativis accepiſſe, & verba, v. 10. בבית לעפרה עפר התפלשתי quæ ita vertenda erant: *propter domos Ophra in cinere voluta teipſum.* (Conf. Vatablus ad h. l.) perperam transtuliſſe, gehet in die Trauer-Kammer: *verſic. v. 11.* עברי לכם יושבת שפיר עריה בשת לא יצאה יושבת צאנן מספר בית האצל יקח מכם עמרתו: qui ita vertendus eſt: *tranſi quæ habitas in ſcaphis nudatis verendis, non egrediatur, quæ habitat in Zaanan, planctus erit in urbe Ezel, auferet a vobis ſtationem ſuam*, Lutherum ſic transtuliſſe: Du ſchöne Stadt muſt dahin mit allen Schanden, die einwohnerin Zaenan wird nicht auszihen um des Leydes willen des näheſten Hauſes, er wird es von euch nehmen, wenn er da ſich lagern wird, porro v. 12. nomen proprium *Maroth* eum itidem commutaſſe in appellativum: die betrübte Stadt vermag ſich nicht zu tröſten, & denique v. 13. quem Lutherus transtulit: du wirſt müſſen gefangen gehen ſo wol als Gath, ab aliis rectius transferri. *Tu* (urbs Lakiſch) *dabis munera urbi Móreſchet Gath*, cum in-

inquam hoc bene obſeruaſſet, nihiloſecius conciliare verſionem Lutheri voluit cum textu originali hunc in modum: Gehet in die Trauer-Kammer/ das iſt/ in die Stadt/ ſo die Trauer-Kammer heiſſet. Zaenan wird nicht ausziehen um des Leydes willen der Stadt/ die ihr die nåheſte iſt: du Ort/ der du Schön-ſtadt heiſſeſt/ muſt dahin/ die Stadt/ die Betrůbte genennet wird/ vermag ſich nicht zu tröſten. Tuam hic obteſtor fidem, lector, an eiusmodi quid, ſi vel centies legiſſes verſionem Lutheri, tibi in mentem venturum fuiſſet. Sed quid neceſſe eſt, tam ieiunas & frigidas conciliationes quærere? Nonne rectius & cordatius egiſſet vir ille bonus, ſi faſſus fuiſſet, Lutheri verſionẽ a textu originali hic diſcedere, ſi ſcapham ſcapham dixiſſet. Manet manebitque ſemper Lutheri gloria illibata, quã apud orbem Chriſtianum vniverſum elegantiſſima ſua venuſtiſſimaque verſione promeruit. Sed quæ quæſo ſeruitus eſt, quam illiberale & ingenuo homine indignum, ipſi menti beatiſſimi viri e diametro contrarium, vbi a textu originali diſſentit, hoc diſſimulare velle, & ineptis eiusmodi conciliationibus ei ſuccurrere, vel potius omnibus ſe deridendum propinare. Sed ſufficiant hæc, ne exemplum Syncretiſmi Critici deſit. Nunc redeo in viam.

§. XII.

§. XII. De Theologico Syncretiſmo hic dicendi locus non eſt. Tot ille aut defenſores, aut impugnatores nactus eſt, ut haud exiguæ molis librum eius hiſtoria requirat. Nec defuerunt, qui eam condere aggreſſi ſunt, qua fide, qua dexteritate, aliorum eſto iudicium. Sed nec Iure Conſultis ſui conciliatores deſunt Indigent ſane horum opera, ſiue cum recta ratione iureque naturali, ſiue inter ſe conciliandæ ſint leges ciuiles. Et cum iure quidem naturali conciliare eas præter alios voluit *Iacobus Mæſtertius* in libro de *iuſtitia Legum Romanarum*, tam infelici ſucceſſu, vt nihil ineptius, nihil inſulſius hocce libro ſe vidiſſe, viri harum rerum periti profiteantur. Inter ſe autem conciliare eas aggreſſi ſunt, quotquot antinomias tollere, & contradictionibus eas liberare conati ſunt: quos inter haud vltimum locum ſibi vindicat *Vlricus Huberus* in *Eunomia ſua Romana*, a filio eius *Zacharia Hubero* edita.

§. XIII. Ad medicos quod attinet, diſſenſionum, controuerſiarum, ſectarum non minor forte apud eos numerus eſt, quam in Theologorum aut Philoſophorum ſcholis. Non ergo quoque conciliatores deeſſe potuerunt. *Petrum* quendam *Aponenſem* ex *Schengkii Bibliotheca Medica p.* 443. commendat *Iacobus Thomaſius* in *Oratione* de *Syncretiſmo Peri-*

patetico. p. 129. qui hoc apud eos functus ſit officio. Quem tamen is *Petrum Aponenſem* vocat, *Petrus de Albano* dicitur, vidique ipſe librum eius ſub titulo: *Conciliator differentiarum Philoſophorum, præcipue Medicorum A. 1483. in fol. editum.*

§. XIV. Sed ad Philoſophorum tandem conciliatores nunc venio, quos, vt cunctarite ſibi conſtent, in duas claſſes diſpeſcere conſilium eſt. Quidam enim Philoſophos cum Scriptura S., alii vero Philoſophos inter ſe conciliare aggreſſi ſunt. De vtrisque in ſequentibus obſeruationibus dicemus.

OBSERVATIO XIII.

De CONCILIATIONE PHILOSOPHORVM CVM SCRIPTVRA S.

Synopsis.

Hermeticorum cum Phyſiologia Moſaica conciliatio, §. I. *Conciliandi ſtudium Hermeticis velut proprium eſſe docetur.* §. II. *De Patribus Platonem cum Scriptura S. conciliantibus*, §. III. *De Beſſarione Cardinale.* §. IV. *De Ariſtotelis cum Scriptura S. conciliatione*, §. V. *Ioh. Zeiſoldi liber de hoc argumento ſub cenſuram vocatur*, §. VI. *An Ari-*

Ariſtoteli creatio mundi cognita fuerit? disquiritur. §. VII. *De Epicureæ ſecta cũ Scriptura S. conciliatione*, §. VIII. *De Stoicorum cum Scriptura S. conciliatione*, §. IX. *De Carteſii cum Scriptura S. conciliatione, & de Io. Amerpœlii Carteſio Moſaizante.* §. X. XI. *De Guilielmo Wiſthono*, §. XII. *de Thoma Burneto, quædam.* §. XIII.

§. I.

PRimum forte locum inter Philoſophos ſibi vindicabunt *Hermetici* atque *Chymici*, quia ab Ægyptiis, apud quos primam Philoſophia inueniſſe ſedem perhibetur, originem ſuam arceſſunt. Horum nonnulli, vt oſtendant, cum Phyſiologia Moſaica accurate ſua decreta conuenire, eo usque progrediuntur, ut mundum a Deo chymica quadam ratione productum aſſerant. Rem iſtam ita ediſſerit *Marinus Merſennus*: *Elementorum & mundi ſublunaris productionem exemplo chymico explicant. Nam ſpiritum e vino extrahunt, deinde oleum, quod ſpiritui innatat, tertio phlegma, poſt quod faces remanent, quas mortuum caput appellant, quæ cum in vitro rotundo hermetice ſigillato incluſerunt, vaſe per integram noctem quieſcente, quinque regiones apparent, quarum inferior nigra eſt, & obſcuritate velata,*

ſuper qua portio phlegmatis reſidet, quam oleum ex fecibus operit, ſequitur vini ſpiritus, ex quo oleum extractum ordinem quintum obtinet: qua ratione volunt ex cœlo Empyreo craſſiores ſpiritus tenebrarum exturbari, quibus elementum ignis conſtitueretur, qui cum e media regione ſiue æthere deiicerentur, in aëris ſubſtantiam conuerſi ſunt: denique pulſi ex infima regione produxerunt elementum aquæ: horum autem omnium ſterquilinium & caput mortuum terra ſtatuenda eſt, cuius immunditiem aqua, velut infima pars aëris ſequitur, tum aër, ignis & quinta eſſentia, quæ vini ſubtiliſſimæ parti reſpondet: aqua ardens, quæ tres veluti partes eſſentiæ quintæ, & vnicam phlegmatis continet, ignem, pars illa, quæ dicitur aqua vitæ communis, duas habens vini partes, & aquæ totidem, aërem: denique pars phlegmatica, ſpiritus fere nihil continens, aquam: caput mortuum, in cucurbitæ fundo reſidens, terram refert, in Comment. in Geneſ. p. 711.

§. II. Et videtur ſane Chymicis hoc proprium, vbique artis ſuæ veſtigia quærere, & ad auctoritatem antiquitatisque opinionem ei conciliandam, non tantum in Scriptura S. ſed in Philoſophorum quoque Scriptis, & Poëtarum fabulis ea venari, quæ inſtituto ſuo fauere vident. Atque ita dum quosvis, renitentes maxime & reluctantes, in caſtra ſua pertrahere allaborant, vt eos ſecum ſen-

ſentire demonſtrent, ſententiæ illorum verbisque haud raro vim inferunt. *Ioſephus Quercetanus*, haud ignobilis inter Chymicos ſcriptor, *in reſponſione aduerſus Anonymi cuiusdam phantaſmata, ad veritatem Hermeticæ Medicinæ ex Hippocratis veterumque decretis ac therapeuſi, nec non viuæ rerum anatomiæ exegeſi, ipſiusque naturæ luce ſtabiliendam*, huic aſſertioni fidem faciet. Ita autem ille poſtquam locum ex Hermetis Trismegiſti tabula, quam vocant, ſmaragdina, attuliſſet, in qua ſummam Hermeticæ doctrinæ contineri putat, pergit: *Ex hoc fonte omnes alii Philoſophi ſuas experientias hauſerunt, non tantum in lapide philoſophico ad metalla transformanda, ſed etiam ad vniverſalem illam medicinam, ſeu quintam eſſentiam extrahendam, quæ omnibus infirmitatibus mederetur, ad quam potiſſimum reſpexit Hermes. Ad eam ſpectarunt omnes omnium poëtarum hiſtoriæ, quæ ideo dictæ ſunt fabulæ, quod fictis narrationibus, & multis verborum inuolucris, ac ſub fabulis rem tam nobilem ac pretioſam tegerent, ac vulgo occultarent. Qualis eſt peregrinatio Iaſonis in Colchos ad vellus aureum reportandum. Qualis etiam fabula de hortis Heſperidum aurifero nemore pretioſis, vbi draco, peruigil cuſtos & obſeruator, malis aureis conſeruandis inuigilabat, quem Hercules dicitur interfeciſſe, & aurea poma ad Euriſtheum retuliſſe:* Et, interiectis quibusdam,

P 5 hæc

hæc addit: *hanc* (artem) *Zoroaſtres, Democritus, Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Anaxagoras atque infiniti alii ſummi philoſophi probarunt & ſecuti ſunt. Quid non & Chaldæi, Hebræi, Ægyptii, Græci, Arabes, ſuis idiomatibus de ea ſcripſerunt, & encomia ediderunt? Lib. II. p. m. 289. 290.* Nullus ergo philoſophus vllibi gentium reperietur, qui non & Hermeticus ſit & chymicus. Quam autem vellem, vt aliquis periculum faceret, & ex Ariſtotele arcana chymica eliceret; pulcherrimum ſine dubio conciliationis philoſophicæ habituri eſſemus ſpecimen. In Poëtarum quidem fabulis res facilius procedit: videnturque adeo chymici hunc maxime ſibi campum delegiſſe, in quo ingenii ſui vires exercerent, id quod vel *Iacobi Tollii fortuita*, in quibus *præter Critica nonnulla* (ita enim titulus libri ſe habet) *tota fabularis Hiſtoria Græca, Phœnicia, Ægyptica, ad Chemiam pertinere aſſeritur*, comprobant. Editus liber eſt *Amſteldami A. 1687. in 8.* Etenim quis neſcit, quam lubrica & incerta ſit fabularum explicatio, ſane nec illis, qui cuncta ad Moſen, aut ad res morales atque civiles, aut naturales trahere voluerunt, defuerunt rationes, quibus cauſam ſuam ornarent. Quid ergo mirum, & Chymicos ibi deprehendere, quæ ad ſuam accommodare artem poſſint. Sed id nunc non agimus.

§. III.

§. III. Redimus ergo ad illos, qui cum doctrina Chriſtiana gentilium conciliare philoſophiam aggreſſi ſunt. In primitiua namque Eccleſia quidam ex Auctoribus Chriſtianis Platonem ſequebantur, alii Porticum redolebant, nonnulli Pythagoræ decreta plurimi faciebant. Facile etiam adduci ſe patiebantur ad dogmata horum philoſophorum conciliandam cum Scriptura S. ſiue vt ita iſtorum philoſophorum auctoritati conſulerent, ſiue ad reliquos gentiles ad fidem Chriſtianam perducendos hoc conſultum ducerent, ſiue alia denique, quæcunque, demum fuerit, eos impulerit cauſa. Quo ipſo tamen factum, vt aut Philoſophorum iſtorum, aut Scripturæ S. ſententiam peruerterent, atque deprauarent. Latus hic mihi ſeſe aperit campus diſſerendi, ſed inſtituti mei memor vnicum ſaltem afferam exemplum. Illuſtre eſt cumprimis Clementis Alexandrini inter Eccleſiæ Doctores nomen. Is vero quid non auſus eſt, vt Platonem cum Scriptura S. conciliaret? Materiæ æternitatem ipſis principiis Chriſtianæ religionis repugnare credimus. Non credidit Clemens. Namque non tantum eam cum Platone ceteriſque Philoſophis gentilium approbat, ſed illos etiam a Moſe, verba hæc proferente: *terra erat inuiſibilis & informis*, ad eam aſſeren-

rendam inductos autumat. Quis noſtrum Ideas Platonicas in Scriptura S. quærat? quæſiuit Clemens, easque ſibi inueniſſe viſus eſt. Taceo nunc, quæ de continua & æterna mundorum ſucceſſione aliisque doctrinæ ſacræ capitibus ad mentem Platonis ita diſſerit, vt hæcce tamen ex Scriptura S. quoque confirmare annitatur. Paucis hæc omnia Photius complexus eſt, cuius verba breuitatis cauſa, latino ſaltem idiomate proferemus: *in nonnullis vero plane ad impios ac fabuloſos ſermones delabitur. Contendit enim, materiem eſſe æternam, & Ideas quaſi a locis quibusdam* (Scripturæ) *inductas. Filium etiam ad creaturæ ſortem deprimit: Præterea animorum migrationes, & multos ante Adamum mundos abſurde commemorat. &c. Cod. CIX. p. 286.* Non ſum neſcius, quid; *Guilielmus Caue* aliique pro Clemente afferant. Sed hæc omnia ſolide diſcuſſit *Io. Clericus* in *Epiſtolis Criticis, Ep. I.* qui & ea quæ de Clemente attulimus, nobis ſuppeditauit.

§. IV. Sed nec deſunt ex recentioribus, qui Platonem cum Scriptura S. conciliare aggreſſi ſunt. Agmen tamen inter eos ducit *Cardinalis Beſſarion* in libro, quem *contra calumniatorem Platonis* (Gregorium Trapezuntium) ſcripſit, ex quo nonulla delibare, vt ſpecimen aliquod huius Syncretiſmi ex eo quoque exhibeamus, non abs re fuerit. Ipſe qui-

quidem *Gregorium Trapezuntium L. II. Cap. IV.* recte perſtringit, quod ad conciliandum cum Scriptura S. Ariſtotelem, aſſeruiſſet, Ariſtotelem in principio *libri de cœlo* de Trinitate diuina optime diſſeruiſſe, quod ibi ſcribat, *tria cuncta eſſe, & ter quoque parte, ſecundum Pythagoraeorum ſententiam, qui vniuerſum & cuncta ternario numero terminari velint:* cautius quoque videtur incedere Beſſarion, dum fruſtra apud gentiles philoſophos ea quæ doctrinæ Chriſtianæ diuinitus reuelatæ propria ſunt, quæri profitetur. *Niſi fingere,* inquit, *quæ a vero abſunt, & falſa ſimulare velimus, nec Platonem, nec Ariſtotelem, nec alium quenquam gentilium fateri debemus de Trinitate locutos fuiſſe, quemadmodum Chriſtiani ſentiunt, ac nobis diuinitus reuelata, & ſacris literis tradita.* Et paucis interiectis: *Nemo igitur ſiue Platonem, ſiue Ariſtotelem laudandum cenſeat, quod Trinitatem diuinam aut coluerint, aut ſcripſerint.* Atque pluribus quoque demonſtrat, trinitatem Platonicam a Trinitate Chriſtianorum multum differre. Nihiloſecius in ſequentibus ita pronunciat: *ſpeciem quandā noſtræ religionis in Platone fuiſſe, non diffitemur, luce naturali illuſtratam, quam eius creator & princeps diuina filii ſui doctrina deinceps pluribus aperuit.* Omni quoque opera in hocce libro in id incumbit, vt oſtendat, Platonem in multis cum Scriptu-

ra

ra S. conſentire, ſeque adeo omnino eiusmodi Syncretiſmi reum facit. Sic in eo conſentire Platonem cum Chriſtianis docet, quod *fidei* plus, quam *demonſtrationibus* tribuerit. *Plato*, inquit, *in hoc præcipue cum noſtra religione conuenire videtur, quod nullam quærit demonſtrationis rationem, ſed primam præcipuamque omnium virtutum fidem conſtituit, per quam res diuinas merito colendas exiſtimat.* Huc itaque illud refert, quod Plato fidem inter virtutes primo loco poſuerit, quod aſſeruerit, qui in ſeditione fidus ſit, eum omni virtute præditum eſſe, fidemque poſſe perfectam iuſtitiam appellari: quod Proclus Platonicus dixerit, non ſcientia & ingenio ad ſummum bonum, ſed fide perueniri. Aſt magnopere fallitur Beſſarion, dum hoſce philoſophos putat fidei notione eiusmodi quid deſignaſſe, ac Chriſtiani, vt vel prima religionis Chriſtianæ elementa edoctis notum eſt. Simulq; exemplum præbet, quam facile in errores prolabantur, qui conciliandi ſtudio ſe dedunt: Imo immemor fuit regulæ, quam ipſe præſcripſit: *Non Chriſti dicta ad Platonis ſententiã accommodanda ſunt, ſed verba Platonis ad ſententiam Chriſti.* Quanquam & hæc neutiquam concedenda ſit, cum non minus contra veritatis Leges peccet, qui Platonis verba ad ſententiam Chriſti, quam qui dicta Chriſti ad ſententiam Platonis accommodarit. Poſ-

ſem plurima adhuc ex Beſſarione ad hocce argumentum exornandum afferre, ſed inſtituti noſtri leges ad alia nos properare jubent.

§. V. Eorum, qui Ariſtotelis decreta cum Scriptura S. conciliare aggresſi ſunt, longe major adhuc eſt numerus. Etenim ex quo Platonis locum in ſcholis occupauerat Stagirita, alumni ejus hoc demum & auctoritati & perennitati Magiſtri deeſſe putarunt, vt oſtenderent, cum Scriptura S. eidem quam optime conuenire. Viam ceteris præiuit *Thomas de Aquino*, qui, vt Io. Baptiſta Criſpus loquitur, *Ariſtotelis verba haud raro ad Eccleſiam vel tolerabilem ſenſum trahit*; *de Ethnicis Philoſophis caute legendis f. 507.* quem eius locum etiam affert *B. Iacobus Thomaſius in Orat. cit. de Syncretiſmo Peripatetico, p. 339. Franciſcus* quoque *Patricius*, cum docuiſſet, Arabes Philoſophos in duos cætus abiiſſe, quorum unus libere philoſophatus ſit, alter, cuius princeps Auenroës fuit, veſtigia Ariſtotelis ſuperſtitioſe preſſerit, ab hoc autem eam philoſophandi rationem accepiſſe doctoresq; Scholaſticos, quorum tamen ſcholæ cum dicta Ariſtotelis inter ſe conciliare non potuerint, adeoque dubia de dubiis nectendo incerti ſane & ambigui hæſerint, in nouam quandam Academiam euaſerint, addit: *Præter has duas philoſo-*

ſophandi rationes ad Auer-Roicas ſcilicet hypotheſes ac proprias eorum dubitationes, tertium quendam, ipſis quoque peculiarem inuenerunt, vt Ariſtotelicam Philoſophiam Chriſtianæ Theologiæ iungerent, huiusque præceptis decretisque Ariſtotelicas rationes, ac etiam dubitationes quæſtionesque permiſcerent. Nihilque in Theologia arbitrati ſunt poſſe ſtatui, niſi Ariſtotelicis fundamentis firmatum eſſet T. I. Diſcusſione Perip. Lib. XIII. p. 163. Sed quid opus eſt plura addere, quis enim neſcit, & Philoſophiam & Theologiam Scholaſticam nihil aliud eſſe, quam confuſum aliquod chaos, ex iſta Scripturæ & Ariſtotelis permixtione ortum?

§. VI. Ex iſta autem Ariſtotelis & Scripturæ ſacræ commiſtione non potuit non duplex oriri incommodum. Primo namque Scripturæ S. verum & genuinum haud raro peruerterunt ſenſum ad Ariſtotelis placita eam accommodando: deinde rurſus Ariſtotelis iam ceteroquin illis non ſatis intellecti ſententiam deprauarunt, ad Scripturam S. eius Philoſophiam inflectendo. Hinc qui aut Scripturæ ſacræ, aut Ariſtotelis veram genuinamque ſententiam apud hoſce homines quærunt, vtrique falluntur turpiter. Cum autem melior tandem nitidiorque habitus bonis litteris artibusque redderetur, non defuerunt equidem, qui Græcæ, qua polle-

pollebant, linguæ notitiam ad genuinum verumque Stagiritæ ſenſum eruendum conferrent, aſt nonnulli tamen placitis philoſophi nimis addicti, ad conciliandum hunc cum Scriptura S. iterum animum adiecerunt. Eminet inter hoſce, vt nunc alios taceam, *Ioh. Zeiſoldus*, in Ienenſi quondam Academia Profeſſor haud incelebris, cuius de *Ariſtotelis in illis, quæ ex lumine naturæ innoteſcunt, cum Scriptura S. conſenſu ab eoque apparente diſſenſu Tractatus*, *altera vice editus eſt A. 1667. in 4.* In eo id maximo ſtudio agit, tum in Theologia naturali, tum in Phyſiologia, vt conſentanea Scripturæ S. Ariſtotelem docere, euincat, atque refellat illos, qui ſecus ſentiunt. Hinc (quis credat?) quicquid Theologi de DEI infinitate, omnipræſentia ceteriſque DEI attributis docent, illud iam pridem Ariſtotelem docuiſſe, contendit, plane ac ſi is ſolus tam oculatus ſit, vt quod tot alii doctrina præſtantes viri videre non poſſunt aut deprehendere in Ariſtotele, ipſe videat, atque deprehendat. Imo nec quæ de Angelis Theologi proferunt, Ariſtoteles ignorat, ſi Zeiſoldo credimus, quia *L. VI. Metaph. c. 5.* dixit: δεῖ οὐσίας εἶναι ἄνευ ὕλης ἐνεργείας ἄρα, *oportet ſane eſſe ſubſtantias immateriales actu.* Quod ſi contendas hæc ſimiliaue Ariſtotelis effata de intelligentiis

eſſe intelligenda, intelligentias autem longe aliud quid Ariſtoteli denotaſſe, quam quod nos hodie Angelum vocamus, vt præclare etiam *Io. Gerh. Voſſius lib. 2. de Idol. c. 41.* obſeruauit, reſpondet Zeiſoldus: *Quamuis multi negant, intelligentias eſſe idem Ariſtoteli, quod nobis Angeli, tamen philoſophi communiter id aſſerunt.* Aſt quis ferat hanc ratiocinationem, ideo per intelligentias Ariſtotelem intelligere Angelos, quia communiter hoc philoſophi aſſerunt. Quid ſi philoſophi iſti, qui communiter hoc aſſerunt, decipiantur? Decipi certe credit Voſſius. Et huic tamen hypotheſi tota iſta de Angelis eaque ſatis prolixa tractatio innititur: tam lubrico fundamento, contra philoſophi mentem ideo ſaltem ſuperſtructo, vt eius cum Scriptura S. conſenſus demonſtrari poſſet. Superſedere igitur potuiſſet Auctor ſequentium propoſitionum de Angelorum natura, incorruptibilitate & perennitate, impaſſibilitate, illocabilitate & vbietate, immutabilitate & mobilitate, duratione & permanentia, demonſtratione, in quibus Ariſtotelem ſuum ita inducit diſſerentem, vt crederes, eum in collegio aliquo pneumatico orthodoxæ Theologiæ conformato, induſtrium aliquando interfuiſſe auditorem.

Ita

Ita conciliandi intempeſtiuum ſtudium homines in transuerſum agit.

§. VII. Sed iuuat adhuc vnum harum ineptiarum ſpecimen addere. Quæritur an mundus iuxta Ariſtotelem primitus, vel in principio a DEo factus & creatus ſit? Monet hic noſter, diſtinctas eſſe quæſtiones: An Ariſtoteli cognita fuerit creatio, h. e. an Ariſtoteles ſciuerit, dari creationem? & an Ariſtoteli cognita fuerit creatio mundi, quæ *Gen. Cap. 1.* deſcribitur. Vtramque quæſtionem intrepide affirmat, & firmiſſime ſe probaturum in ſe recipit. Sed audi, quam firmiter. Priorem probat ex *Lib. IX. Metaph. C. 1.* vbi, inquit, Philoſophus potentiam & actum etiam ponit in illis, quæ ſine motu agunt, fiuntque, & hoc ipſo potentiam effectivam ſtatuit, ſine motu, adeoque ſine ſubiecto. Affert hunc in finem verba Ariſtotelis: *plura complectitur potentia & actus, quam quæ ſolum ex motu dicuntur.* Quod autem, quæſo, fidiculis opus eſſe cenſes, vt hinc tandem exſculpas, Ariſtoteli cognitam fuiſſe creationem? poſteriorem quæſtionem non vno Ariſtotelis loco probat. Tanta probationum copia eſt inſtructus. *Ariſtoteles*, inquit, *cit. Lib. I. Metaphyſ. c. II. Deus omnibus cauſa & principium quoddam eſſe videtur.* Ergo illi cognita fuit creatio mundi, quæ *Gen. I.* deſcri-

Q 2 bi-

bitur. Rurſus Ariſtoteles *L. II. Metaph. c. 2.* docet, non dari progreſſum in infinitum, Deumque vocat *principium & primum omnium entium.* Ergo cognita illi fuit creatio mundi, quæ a Moſe deſcribitur. Veſtram fidem! Dialectici, an ita argumentari liceat. Sed nolo plura addere. Operam oleumque perderem, ſi hiſce ineptiis immorarer diutius. Satis patet, quod artibus opus ſit illis, qui inuitum & reluctantem Ariſtotelem in ſuam pertrahere ſententiam annituntur. Rectius *Iacobus Thomaſius*, vir eruditus, & vel hoc nomine de hiſtoria philoſophica optime meritus, quod intempeſtiuo conciliandi ſtudio procul faceſſere iuſſo, & amoris æque ac odii vacuus in veterum mentem inquirit, hac de re pronuntiat, dum omnino ab Ariſtotele mundi æternitatem, ſed alio ſenſu, quam a Platone aliisque Philoſophis, aſſertum fatetur, probatque de *Exuſtione Mundi ſtoica diſſert. IV. p. m. 58. ſeqq.* Etenim cum illud Lactantii *L. VII. cap. 1. Ariſtoteles ſemper, ait, fuiſſe mundum, ac ſemper futurum*, attuliſſet, ſubiungit: *Conſentiunt in hoc de Ariſtotele effatum Cicero in Lucullo p. 30. Æneas Gazeus p. 58. Theophraſti ſui, & ore vno quod ſciam, priſci pariter, ac recentes omnes, ſi vnum forte vel alterum excipias, quem intempeſtiuum hoc æuo maxime, quo barbaram hiſtoriæ veteris ignorantiam exui-*

mus

mus paulatim, ſtudium demonſtrandi conſenſum Ariſtotelis cum Scriptura S. eo adegit, vt contra tot ſeculorum perſuaſionem, contra manifeſtam oculorum fidem tueri incipiat, dari iuxta Ariſtotelem & creationem mundi cum nouitate eſſendi, & interitum. Verum aſſertioni huic refutandæ vel ſolum Cap. X. Lib. I. de cœlo ſuffecerit. Rem plane acu tetigit, dum ex intempeſtiuo iſto conciliandi gentiles philoſophos cum Scriptura S. ſtudio hoc demum prouenire contendit, vt contra manifeſtam oculorum fidem ſententiæ illis tribuantur quæ tamen nunquam eis in mentem venerunt. Plura exempla qui deſiderat, ei auctor fuerim, vt hunc Zeiſoldi librum diligenter euoluat.

§. VIII. Præter Platonicam atque Stoicam celebres olim maxime fuere ſecta Epicurea atque Stoica. Hæ paucos equidem inter recentiores habuerunt aſſeclas, qui tamen cum viderent, in vtraque ſecta eiusmodi occurrere placita, quæ Scripturæ S. e diametro adverſarentur, non potuerunt non Philoſophiam, quam defendendam ſusceperunt, religioni, quam profitebantur, Chriſtianæ vtcunque attemperare, ne locus illis inter hos plane denegaretur. Et quidem de Epicuræa Philoſophia hoc manifeſtum eſt. Etenim quis pro Chriſtiano illum reputet, qui cum Epicuro aut Numinis tollere prouidentiam,

 aut

aut animæ in dubium vocare immortalitatem, aut aſſerere denique auſit, mundum huncce fortuito ex atomorum concurſu coaluiſſe. Id quod cum intelligeret *Petrus Gaſſendus*, celeberrimus huius ſectæ reſtaurator, Epicuro quidem aliam affingere mentem auſus non eſt, nimis enim manifeſtum erat, talia eum docuiſſe, nec tamen cum Scripturæ S. religionisque Chriſtianæ ſcitis hæc vllo modo conciliari poſſe vidit: hinc, quod vnicum ſupererat, reiicere hæc Epicuri placita atque refutare nullus dubitauit. Recte quidem. Et vtinam omnes vbique ita ſe geſſiſſent, vt veterum philoſophorum mente cordate expoſita, eam deinde ſententiam aut retinuiſſent, aut reieciſſent, quam cum Chriſtiana religione, veritateque aut conuenire, aut non conuenire deprehendiſſent. Sed nec Neo-Epicuræi hoc vbique obſeruarunt. Namque vbi exiſtimarunt, Moſis Phyſiologiam cum Democriti conciliari poſſe, hanc conciliationem auide amplexi ſunt. Patet hoc in doctrina de Atomis. Namque huius quoque veſtigia in Moſe quærere non dubitant: cui ſententiæ vt ſpeciem quandam concilient, Moſchum quendam Phœnicium in ſcenam producunt, quem atomorum inuentorem nonnulli prædicant: hunc autem cum quidam eundem cum Moſe eſſe ve-

velint, habere ſe, quod volunt, putant; ſaltem a phœniciorum philoſophia non multum diſcrepaſſe Ebræorum veterem facile ſibi perſuadent, adeoque cum illa atomorum inuentrix prædicetur, hanc quoque eorundem non fuiſſe expertem inde colligunt. Ita Moſes mox Ariſtotelicus eſt, mox Platonicus, mox Democriticus, mox Epicuræus.

§. IX. De Stoicis alia occaſione ex inſtituto agam: cum animus ſit de hæreſibus ex illorum philoſophia ortis aliquid commentari. Demonſtrabo tunc, multas in veteri Eccleſia hæreſes ex Stoicæ philoſophiæ cum religione Chriſtiana commixtione ortas eſſe. Nunc vnicum tantum huius conciliationis afferam exemplum. Iuſtum Lipſium quis neſcit in hac philoſophia ornanda & polienda, & ex veterum monumentis eruenda multum operæ atque laboris collocaſſe. Aſt idem cum deprehenderet quædam a religionis Chriſtianæ indole plane abhorrentia in ea occurrere, conciliatoris fungi officio, & effata Stoicorum in mitiorem trahere ſenſum, vel peruertere potius non dubitauit. Sic fatum iſtud Stoicum impietatum ſentinam eſſe, facile deprehendet, qui intimos eius receſſus paulo accuratius perſcrutatus fuerit. Quid autem Lipſius? Fatum Stoicorum ab ipſa tandem prouidentia non

differre, intempeſtiuo conciliandi ſtudio abreptus, aſſerit. Hinc ſententiæ Stoicorum hunc in modum explicatæ illud ſuum *optime, optime*, acclamat. Et deinceps *aſper*, inquit, *ab initio ſermo, ſed examinatus Stoicorum etiam vero ſenſu miteſcit; in Phyſiol. ſtoic. Lib. I. Diſſert. 12.* Quo ipſo quam turpiter decipiatur, nunc oſtenderem pluribus, niſi iam hoc ex inſtituto egiſſet *Iacobus Thomaſius* in *diſſert. de Stoici fati malignitate*, addita eius tractatui de *Stoica mundi exuſtione. p. 166.* vbi de Lipſio ita pronuntiat: *In quo fecit, quod mali ſolent hiſtorici, qui vitiis Principum adulantur: ipſe ſibi nec ſatis conſtans, nec nimis fidens.*

§. X. Inter recentiores philoſophos ſectarumque conditores ceteris omnibus palmam dubiam reddidit *Renatus Carteſius*. Huius autem aduerſarii cum ad inuidiam nouæ huic Philoſophiæ conflandam, nunquam non clamitarent, noua eam alere monſtra, mox eruptura, & cladem haud temere reparandam religioni Chriſtianæ illatura, imo eam Scripturæ S. refragari e diametro, ſectatores Carteſii facile intellexerunt, ad iſtas criminationes repellendas, ſua intereſſe, vt euincerent cum Scriptura S. quam belliſſime conſpirare nouã hanc philoſophiam. Non recenſebo nunc certamina hac occaſione mota de Scriptura S. in loquendi formulis ſubinde

ple-

plebeiorum rudiorumque hominum captui attemperata, nec reliqua, quæ pro Carteſii cum Scriptura S. conſenſu demonſtrando paſſim allata ſunt in medium. Sed vnicum ſaltem auctorem Phyſiologiam Moſaicam cum Carteſiana conciliare annitentem in medium ſiſtam, vt ex hoc quoque exemplo diſcant, quos demum ſucceſſus eiusmodi conciliationes habeant. Eſt is *Iohannes Amerpœl*, cuius *Carteſius Moſaizans, ſiue euidens & facilis conciliatio Philoſophiæ Carteſii cum hiſtoria creationis primo capite Geneſeos per Moſen tradita*, prodiit *Leouardiæ A. 1669. in 12.* Vix equidem ſine tædio liber iſte legi poteſt: tam vbique nihil auctor iſte agit, tam turpiter ſe traducit. Sic in primo verſu dicitur: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Qua in re vt demonſtret conſentire cum Moſe Carteſium, probat, Carteſium quoque Deum omnium rerum cauſam & conditorem vocaſſe. Aſt quis vnquam hac de re dubitauit? In verſiculo ſecundo: *Terra autem erat res informis & inanis, tenebræque erant in ſuperficie abyſſi, & ſpiritus DEI incubabat ſuperficiei aquarum.* Hic primo explicare debuiſſet, quid ſecundum veram & genuinam Moſis ſententiam per rem inanem & informem, itemque per Spiritum intelligatur: & deinceps probare debuiſſet, Carteſium eodem ſenſu duo re-

rum omnium principia, materiam & ſpiritum, aut tria, materiam, ſpiritum & lucem, ſtatuiſſe: & ita demum forte lectori perſuaſiſſet, conſentire in Philoſophia ſua Carteſium cum Moſe. Aſt quid noſter? Dicet equidem per terram informem & inanem, indigeſtam materiæ congeriem denotari, caligini & tenebris immerſam, cui Spiritus S. tertia SS. Trinitatis perſona, agitationem & motum indiderit. Vt vero conſenſum Carteſii cum his oſtendat, primo docet, ſtatuiſſe Carteſium omnium mundi corporum vnam & eandem eſſe materiam in quaslibet partes diuiſibilem, ac jam re ipſa diuiſam: quod tamen an Moſes innuat, videant, quorum intereſt: certe quæ hic de materiæ diuiſione & mente Carteſii diſputat, ego in Moſe non invenio: porro quod ad Spiritum moli huic incubantem attinet, docet, Carteſium credidiſſe SS. Trinitatem: aſt hoc nihil ad rem. Deinde docet, Carteſium credidiſſe, quod Devs materiæ motum indiderit: aſt hic de Spiritu Dei dicitur, quod ſuperficiei aquarum incubuerit: adeoque neutiquam hic Carteſius & Moſes conſentiunt: denique addit, Carteſium credidiſſe, Deum eſſe rerum omnium conſeruatorem. Quid vero tum? Ergone inde ſequitur, quod crediderit, duo rerum omnium eſſe principia, materiam &

ſpi-

ſpiritum. Interim, quia magna adhuc inter eruditos lis eſt, quid hic per Spiritum intelligatur, nemo poteſt aut Carteſii, aut alterius cuiusuis Philoſophi aut conſenſum cum Moſe, aut ab eo diſſenſum prius demonſtrare, quam liquido & clare euicerit, quid hic per Spiritum intelligatur. Hoc autem non fecit Auctor, quippe cui ſatis fuit communem Theologorum ſententiam, ſecundum quam per ſpiritum hic Spiritus S. intelligatur, allegaſſe.

§. XI. Poſſem alios adhuc ineptæ conciliationis fructus ex hoc Auctore colligere. Sed ne lectoris abutamur patientia, vnum ſaltem adhuc afferemus ſpecimen. *Deinde dixit* DEVS, ita pergit Moſes *v. 6.7.8. eſto expanſum inter aquas, vt ſit diſtinguens inter aquas vnas & alteras. Fecit ergo DEVS hoc expanſum, quod diſtinguit inter has aquas, quæ ſunt ab intra expanſi iſtius & aquas illas, quæ ſunt a regione ſupera expanſi, & fuit ita. Expanſum autem hoc DEVS vocauit cœlum; Sic fuit veſpera & fuit mane diei ſecundi.* In explicatione hujus effati Auctor de vera ſignificatione vocis *expanſi* diſſerit, quæ nunc ad nos non pertinent. Quis autem hæc verba Moſis, vel centies legendo, globulos cœleſtes Carteſii & reliqua eius elementa, itemque vortices eius

ejus inueniſſet? Inueniſſe ſibi viſus eſt Auctor. Primo itaque ponit, Moſen æque ac Carteſium cœli fluiditatem aſſerere. Facile hoc conceſſerim. Aſt dum ſtatim addit, fluiditatem iſtam ex duplici materia conſtitui, primum ex particulis cœleſtibus ſphæricis, globulis ſecundi elementi, ac ex particulis ſubtilisſimis ac tenuisſimis ex colliſione & attritione globulorum ſecundi elementi ortis, Carteſii quidem mentem video: aſt vbinam, quæſo, hoc dicit Moſes? Progreditur hinc ad vortices delineandos, ſimulque oſtendit, quo pacto terra quoque noſtra initio ſol quidam, ſeu ſtella fixa fuerit, aſt deinceps cum maculis variis contractis fuiſſet opacata, degenerauerit in planetam, ac a corpore lucido in opacum abierit, & hoc facto vortex quoque ejus, ſeu cœlum fuerit deſtructum & abſorptum ab alio quodam fortiori ipſum cingente cœlo, vortice ſcilicet ſolis. Et in hac quidem terræ productione pulchre inter ſe conſentire Carteſium & Moſen putat. Quod ne fruſtra aſſeruiſſe videatur, ita probare aggreditur: *Primo*, inquit, *Moſes in id ſolum incumbit, ut nobis reuelet in genere mundi conſtitutionem poſt ultimum perfectionis complementum.* Qua reſponſione quid ſibi velit, profecto non capio. Etenim ſi ex hoc colligit, quod de globulis cœleſtibus & vor-

vorticibus Moſes ideo nullum inſtituerit ſermonem, quod hæc a ſcopo, quem ſibi vir divinus propoſuerat, eſſent aliena, propria cædit vinetta. Namque cum hoc ipſo fateatur, eiusmodi hypotheſium nec volam, nec veſtigium apud Moſen extare, qui poteſt ergo de Moſis & Carteſii conſenſu gloriari. Sed pergit: *Secundo hoc ipſum concludi poteſt ex eo, quod v. 3. 4. 5. de luce agens, tum nullum eius indicat ſubiectum, ſine quo hæc conſiſtere nequit, quia eſt accidens: debuit ergo fuiſſe ipſa terra; tum etiam ne ſemel quidem iſtic abyſſi ſeu confuſæ & impolitæ ejus maſſæ facit mentionem, ſed poſtea tandem, v. 6.* Aſt pesſime iterum ſubducit rationes. Nullum Moſes indicat lucis primogeneæ ſubjectum: Ergo terra fuit lucida. Cur non aliud lucis huius ſubiectum eſſe potuit, licet Tibi hoc ſit ignotum? Abyſſi in his verſiculis iniici mentionem non neceſſe fuit. Quid vero inde? Bella profecto ratiocinatio. *Tertio,* inquit, *clare liquet, ex verſ. 14. & 15, Luminaria condita eſſe ad afferendam lucem ſuper terram: Quod utique ſatis innuit, terram priſtinam ſuam lucem non ſemper retinuiſſe, ſed aliquando rurſus amiſiſſe, alias enim nullatenus eguiſſet luce mutuaticia, cum haberet lucem natiuam & propriam.* Hic nexum rurſus deſidero. Etenim ex eo, quod dicitur, Deum luminaria condidiſſe, recte qvidem colligas,

ligas, terram eſſe corpus opacum. Nihil amplius. Quis vero tam omnium rectæ ratiocinationis legum immemor eſt, vt exiſtimet, fas ſibi eſſe, ita concludere: Terra eſt corpus opacum: Ergo antea fuit corpus lucidum; ſed ſufficiant hæc. Nouo nunc exemplo comprobatum eſt, quam facile in præceps agantur, quos inconſultum vexat conciliandi ſtudium.

§. XII. Facere non poſſum, quin hic mentionem faciam *Guilielmi Whiſtoni*, cuius noua Telluris Theoria Anglicana lingua conſcripta *Londini A. 1696. in 8.* prodiit. Operæ pretium fuerit eam, quam is animo ſuo concepit, geogoniam ex *Actis Erud. Lipſ. A. 1677. menſe Decembr. p. 535.* paucis exhibere, vt omnes, quem is cum Moſe conſenſum ſibi polliceri queat, eo rectius ſtatuere poſſint. Cenſet nimirum, tellurem noſtram cometam fuiſſe ante hexameron Moſaicum conditum, diurna reuolutione carentem, conſtantem centrali corpore & athmoſphæra: atque illud quidem in Perihelio tantum concepiſſe calorem, vt tellus noſtra eundem adhuc in interioribus partibus retineat: hanc vero fuiſſe chaos illud famoſum. Cum ergo inhabitabile hocce corpus plantarum animantiumque ſedem efficere decreuiſſet Deus omnipotens, ipſum mutaſſe orbitam eius

val-

valde eccentricam in circulum circa ſolem, in diſtantia conuenienti, vt deinde partes in eius Athmoſphæra confuſe agitatæ ſubſidere potuerint, ſecundum leges grauitatis ſpecificæ. Ac primum quidem nucleum Cometæ ambiiſſe denſum aliquod grauiſſimumque fluidum, vt fieret abyſſus, atque huic incubuiſſe particulas terreas ſolidasque mixtas aqueis & aereis. Sed primo creationis die, hoc eſt, anno, maſſam hanc ſuperiorem in duas differentes quodammodo regiones ſeceſſiſſe, vt grauiores ſolidioresque conſtituerent terrarũ orbẽ montibus vallibusque præditum, quique hinc ſuper abyſſum fundatus dicatur, ſubtiliores autem leuioresque, aereæ & aqueæ, quas terræ pori non abſorpſerant halitusque varii athmoſphæram formarent, aliquo modo peruiam ſolis radiis, adeoque lux fieret, locumque habere inciperet diſtinctio inter diem & noctem. Hinc ſecundo die aerem magis magisque ſolis calore rarefactum, grauiores dimiſiſſe particulas in terram ſtillantes, ſubtiliores vero vapores & halitus altius fuiſſe eleuatos cum aere, & expanſum illud conſtituiſſe, quod aër vulgo dici ſolet: atque ita diſtinctionem factam eſſe inter aquas ſuperiores in aëre hærentes, & inferiores, quæ vel in terræ poris & viſceri-

ribus latent, vel eius ſuperficie continentur. Tertii porro diei nocte vapores in aërem eleuatos, & ceſſante calore ſolis concretos in terram deſcendiſſe, ex eiusque locis ſuperioribus in inferiora defluxiſſe, vt orirentur flumina, lacus, maria &c. quo factum, vt appareret arida, aptiſſima reddita ad plantarum vegetationem, quæ proinde hoc anno, ſole exorto productæ. Quarto demum die, aëre iam plane ſerenato conſpicuum fuiſſe factum ſolem cum luna & ſtellis, iisque ſua officia aſſignata. Quinto die ſemina tum piſcium, tum volucrium a Deo creata, & in aqua latentia, blandoque ſolis calore fota, fœtus ſuos excluſiſſe. Sexto tandem die, cum iam orbis terreus ſatis comparens ſiccatusque eſſet, ex terra producta animalia terreſtria, vna cum Adamo & Eua &c. Ceterum terræ ita productæ figuram perfecte fuiſſe Sphæricam contendit: aſt poſt hominis lapſum tellurem in motum diurnæ vertiginis actam, ita vt ſtatim axis huius motus ad axem eccliptica eſſet obliquus, quo factum vt non ſolum ex ſphæra in ſphæroides latum degeneraret, ſed & multis fiſſuris ſcinderetur. Deinde cum vindex ſcelerum Numen terram diluuio obruere decreuiſſet, effeciſſe, vt Cometa prope tellurem tranſiret, eiusque non ſolum orbitam circularem in ellipticam mu-

mutaret, ſed & ſua athmoſphæra & cauda involueret, in quibus illa commorata decem aut duodecim horas, immenſa vaporum nube fuerit obruta, quæ in guttas reſoluta abierit in pluuiam 40 dierum noctiumque. Similem in modum & de reliquis diluuii phænomenis, deque futura terræ conflagratione, ſuarum hypotheſium ductum ſecutus Wiſthonus noſter philoſophatur. Ingenioſiſſime hæc eſſe excogitata nemo dubitauerit. An cum Scriptura S. conciliari commode poſſint, alii videant.

§. XIII. Et operæ ſane pretium eſſet perluſtrare illos auctores, qui Hexameron Moſaicum philoſophice explicare aggreſſi ſunt: & facile deprehenderemus, vnumquemque Moſen ad ſuæ, cui addictus eſt, ſectæ principia rapere. Sed noſtri quidem inſtituti non eſt, hiſce diutius immorari. Dicere ceteroquin multa adhuc poſſemus *de Thoma Burneto*, viro doctiſſimo, qui in Telluris Theoria ſacra & Archæologia ſua philoſophica id maximo ſtudio agit, vt ſuam Geogoniam cum Moſaica hiſtoria creationis conciliet, quod cum non vbique æque facile procedat, ad allegoricas itidem interpretationes dilabitur, reprehenſus ideo ab Auctore libri: *Moſes vindicatus*, ſiue *aſſerta hiſtoria creationis Mundi aliarumque, quales a Moſe narrantur, veritas*

aduerſus Cl. V. T. Burneti S. T. D. Archaeologias Philoſophicas. Non vacat nobis in hoc inquirere prolixius. Progrediendum enim eſt ad alia.

OBSERVATIO XIV.
De
CONCILIATIONE PHILOSOPHORVM INTER SE.

Σύνοψις.

CHymicorum cum Hippocrate, Galeno, Ariſtotele conciliatio. §. I. *Platonicorum, Ariſtotelicorum, Stoicorum & Epicuraeorum conciliatio.* §. II. *Speciatim conciliatio Ariſtotelis & Platonis a multis tentata,* §. III. *etiam a recentioribus,* §. IV. *An Franciſcus Patricius annumerandus,* §. V. *Sebaſtianus Foxus* Morzillus *examini ſubiicitur.* §. VI. VII. *De illis, qui Ramum cum Ariſtotele & Philippo Melanchthone reducere in gratiam aggreſſi ſunt.* §. VIII. *Carteſii & Ariſtotelis conciliatio quo ſucceſſu tentata.* §. IX. *Syncretiſmus philoſophicus proſcribitur, ſed tolerantia diſſentientium commendatur.* §. X. XI.

§. I.

DIcendum nobis nunc eſt de illis, qui ipſos philoſophos conciliare inter ſe aggreſſi ſunt. Aegyptios primum inter philoſophos per tem-

temporum rationes ſibi vendicare locum, iam ſupra obſeruauimus. Horum genuina ſoboles videri volunt Hermetici atque Chymici. Quorum philoſophandi ratio licet a reliquorum doctrina multum abire videatur, non tamen defuerunt, qui eos cum aliarum ſectarum Philoſophis conciliare anniſi ſunt. Sic, vt alios nunc taceam, Hippocratem chymicum *Otto Tacherius* ſcripſit, *Brunſwigæ. A. 1658. in 12.* editum. De Sennerto iam ſupra obſeruauimus; quod de chymicorum cum Ariſtotelicis & Galeno conſenſu & diſſenſu commentatus fuerit. Conſtat autem, eum hoc ipſo aliorum in ſe prouocaſſe calamos, qui eum Chymicorum & Paracelſi principiis nimis indulſiſſe contendebant. *Iohannes* certe *Freitagius*, eum tam infeliciter Ariſtotelicos & Galenicos cum Chymicis conciliaſſe, putat, vt Ariſtotelicæ atque Galenicæ doctrinæ fundamenta potius euerterit, in libro, cui titulus: *Noua Secta Sennerto Paracelſica recens in Philoſophiam & Medicinam introductio, qua antiquæ veritatis oracula & Ariſtotelicæ ac Galenicæ doctrinæ fundamenta conuellere ac ſtirpitus eradicare moliuntur Nouatores detectio & ſolida refutatio. Amſtelod. A. 1637.* Sed nec *Gregorio Martini* hac Sennerti inſtitutum ſe probare potuit, quippe qui in *Caput XI* dicti libri *Chymicorum cum Ariſtotelicis & Gale-*

Galenicis conſenſu ac diſſenſu, quod eſt de *Principiis Chymicorum* commentatiunculam, vt vocat, edidit, in qua tamen non tam horum Philoſophorum conſenſum, quam Chymicorum impugnat principia. Quo pacto autem alii ex recentioribus Chymicos cum reliquis Philoſophis conciliare aggreſſi ſint, deinceps dicetur.

§. II. Inter Græciæ Philoſophos Platonici, Ariſtotelici, Epicuræi & Stoici eminuerunt, & de palma ſæpius inter ſe contenderunt. Omnes quatuor ſectas qui conciliare aggreſſus ſit, nunc non ſuccurrit: licet de Platonicorum, Ariſtotelicorum & Epicuræorum, ipſorumque Chymicorum conſenſu in principiis rerum naturalium commentatus ſit *Ioh. Baptiſta du Hamel*, de quo deinceps ex inſtituto. Præterea Antiochus Aſcalonita, primus ille & præcipuus inter veteres Ariſtotelis atque Platonis conciliator, Stoicos etiam in concordiæ huius philoſophicæ ſocietatem admiſit, teſte *Cicerone, L. I. de Natura Deorum p. 5.* Imo cum ipſe Stoicis maxime addictus eſſet, Academicus tamen videri voluit, quorum illuſtrius eo tempore erat nomen: atque hoc ipſum ad conciliationem eiusmodi tentandam illum impulit. v. *Cic. L. IV. Quaeſt. Acad. p. 13.* Epicuræi autem atque

Stoi-

Stoici cum δὶς διὰ πασῶν diſtare videantur, fuerunt tamen & qui illos vocare in concordiam voluerunt. Atque inter recentiores quidem hoc auſus eſt *Bernhardus a Mallincrot*, *in diſcurſu*, vt vocat, *de ſummo hominis bono*, quippe in cuius frontiſpicio profitetur *præcipuam ſibi curam fore, vt Stoicos & Epicuræos qui vel maxime omnium disſidere putentur, conciliaret*. Vid. *Iacobi Thomaſii Orat. de Syncretiſmo Peripatet. p. 329. 330.* Vbi id quidem obſeruo, Stoicorum cum reliquis, ipſis etiam Epicuræis, in multis capitibus conciliationem non tam difficilem eſſe, vt quidem videri poſſit. Verborum enim fuerunt captatores Stoici, vt aliis iam pridem eſt obſeruatum, vnde pleræque illorum cum aliis philoſophis controverſiæ in meras tandem λογομαχίας abierunt. Non dubitabit hac de re, qui ſaltem paradoxa Stoicorum paulo accuratius conſiderauerit.

§. III. Superſunt Plato atque Ariſtoteles, ſcholarum ſibi inuicem admodum repugnantium auctores, quos tamen, hoc non obſtante, reducere in concordiam multi annisi ſunt. Totum vero hocce argumentum iam ita exhauſit doctiſſimus vir, *Iacobus Thomaſius*, in ſæpius laudata oratione, vt, quod addi posſit, nil reperiatur. In ſummam ergo mittemus ſaltem ea, quæ is prolixius hac

de re diſſeruit, ne manca ac mutila noſtra ſit tractatio. Primus itaque inter Platonis atque Ariſtotelis conciliatores locus debetur Antiocho Aſcalonitæ, niſi ad ipſum Hieronymum Rhodium, qui tempore Ptolomæi Philadelphi floruit, inſtituti huius originem referre velis: certe iam ab eo tempore Peripateticam ſcholam ratio quædam dogmata ſua cum aliarum ſectarum placitis permiſcendi inuaſerat. Multum huc conferebat doctrinæ Peripateticæ ignoratio, quæ occultatis Ariſtotelis atque Theophraſti libris, non poterat non ſumma eſſet. Opportune quoque admodum iſta res accidit Antiocho, quem ambitio vexauit, qua abreptus, conciliare ideo diſſentientes ſectas voluit, vt nouæ ſectæ auctor is deinceps haberetur. Antiochi diſcipulus *Cicero* quoque fuit, qui magiſtri veſtigia ſtrenue premens primus inter Latinos Syncretiſmi huius Philoſophici auctor haberi poteſt. Fuerunt quidem deinceps inter ſubſecutos Platonicos, quibus hæc vtriusque Philoſophi conciliatio ita diſplicuit, vt eam ſcriptis quoque impugnarent ſic *Atticus* quidam, qui ſub Nerua vixiſſe legitur de Platonis & Ariſtotelis diſſenſu in variis doctrinæ philoſophicæ capitibus multa diſſeruit extantque fragmenta eius apud *Euſebium* atque *Theodoretum a Turus*, qui tempore

An-

Antonini Pii vixit, de differentia Platonis & Ariſtotelis librum ſcripſit, & alium de diſcrepantiis Platonicorum & Stoicorum, vnde colligas, fuiſſe eo tempore, qui & hos inter ſe conciliare allaborauerint. Aduerſus Taurum quidem de Platonicæ & Ariſtotelicæ Philoſophiæ concordia diſputauit *Plotinus*, ſi fides habenda *Paulo Benio*, qui id teſtatur *in commentario in Timæum Platonis p.56.* cui accedit Auctor vitæ Ariſtotelis, quam *Ammonio* nonnulli, alii *Philopono* tribuunt, quippe qui diſerte negat, Platoni contradicere Ariſtotelem. Plotini diſcipulus *Porphyrius* fuit, qui ſeptem itidem libris confirmare conatus eſt, vnam eſſe Platonis & Ariſtotelis ſectam, quam deinceps plurimi gentilium ad Simplicium vsque ſecuti ſunt, qui per annos prope trecentos in hoc campo ingenii exercuerunt vires, odio atque furore in Chriſtianos abrepti, qui & ipſum Porphyrium egerat in transverſum. Doctoribus enim Eccleſiæ Philoſophorum diſſenſiones ſibi obiicientibus, hac demum ratione obuiam eundum eſſe, cenſuerunt.

§. IV. Inter Latinos *Boëthius* de Platonis & Ariſtotelis concordia ſe ſcripturum innuit, Porphyrii forte auctoritate inductus, in cuius lectione ſedulum eum fuiſſe, conſtat. Tum per gentium Barbararum incurſiones

ſumma rerum omnium ignorantia, & denſiſſima caligo ſecuta eſt, quæ orbi Chriſtiano per aliquot ſecula incubuit: ea vero vtcunque diſpelli cœpit, cum infelici fato ſcholaſtica, quam vocant, Theologia atque Philoſophia caput erigeret. Floruit tamen ea ætate *Bernhardus Carnotenſis*, quem *Iohannes Sarisburienſis* philoſophiæ Platonicæ longe peritiſſimum prædicat, qui itidem Peripateticæ atque Platonicæ ſcholæ Syncretiſmum propagare inſtituit, paucos tamen nactus approbatores. Quo magis autem per Scholaſticos auctoritas Ariſtotelis creuit, eo magis imminuta eſt exiſtimatio Platonis, donec renaſcentibus bonis litteris nonnulli quoq; Platoni priſtinam reddere auctoritatem conati ſunt, quos inter *Beſſarion Cardinalis* atque *Pletho Gemiſthus* eminent, qui Platonem præferre Ariſtoteli nulli dubitarunt, reclamante magnopere *Georgio Trapezuntio* & *Marco Epheſino*, qui Ariſtoteli contra palmã adiudicabant. Tum nouis conciliationibus data fuit occaſio. *Iohannes* namque *Picus*, Mirandulæ Concordiæque Comes, in famoſis illis ac paradoxis theſibus, inter alia hoc quoque defendendum ſuſcepit, nullum eſſe quæſitum naturale aut diuinum, in quo Ariſtoteles & Plato ſenſu & re non conueniant, quamuis verbis diſſentire videantur.

Imo

Imo librum quoque ſcripſit de concordia Ariſtotelis cum Platone, de quo hæc *Franciſcus Patricius* in *Zoroaſtre p. 13.* memorat. *Vtinam Pici commentaria in ea ipſa, & oracula* (Zoroaſtri) *& libros haberemus. Quæ Ficinus ſcribit in obitu eius inter ſcriptorum ſuorum reliquias a ſe reperta eſſe, ſed ita exarata, vt vix ab eo ipſo legi poſſent Pico. Quæ malum! peſſum ierunt cum concordia ab eo ſcripta Ariſtotelis cum Platone.* Huic *Paulus Benius* adiungit *Paulum Scalichium*, quem Picum æmulatum magnificis verbis idem pollicitum dicit, licet promiſſis non ſteterit, ad *Timæum Platonis, p. 4.* Iacobo Carpentario quoque laudatur *Franciſcus Cataneus Ieccetius*, Marſilii Ficini auditor, cuius tamen opus itidem cum eo conſepultum & tenebris traditum ſit. Eidem porro labori inhæſerunt *Symphorianus Camperius ſ. Champerius*, Lugdunenſis Gallus, inſignis Medicus, qui de *Platonis cum Ariſtotele Symphonia* commentatus eſt, & *Sebaſtianus Foxius*, Hiſpalenſis, qui de *conſenſu Platonis & Ariſtotelis in ea philoſophiæ parte, quæ de natura eſt*, librum reliquit: quorum tamen poſterior, Carpentario iudice, in plerisque neque Platonis, neque Ariſtotelis ſententiam aſſecutus eſt. add. *Eſ. Puffend. Diſſert. de Theolog. Platonica, in proœm.* Ceterum *Franciſcus Piccolomineus* refert multos ſua ætate in Italia extitiſſe viros doctos,

 qui

qui ob eximiam vtriusque Philoſophi reuerentiam vel eos conciliare vel eorum decreta pro veri indagatione accurate inuicem conferre conati ſint, eosque regia via ad ſapientiam progredi iudicat. Et Bononiæ quidem *Fridericum Pendaſium, Nicolaum Turcum & Camillum Baldum*; Senis *Iugurtham Thomaſium & Fortunium Cinugum*: Auguſtæ Taurinorum *Auguſtinum Buccinum*; Neapoli *Iohannem Bernhardinum Longum*; Romæ *Hieronymum de Pante & Flaminium Nobilium*; Piſis *Franciſcos* duos, *Verinum & Bonamicum*; Ferrariæ *Antonium Montecatinum*, hoc egiſſe docet. Hiſe Iacobus Thomaſius ipſum *Piccolomineum* addit, *l. c.* eumque dicere ſolitum ex *Iohannis Imperialis Muſeo Hiſtorico p. 115.* narrat, Platonis & Ariſtotelis Philoſophiam, duos quaſi oculos humani aciem intellectus dirigere, quorum alterutro ſi quis careat, cyclopis inſtar in hac rerum vniuerſitate eum labi neceſſe ſit.

§. V. Ceterum mirari quis poſſet, cur diligentiſſimus vir *Iacobus Thomaſius* reliquis, quos recenſet, Platonis atque Ariſtotelis conciliatoribu non addiderit *Franciſcum Patricium*, toties tamen in hac ipſa oratione ei laudatum. Namque is in Diſcuſſionum Peripateticarum *Tom. II.* Ariſtotelis & veterum Philoſophorum, præſertim Platonis concordiam

diam ſe demonſtraturum in ipſo libri titulo pollicetur. Atque in ſermone ad *Antonium Montecatinum*, cui librum huncce inſcripſit, ipſe de ſuo inſtituto ita loquitur: *Scis, Antoni Montecatine, apud veteres in magna fuiſſe controuerſia, an Ariſtoteles in philoſophia diſcors a Platone Præceptore (quod plerique aſſeruerunt) an vero concors cum eo eſſet, (quod nonnulli magni viri contenderunt) inter quos & excellentia & tempore primus videtur fuiſſe Porphyrius, qui in eam rem libros ſeptem legitur ſcripſiſſe. Eandem concordiam pollicitus eſt Simplicius, eandem Böethius Seuerinus, eandem paulo ſupra noſtra tempora Io. Picus. Qui vt eſt apud Ficinum ſtetit promisſis. Noſtra vero ætate a Franciſco Vicomercato easdem pollicitationes habuimus. Si Porphyrii ac Pici monumenta extarent ſi trium reliquorum promiſſa conſtarent, multo me magnoq; labore leuaſſent. Quibus cum careremus, animum adieci, ſi quid ego virium qualiumcunque mearum in eam rem conferre poſſem, in id incubui, ad finem, quod potui, perduxi: Ariſtotelem non ſolum cum Platone, ſed etiam cum vetuſtiorum multis, quantum fieri potuit, concordem eſſe oſtendi.* Sed inter conciliatores tamen atque Syncretiſtas Philoſophicos locum non promeretur Franciſcus Patricius. Namque non in omnibus, ſed in quibusdam ſaltem cum Platone atque veteribus conſentire Ariſtotelem

telem oſtendit, idque luculenter colligitur ex eiusdem Diſcuſſionum Peripateticarum operis *Tom. III.* in quo de Ariſtotelis & veterum Philoſophorum diſcordia ſe acturum, ſtatim in fronte libri profitetur.

§. VI. Ne autem ſpecimen eiusmodi conciliationum Ariſtotelis cum Platone deſit, ex *Sebaſtiani Foxii Morzilli Hiſpalenſis*, de *natura philoſophiæ*, ſeu *de Platonis & Ariſtotelis conſenſione libris quinque*, vnum alterumque afferemus. Ita enim arbitror, non multum operæ atque laboris in vanitate horum ſcriptorum demonſtranda collocandum eſſe, quippe quæ ſe ipſam ſtatim prodat, quamprimum ſpecimina ex illis quædam in exemplum proferantur. De natura ipſa diſputatum iampridem inter philoſophos fuit, & hodienum diſputatur, nec ſpes vlla litis finiendæ affulget. Et Platonem quidem Foxius obſervat naturæ voce ipſam animam mundi ſignificare, quæ cum ſingulis rebus ſit indita, vim quandam agendi illis tribuat. Namque & Plotinum docere, nihil aliud naturam eſſe, quã id, quod a mundi anima conſtituatur. Ariſtoteli autem dicit naturã eſſe vim intimam rerum ſingularium, qua ipſæ ſponte aut moventur ad generationem, interitum, alterationem, ceteraque motionis genera, aut pla-

ne

ne quieſcunt, & conſiſtunt in eſſentia iam adepta. Non inquiram nunc, ſitne accurate ſatis vtriusque Philoſophi de natura ſententia expreſſa: videamus potius, quo pacto nunc has ſententias oppido ſane diuerſas inter ſe conciliare annitatur Auctor. *Conſentire*, inquit, *Plato atque Academici cum Ariſtotele videntur, dum mundi animam nominant naturam. Idem enim eſt naturam, rerum ſingularum initiũ mutationis & conſtantiæ earundem nominare, atque a mundi anima vim hanc rebus inſitam participatione quadam ortam exiſtimare.* Dubito ſane, an intellexerit ipſe Auctor, quæ hic ſcripſit. Id quod non raro conciliatoribus euenit, vt dum aliorum opiniones huc atque illuc trahunt, in cogitationes longe obſcuriſſimas tandem deſinant. Aſt quis vero tam expers eſt omnis cognitionis, vt animam mundi Platonis, & vim iſtam omnibus rebus inſitam Ariſtotelis vnum idemque eſſe ſibi perſuaderi patiatur? Eadem ſane facilitate eos qui hodie de natura rerum diſputant, & quorum alii mundi ſpiritum aſſerunt, alii autem neſcio quam vim corporum naturalium in ore habent, inter ſe conciliaueris.

§. VII. Principia rerum naturalium tria aſſeruit Plato, *materiam, Ideam, Deum*; Ariſtoteles itidem tria, *materiam, formam, priuationem*. Credisne eos conſentire? Imo, inquit,

ſi

ſi numerum principiorum ſpectes, idem plane ſentiunt. Non potuiſſet ſe traducere turpius. Quis vel in puero hanc ratiocinationem ferret qui tria diuerſiſſima principia ſtatuunt, inter ſe conſentiunt, quia vtrique tria principia ſtatuunt. Ergo gratulabimur nunc mox Phyſicorum ordini ampliſſimo de pace vniuerſali, hac ratione quam facillime ſtabilienda, quia & Hermetici & Carteſiani in ternario iſto numero principiorum facile inter ſe conſentiunt. Sed an ipſa hæc principia inter ſe conciliari poſſint? quæritur. Negat *Iacobus Thomaſius* in *Oratione de Platonicis Ideis exemplaribus. Tria*, inquit, *ponit uterque rerum naturalium principia. Poſſumus ſperare concordiam. Vterque materiam in his nominat. Euge nihil hic eſt disſidii. Porro Plato Ideam addit, Ariſtoteles formam. Plurimum ſane inter hæc duo, licet utcunque affinia ſibi intereſt. Sed age fingamus, & hic idem eos ſentire. Tertium utrique ſupereſt, Platoni Deus, Ariſtoteli priuatio. Quis tam abſurdus erit, ut eos hic idem dicere exiſtimet. p. 240.* Contra Foxius de conciliandis eorum ſententiis non deſperat. De materia nullam inter eos eſſe diſſenſionem putat. Quod an omnes admiſſuri ſint, dubito. Sed eſto, hoc ita ſe habere. Formam Ariſtotelis & Ideam Platonis differre, concedit. Nihilo ſecius tamen cum Ariſtoteles

teles in ſecundo Phyſicorum libro diuinam quandam formam ſtatuat, a qua ceterae formae omnes oriantur, quas eadem ipſa complectatur, non procul eum a ſententia Platonis abfuiſſe putat. Cur ergo Ariſtoteles Ideas Platonis impugnauit, ſi idem cum Platone ſenſit? Sane aut non eſſe hanc Ariſtotelis mentem, quam Auctor illi tribuit, inde ſequitur, aut etiam a recepta ſua ſententia diſceſſit, atque ita conciliatio rurſus euaneſcit. Aſt, inquit, niſi dicamus, Ariſtotelem hic idem ſentire, quod Plato, ſibi ipſi philoſophus contradicit. Poſterius cum admitti nequeat, prius concedendum. Quaſi vero nunquam fieri poſſit, ut Ariſtoteles ſibi contradicat? Sed pergimus. *De tertio*, inquit, *rerum initio minime conuenit Ariſtoteli cum Platone.* Bene: ergo utriusque conciliatio fruſtra ſuſcipitur. Et nihiloſecius conciliationem tentat, idque hunc in modum, ut multa diſputet, an priuatio principium proprie dictum ſit, id quod tandem negat: Deum autem ab utroque pro naturæ Auctore, ſed diuerſo tamen modo agnoſci contendit: egregia conciliatio! Enim vero quantopere hic Plato & Ariſtoteles diſſenſerint, iam pridem ab aliis quam luculentiſſime demonſtratum eſt.

§. VIII. Jam ſi ad recentiores ſectarum philo-

loſophicarum conditores nos convertamus, duo cum primis ſeſe nobis offerunt, *Petrus* ſcilicet *Ramus*, atque *Renatus Carteſiu*: uterque magnum in orbe erudito excitauit ſtrepitum, uterque haud paucos ſectatores & impugnatores, imo & conciliatores nactus eſt. Et ad Ramum quidem quod attinet, vix innotuerat eius inſtitutum, quod ab Ariſtotele deſciuiſſet, cum certatim magno clamore, ceu hominem ſeditioſum & res nouas molientem eum aggrediebantur, qui pro Ariſtotelis gloria arma capeſſere ſuarum eſſe ducebant partium. Acris tum commiſſa hinc inde pugna eſt. Mox tamen nonnulli pacis & concordiæ amantiſſimi homines in ſcenam prodierunt, qui ut lites iſtas componerent, Ramum & cum Ariſtotele, & maxime cum Philippo Melanchthone eleganter conſpirare docebant. Melanchthonis enim diſcipuli per Ariſtotelem ſui quoque magiſtri latus peti credebant, adeoque pro Philippo non minus acriter decertabant, quam pro Stagirita. Poſſem hic *Pauli Friſii comparationes Dialecticas*, *Andreæ Libauii Dialecticam Philippo-Ramaeam*, *Heizonis Buſcheri Harmoniam Logicam Philippo-Ramaeam*, & infinitam Harmonicorum ſcriptorum turbam recenſere, ſi operæ pretium eſſet, hiſce nugis immorari diutius. Si enim unquam de rebus

ni-

nihili & lana caprina certatum fuit, ab Ariſtotelicis ſane & Ramæis tum hoc eſt factum. Adeoque & conciliatores iſti non magnam inde promereri laudem poſſunt, ſicut nec iſte, qui mulierculas de ſtillicidiis inter ſe altercantes, in gratiam iterum reduxerit. Recte autem de Ramaea Philoſophia iudicat *Iohannes Bayerus, Eperienſis*, dum, *at vero*, inquit, *hac ipſa Ramaeorum a Peripateticis ſeu totalis, ſeu partialis auulſio & ſciſſio magni momenti non eſt. Quod enim corrigere & perficere voluerint, quæ vel male, vel inſufficienter tradita ab Ariſtotele ſunt, id bonum ſane fuit propoſitum. At quomodo id egerunt? Rerum conceptus ab ipſo acceperunt mutuo, & alias notiunculas ipſis impoſuerunt, alioque ordine pertractarunt, & fuſius ſermocinari docuerunt: quoad cetera tantum ab Ariſtotele diſcrepantes, quantum ab ouo ouum, aut a piſo piſum: aliqua etiam magis atque ipſe deprauarunt; in filo Labyrinthi ſ. Cynoſura & Luce mentium uniuerſali, Præfat. Iſag. Phaenom. IX.* §. 2. Cui iudicio plane ſubſcribimus.

§. IX. Grauioris momenti fuere, quæ Carteſianos inter & Ariſtotelicos agitatæ ſunt controuerſiæ. Difficilior etiam videbatur conciliatio. Aſt non potuit tamen hæc difficultas deterrere doctiſſimum Virum, *Ioh. Chriſtoph. Sturmium*, quo minus rationem pa-

cis inter eos conſtituendæ invenire tentaret in *Phyſica ſua*, vt vocat, *conciliatrice*. In qua licet id omni opera anniti videatur, vt cum Carteſio in gratiam redire cogat Ariſtotelem, hactenus tamen nec Ariſtotelicis, nec Carteſianis perſuadere potuit, ſerio ſe ibi rem egiſſe, ſeque ex animi ſui ſententia iſta de vtriusque conſenſu fuiſſe commentatum. Summæ enim, qua Vir ille pollet, eruditioni palam iniuriam inferret, qui id aut ſibi, aut aliis perſuaderet. Nec tamen quisquam vitio vertet, quod cum alia ratione non potuerit, hoc demum modo, eam ſententiam inculcaverit ſuis, quam ad veritatem accedere quam proxime arbitratur. Sub jugo enim Ariſtotelicæ Philoſophiæ orbis eruditus tum adhuc gemebat, piaculumque erat, aſſerere quicquam quod non ante aſſeruiſſet Ariſtoteles; Carteſianum autem ſe profiteri ſummum erat crimen. Lepida ergo fabula decipiendi erant iniquiſſimi homines, in eamque adducendi opinionem, nihil aſſeri a Carteſio, quod non Ariſtoteles ſuo calculo iam pridem comprobaſſet.

§. X. Sed nec prætermittendus hic eſt *Ioh. Baptiſta du Hamel*, cuius de *conſenſu veteris & nouæ philoſophiæ libri duo* omnino locum hic ſibi depoſcunt, in quo opere quid illi conſtitutum fuerit, ipſe ita ediſſerit: *id mihi*, inquit,

quit, *propoſitum eſt, omnium pene philoſophorum diſciplinas luſtrare, atque ex iis quod veriſimillimum erit, quaſi noſtrum accipere, extremas opiniones ad iuſtum temperamentum adducere, eas demum, quæ non tam inter ſe disſident, quam primo adſpectu videntur, vt fieri maxime poterit, conciliare.* Quo ipſo demonſtrat, ſe non eos, qui reuera diſſident, ſed qui diſſidere videntur, conciliaturum. Adeoque per ea, quæ ſupra dicta ſunt, hic ſyncretiſtis philoſophicis vix adſcribendus veniet. Demonſtrat autem hoc ipſa etiam tractatio, cum in quibusdam ſaltem, non in omnibus philoſophorum conſenſum oſtendat. Recte autem idem addit: *Præterquam enim, quod magis abſoluta erit philoſophiæ naturalis tractatio, ſi vnius cuiusque ſectæ forma, non leuiter adumbrata, aut potius, vt fieri ſolet, contradicendi libidine deformata, ſed omnibus ſuis expreſſa lineamentis exhibeatur: id ſane cuiuis non hebeti conſtabit, Platonem, Ariſtotelem, atque alios Philoſophiæ principes neque omnia, neque nihil vidiſſe.* Vehementer id probo. Eclecticæ enim philoſophiæ is demum rite operatur, qui non hinc inde particulam doctrinæ veterum philoſophorum corradit, ſed qui vniuscuiusque ſectæ integram hiſtoriam prius accurate animo complectitur, quam quid ex ea amplectendum, quid contra repudiandum ſit, diſpiciat. Huic

autem philoſophandi methodo Syncretiſmus Philoſophicus repugnat, quippe per quem vera Philoſophorum ſententia corrumpitur. Hanc autem perſpectam habere, philoſophi Eclectici maximopere intereſt. Interiectis quibusdam Hamelius hæc addit: *Neque enim quisquam fere magis offendit, aut in plures incurrit ſimultates, quam qui aliorum lites nititur componere, aut fumentes animos compeſcere.* Præter meritum quidem, ſi citra veritatis diſpendium componere lites annitatur: aſt veris Syncretiſtis Philoſophicis nulla infertur iniuria, ſi quis dicat, eos hocce labore ſuperſedere potuiſſe. Pergit: *ac plerique non tam quid veri ſit exquirere quam ab aliis volunt diſſidere*: multi etiam non tam quid veri ſit exquirere, quam alios inter ſe diſſentientes volunt conciliare. Plane autem viro huic doctiſſimo ſubſcribo, dum addit: *Optandum tamen id eſſet, vt philoſophi facerent aliquem controuerſiarum modum: nihil enim magis ab hac ſcientia bene & liberaliter inſtitutos deterret, quam tumultuantium certamina Philoſophorum.*

§. XI. Licet itaque Hamelii inſtitutum hactenus laudandum ſit, quod agnoſcat, operam oleumque eos perdere, qui Philoſophos reuera diſſentientes conciliare aggrediantur, vix tamen a me impetrare poſſum,

vt

vt credam, eum non conciliandi ſtudio interdum abreptum contra regulas, quas ipſe ſibi præſcripſerat, peccaſſe. Pluribus hoc poſſem comprobare documentis: ſed ne quis putet, fruſtra quod aſſerui, a me dictum eſſe, vnum ſufficiat. Etenim quod ad numerum Elementorum attinet, facile Chymicos atque Peripateticos inter ſe conciliari poſſe, putat. Quod vt demonſtret, id ſibi a Chymicis vult concedi, vulgata & omnibus notiſſima elementa non eſſe tantum velut capſulas & excrementa Mercurii, Sulphuris ac Salis, ſed ea vel ſola eſſe elementa, vel in principiis chymicorum potiſſimum dominari: ignem ſcilicet & aerem in ſpiritu & oleo, aquam in phlegmate, terram in ſale: hic autem aut me omnia fallunt, aut vehementer dubito, an hæc poſtulata Hermeticæ doctrinæ alumnus ſit admiſſurus: quod ſi neget, corruit conciliatio, corruit concluſio Hamelii: *quo quidem modo chymicos cum Peripateticis in gratiam redigimus*. Equidem mentem ſuam vberius explicat, atque negat, illis ſe ſuffragari, qui chymicorum principia in vulgaria elementa reſolui poſſe arbitrantur, imo hæc principia tam ſimplicia quam ipſa elementa credit. Negat tamen ea Elementorum nomine notanda eſſe, cum non habeant proprias & ſeparatas regiones, nec ſint,

velut promptuaria, ex quibus miſta quæque gignantur, neque alibi, quam in ipſis corporibus mixtis inſint. Quæ an Chymicæ doctrinæ aſſertori dubia omnia exemptura ſint, vix mihi perſuadeo. Quid enim, ſi neget ad elementum requiri, vt propriam habeat regionem? aut ſi neget, ad illud requiri, vt alibi quam in ipſis corporibus mixtis inſit? aut ſi affirmet, omnino reliqua corpora mixta omnia ex hiſce principiis gigni? Cauſæ autem ſuæ non ſatis conſulit Hamelius, dum dicit, iuxta definitionem elementi ab Ariſtotele traditam Chymicorum principia elementa dici poſſe, aſt dandum tamen hic aliquid eſſe mori recepto, per quem hoc nomen nonniſi quatuor illis vulgatis competat. Facile enim excipit chymicus; Philoſophi nomen eum non promereri, cui vulgi iudicium atque recepta conſuetudo pluris ſit, quam rei veritas. Et eum quidem in modum bonus Hamelius ſubinde contra accuratioris philoſophiæ leges peccat, ſuoque exemplo comprobat, quantis periculis obnoxii ſint, qui ſemel periculoſiſſimo Syncretiſmi philoſophici mari ſe committunt.

§. XII. Ex dictis conſtat, nunquam orbi erudito conciliatores eiusmodi philoſophicos defuiſſe. Conſtat etiam, eos rei litterariæ plurimum nocuiſſe, tantum abeſt, vt com-

commodum aliquod ei attulerint. Namque vt diſſentientes in concordiam redigerent, aut vtriusque, aut alterius corruperunt mentem. Quo quidem pacto hiſtoria philoſophica magnam veritatis per hoſce homines fecit iacturam. Præterea in errores grauiſſimos ipſi ſe præcipitarunt, & ineptis & falſis ratiocinationibus cauſæ deſperatæ conſulere laborarunt. Quo ipſo quam aut ſibi aut aliis profuerint, facile intelligitur. Aſt Syncretiſmum dum proſcribimus, tolerantiam tamen, amorem, atque concordiae ſtudium commendamus. Sincere ſcilicet omnium philoſophorum ſententia inueſtiganda & proponenda eſt, ſineque affectu approbanda, quæ cum veritate conſentiunt, reliqua modeſte & ſine acerbitate reiicienda. Ita demum & controuerſiis modus finisque ponetur, & veritas ſimul triumphabit, regiaque via ſine impedimentis ad eam contendere licebit.

§. XIII. Simul tamen & illud manifeſtum eſt, licet concordiæ ſtudium atque amorem homines eiusmodi præ ſe ferant, hoc tamen vnice ad fallendos alios eſſe comparatum. Namque aut ignauia, voluptatis filia, aut ſtudium aliis placendi commodumque ſuum promouendi, aut ambitio etiam atque gloriæ cupiditas, deſideriumque ex aliarum

ſectarum confuſione nouam procudendi, apud hosce conciliatores regnant, eosque ad quiduis moliendum, & ad quadrata rotundis miſcenda impellunt. Probarem hoc, niſi rem paulo accuratius conſiderantes, hiſtoriæque non plane ignari, hoc per ſe intelligerent. Quo ipſo ii ſe ampliſſimo philoſophorum nomine indignos eſſe demonſtrarunt. Tanto enim quisque magis in philoſophia proficit, quanto ab hiſce vitiis recedit longius.

OBSERVATIO XV.

De IVRE PRINCIPIS REVOCANDI PRIVILEGIA, MONITA GENERALIA.

SVMMARIA.

Aſſertionem iuris principum reuocandi priuilegia nec eſſe impiam, nec aduerſari vtilitati Reipublicæ. §. I. *Quid expectetur a diſſentientibus* §. II. *Principem ſoli iuri diuino ſubeſſe.* §. III. *legibus humanis ne quidem quoad vim directiuam adſtringi* §. IV. *Iura principum non determinari neque ex Iure Canonico, neque ex opinionibus Doctorum* §. V. *Ergo & præſentem con-*

controuerſiam tantum ex iure diuino eſſe deducendam §.VI. *Cur methodus Scholaſtica hic exulet* §.VII. *Privilegia quatenus inter odioſa referantur.* §.IIX. *Priuilegii deſcriptio* §.IX. *Priuilegia vel reſpicere honorem, vel lucrum, vel commoditatem vivendi,* §.X. *vel tribuere immunitatem, vel facultatem, vel excluſionem &c.* §.XI. *Privilegia in ſpecie odioſa huc non pertinere.* §.XII. *Concedi ea vel proprio motu principis vel ad preces.* §.XIII. *Alias diuiſiones privilegiorum tanquam huc non pertinentes omitti.* §.XIV. *de priuilegio quæri, non de beneficiis. Horum differentia.* §.XV. *Quæ hic de privilegiis dicentur etiam ad ius ſingulare, quod alias a privilegiis differt, applicari poſſe.* §.XVI. *Differentia priuilegii ab interpretatione reſtrictiva & diſpenſatione.* §.XVII. *Hic non tractari de modis finiendi priuilegia omnibus, nec de ſuſpenſione in ſpecie* §.XIIX. *De reuocatione principis non confundendas eſſe quatuor diſtinctas propoſitiones* §.XIX. *Sententia eorum, qui negant principem vllum priuilegium vllo caſu reuocare poſſe.* §.XX. *Prima ſententia affirmantium: principem priuilegia gratuita poſſe*

 re-

reuocare ex iuſta cauſa. §. XXI. *Secunda: gratuita priuilegia poſſe pro lubitu reuocari* §. XXII. *Tertia: principem pro lubitu poſſe omnia priuilegia reuocare* §. XXIII. *Quarta: priuilegia omnia exigente vtilitate publica poſſe reuocari. Hæc præ reliquis verior.* §. XXIV. *Priuilegia contra vtilitatem publicam conceſſa eſſe invalida ex communi doctrina.* §. XXV. *Ergo etiam reuocari poſſe, quæ poſt conceſſionem incipiant repugnare vtilitati publicæ.* §. XXVI. *Subditos nunquam poſſe reſiſtere reuocationi priuilegiorum, etiamſi putent, eam non eſſe ex re ciuitatis.* §. XXVII.

§. I.

SI noui quid afferrem, præmuniendus eſſet Lectoris animus, ne ante totius meditationis lectionem in præiudicium raperetur. Sed hoc quidem ſuperſedere poſſum, qui nil ſtatuo niſi quod ſenſerunt tot moralium, tot Iuris interpretes, quodque ex Legum vniuerſalium, Iuris Ciuitatis, bonæque interpretationis regulis ſponte fluit & cuique ad oculum patet. Aſſerere nempe animus eſt iura ſummorum Imperantium reuocandi Priuilegia etiam oneroſo titulo a ſubditis quæſita, etiam fide publica munita, ſiqui

ſiquidem ſalus publica reuocationem exigat. Eam vero theſin, vti verisſimam eſſe ex infra dicendis patebit, ita nec impiam nec publice noxiã eſſe tamdiu cenſeo, donec aliud euidenter demonſtretur. Quemadmodum enim puto, me ſatis eam ab impietatis nota liberaſſe, ita nullum exinde reipubl. periculum, certe non maius quam ex dominii eminentis aſſertione, in quam omnes hodie conſentiunt, qua vero abuſos Principes nondum per Dei gratiam experti ſumus. Non magis experiemur perfidiam principis aſſerto meo abutentis. Abſit ſuſpicio & contentio inter caput & membra. Boni ciues quemadmodum amant & venerantur principem, ita perfidiam eius nec metuunt nec præſumunt; qui enim amari poſſet, de quo ſiniſtra præſumimus? Deinde intereſt Reipubl. Iura Principis æque ac iura ſubditorum defendere.

§. II. Porro cum non iura huius vel illius Principis, ſed Principum in genere defendam, adeoque mea aſſertio ſit particula iuris publici vniuerſalis, ad cuius explicationem cuilibet ſymbolam afferre licet, non erit quod iure mihi opponi poſſit: *Quid ad te?* Conſequentias non præuiſas reſpuo, nec agnoſco extenſiones regulis bonæ interpretationis contrarias. Cæterum non abnuo, ſi quis

quis, modo candide & ex rationibus ſufficientibus hæc mea refutare velit; vel reſpondebo iisdem vel cedam, nam ſi quid a me erratum eſt, bona fide & pietate erga Imperantes erratum eſſe iuuabit. Dictatoria vero pronunciata deprecor; verſamur in themate quod non autoritate humana, ſed ratione conficitur. Nunc ad rem ipſam.

§. III. In iuris quæſtionibus decidendis ad conſuetudinem & obſeruantiam, iura ſtatutaria, leges prouinciales, Receſſus Imperii, Ius Romanum, Canonicum, Feudale, & in quæſtionibus Iuris publici ad Leges Imperii fundamentales, Auream Bullam, Capitulationes, Inſtrumenta pacis; in omnibus autem fere ad opiniones communes recurritur. Quam in rem plures regulæ ſed multis dubiis ſubiectæ circumferuntur. Verum eas iam excutere nec vacat, nec neceſſe eſt, cum Princeps non obligetur legibus humanis nec Iure diuino particulari, ſed Iure Naturæ & diuino poſitiuo vniuerſali.

§. IV. Non ignoro vulgarem diſtinctionem: Principem legibus ſolutum eſſe quoad vim coactiuam, ſed non quoad vim directiuam; id eſt, vti ego percipio: Princeps in conſcientia adſtringitur ad leges obſeruandas, & licet ab hominibus puniri non poſſit, diuinam tamen pœnam non effugit.

Ve-

Verum hanc diſtinctionem, ſi de Legibus humanis intelligatur, falſam & ineptam eſſe ſcio. Quis toleret aſſertum: gemmis vel auro textili, quæ legibus ſumtuariis ſubditis interdicuntur, principem ſine peccato ornari non poſſe? aut Principem adſciſcere coniugem non poſſe patrui ſui neptem, quia hic gradus ſubditis interdicitur? ſcil. rationes, propter quas ſubditis aliquid prohibetur, in principe plerumque ceſſant. Lubens vero admitto obligationem Principis 1) quatenus legi humanæ ineſt aliquid morale; 2) ſi princeps certam legem ſe ſeruaturum ſubditis promiſerit, quod poſterius tamen non ſine reſtrictionibus infra proponendis intelligi velim.

§. V. Cæterum obſeruandum: peruerſam & plane ex Pontificia Hierarchia deriuatam eſſe regulam: quoties de foro conſcientiæ & peccato euitando agitur, toties Iuri Canonico ſtandum eſſe. Conſcientia legibus diuinis & legitimorum Imperantium, non dictatis Pontificum conſtringitur; Opiniones vero communes probabilem facere theſin, ſed non certam; & ignorantiæ aſylum ac pedantiſmi fulcrum videri, communibus opinionibus qua talibꝯ mordicus inhærere, vbi rationes meliores in contrarium ſuppetunt. Certe cerebrum priuatorum

rum regula actionum Principis eſſe non poteſt, alias hic ſubditus, illi Imperantes fierent; & quid fiet opinionibus communibus contra communes, quarum innumeræ proſtant?

§. VI. Patet iam ſubſumtio: quæſtionem præſentem, *quousque Principi liceat reuocare Priuilegia*; neque ex Iure Ciuili, neque Canonico, neque Feudali communi, neque Prouinciali aut Statutario, neque ex conſuetudine, neque obſeruantia vel opinione Doctorum diiudicandam eſſe; Sed ex lege diuina hodieque obligante. Siquidem non loquimur de Principe huius vel illius reipubl. ſed de Principe qua Princeps eſt, abſtrahendo ab indiuiduis rerumpublicarum. Magno itaque laboris compendio fruimur quod non teneamur fundamenta aſſerti noſtri ex dictis Iuribus vel autoribus conquirere; & ſi quid forte pro contraria ſententia ex iſtis legibus exſculpatur, poſſimus operoſa reſponſione defungi, haud ſecus, ac ſi actionibus meis reclamaret ius Moſcouicum vel Algerienſe. Ac proinde quæ parcius inueniuntur allegata, non probationis ſed illuſtrationis officium ſuſtinere voluimus. Non enim reſpuimus allegata iuris humani, ſed iis tanquam teſtimoniis, quod eorum autores eandem æquitatis rationem

agno-

agnouerint, eaque publica auctoritate probata fuerit, non aſpernandam autoritatem tribuimus. Autorum vero diſſentientium rationibus quæ pleræque ex Iure Romano vel Canonico exſculpuntur, reſpondebitur infra.

§. VII. Porro veniam hic expetimus & ſperamus, ſi prolixam nominis anatomiam ſecundum etymologiam, ſynonymiam &c. nec non diffuſam huius materiæ iuxta cauſarum genera tractationem prætermiſerimꝰ; ea enim aliunde præſupponimus (videantur Autores qui integros de priuilegiis tum in genere, tum ſpecialium ſtatuum & cauſarum ſcripſerunt, quorum longam ſeriem *Lippenius in Bibliotb. Reali Iurid.* enumerat, inter eos vero præ aliis diligentem ſe exhibuit *Enenckel. de priuil. Iur. Ciuil. L. 1. c. 1. & 2.* delibabimus ſaltem nonnulla, quæ noſtram quæſtionem propius attingunt. Neque indignabitur Lector, ſi ſectariæ philoſophiæ regulis in extruendis definitionibus & totius tractationis methodo adſtrictos nos non deprehendat, cum ſufficere videatur, rem ita exprimere, vt ſibi conceptum formare, ſtatum controuerſiæ eo modo proponere, vt qua de re quæſtio ſit, intelligere liceat; eum denique ordinem ſeruare, quem meditationum ſeries obtulit!

§. VIII,

§. VIII. Princeps dirigere debet actiones ſubditorum, vt vbique tranquillitas Reipubl. & harmonia inter ciues, ac ſimul affluentia opum neceſſariarum conſeruetur, quod plerique Politices Doctores innuunt, quando duplicem faciunt conſtitutæ Reipubl. finem: ἐυδαιμονίαν & ἀυτάρκειαν. Quemadmodum vero de ſecuritate ab inſultibus hoſtilibus exterorum dicendi hic locus non eſt; ita tranquillitatis internæ promouendæ non aptius eſt remedium, quam conſeruatio æqualitatis inter ſubditos, quousque natura ſocietatis ciuilis inæqualitatem non requirit. Scil. leges publicæ regulariter omnes æqualiter tenere debent & permisſio publica omnibus æqualiter eſt impertienda, nec ſine cauſa conſpicua facile exceptio ſtatuenda. Semper enim indignationem concipiunt ſubditi aduerſus perſonas a iure communi aliquo modo exemtas, niſi qua vident ex ratione officii & ſtatus ipſorum neceſſariam conſequi exemtionem, & hactenus forte priuilegia recte materiis odioſis accenſentur, non quod iuſtum ſit aduerſus priuilegiatos reliquorum odium, ſed quod ſit frequentisſimum. Conf. *Huber. prælect. ad ff. tit. de LL. n. 4. Conring. diſp. de priuileg.* §. 17-24. *ſeqq.* Et huc ſpectant, quæ prolixe diſputat *Knenckel de priuileg. Iur. Ciu. Lib. I, cap. 12. per tot.*

§. IX.

§. IX. Nempe priuilegium vocatur, quoties certa perſona ab obligatione legis generalis vel præcipientis vel prohibentis non ratione legis ita iubente, ſed ex ſpeciali imperantis gratia eximitur, vel in gratiam alicuius reliquis ſubditis certum genus actionum alias publice licitarum, interdicitur vel iniungitur. Pauca exempla naturam reliquorum omnium indicabunt: Si quis a tributis & oneribus publicis conſuetis eximatur; ſi cui permittatur exportatio frumenti alias publice prohibita; ſi monopolium rei neceſſariæ alicui indulgeatur excluſis reliquis, quibus mercatura eius rei promiſcue prius competebat.

§. X. Refert vero priuilegia vel ad libertatem vel ad honorem *Conring. Diſp. de Priuileg. conced. & reuocand.* §. 9. Ad illam pertinere dicit immunitates omnes a tributis, oneribus & collectis vel omnibus vel aliquibus; ad hunc vero eminentiam & dignitatis prærogatiuam. Poſſet etiam dici priuilegia reſpicere *vel honorem* ſeu dignitatis prærogatiuam, *vel lucrum*, quo immunitates a penſitationibus & compendia ex monopoliis idque genus aliis ſpectant; *vel commoditatem viuendi* & exemtionem ab opera laborioſa, v. g. a neceſſitate excubias agendi aliaque munera perſonalia, ex quibus nec di-

gnitas, nec lucrum ſperari poteſt, ſubeundi.

§. XI. Itaque priuilegia tribuunt vel *immunitatem* ab incommodo alias ſuſtinendo, vel *facultatem* commodi percipiendi, quod priuatis percipere non licebat, vel *excluſionem* reliquorum a commodo, quod omnibus in medio poſitum erat. Omnes vero ſpecies iſtæ irregularitatem & ordinis conſueti transgresſionem inuoluunt. Quamobrem etiam vulgo Priuilegia ſtrictæ interpretationis habentur.

§. XII. Non equidem ignoro, Priuilegia diuidi in fauorabilia & odioſa; quorum hæc deſcribuntur: pœnæ conſueta durioris certis perſonis extra ordinem irrogatio, eorumque exemplum in *l. 2. in fin. de his qui ſui vel al. iur.* quæritur. Ita Cicero paſſim priuilegii vocem in malam potius quam bonam partem accipit, vid. quæ allegat loca *Enenckel. de priuil. Iur. Ciuil. L. I. c. 1. n. 2. & 3.* Et hanc diuiſionem agnoſcit *Pagenſteck. ſicilim. ad Lauterb. Manip. 2. p. 141. Enenck. de Priuileg. L. 2. c. 1. n. 6. Pfeffing. Not. ad Vitriar. Ius Publ. L. 3. Tit. 17. §. 64.* Quemadmodum vero Priuilegia odioſa hodie rariſſima ſunt & rarius ipſis Priuilegii nomen tribuitur, ita ad noſtrum inſtitutum non ſpectant.

§. XIII. Deinde alia Priuilegia motu Principis

cipis proprio, alia ad preces ſupplicantis conceduntur. Illa his multo firmiora ſunt, vid. *Enenck. L. I. c. 5. per tot.* quia ſub- & obreptio, nec non importunitas ſupplicantium, quæ ſæpe ſubeſt, tantum fauorem non meretur. Interim & Priuilegia motu proprio conceſſa vitiari, ſi Princeps concedat quod vel non potuit, vel noluit; imprimis ſi vergant in tertii præiudicium, fatetur ipſe *Enenckelius d. l. n. 10. & 12.*

§. XIV. Neque multum ſollicitus ero in explicanda differentia priuilegiorum realium & perſonalium, circa quam plura fortè moneri poſſent; ſed cum nemo quoad ius reuocandi hic aliquam diuerſitatem agnoſcat, neque aliqua ex iuſtis interpretandi regulis aſſeri queat: hic etiam intra limites præſcriptos manere & hanc diuiſionem cum pluribus aliis, quas Enenckel. *de priuileg. L. 2. c. 1.* enumerat, tanquam ad rem præſentem non pertinentes omittere tutiſſimum eſt.

§. XV. Magis huc faciet obſeruaſſe differentias (1.) priuilegii & beneficii. Priuilegium vocant, quod cum præiudicio aliorum ſubditorum coniunctum eſt: Beneficium quod ſoli concedenti præiudicat. Vbi facile largior, ſi Princeps alicui caſtrum, vel prædium, vel annuam penſionem ex bonis patri-

monialibus vel fiſcalibus donet, id beneficium eſſe, non priuilegium; quo ſenſu feuda & ſtipendia Academica ſtylo recepto beneficia, nullibi vero priuilegia vocantur. Sed quid ſi Princeps certas perſonas ab onere vectigalium vel penſionis pro conductu von zahlung des Zolles und Geleites excipiat? priuilegium vocatur magis quam beneficium, licet reditus iſti non vſibus Reipubl. ſed patrimonio Principis cedant, licet etiam reliquis ſubditis ex hac immunitate nullum onus accreſcat. Forte itaque melius beneficium dicitur, quando Princeps de ſuo aliquid *donat*, priuilegium vero, quando alicui immunitatem ab oneribus conſuetis, vel facultatem agendi quod publice non licet, vel ius excludendi alios a negotio promiſcue licito tribuit. Alias inter priuilegium & beneficium differentias explicat *Enenckel de priuil. iur. Civ. L. I. c.2. n.5. ſeqq.* Monemus vero non de beneficiis ſed de priuilegiis nobis hoc loco ſermonem eſſe.

§. XVI. (2.) Priuilegii & Iuris ſingularis: illud ſingulis indiuiduis (etiam moralibus, v. g. collegio, vniuerſitati &c. Conring. *Diſſ. de Priuil. c. 1. n. 10. 11.*) hoc certo generi perſonarum vel rerum tribuitur. Ita immunitas ſingularis vel ius eximium certæ duntaxat perſonæ vel rei conceſſum ſi ad perſonas vel

res

res eiusdem generis alias non extenditur, appellatur priuilegium, *a priuo* i. e. *ſingulo* dictum; exempla vero iuris fœminarum, pupillorum, minorum, militum, Doctorum, Nobilium, item beneficium competentiæ, prærogatiua dotis, piæ cauſæ &c. magis ad ius ſingulare ſpectare dicitur, quia non per ſingulas perſonas vel res noua conceſſione opus eſt. Conf. *Ziegl. de Iurib. Maieſt. L. I. c. 12. §. 1. 2. 3. 4.* Et hanc differentiam a Romanis diligenter obſeruatam fuiſſe, ſed a modernis reſpui notat *Enenckel de priuil. L. I. c. 1. n. 4. 5. 6.* Sed nec opus erit vt huic controuerſiæ immiſceamur, cum ius ſingulare iisdem ex cauſis, quibus priuilegium ſtricte dictum, reuocari poſſit.

§. XVII. (3.) Priuilegii & interpretationis reſtrictiuæ. Hæc innuit, ſubiecta quædam in legis diſpoſitione non eſſe comprehenſa. Illud vero perſonam ſub lege omnino comprehenſam præſupponit; quam differentiam non ſatis obſeruaſſe videtur *Enenckel. de priuil. L. I. c. 3. n. 23. 26. 27.* Et ita priuilegium ab interpretatione reſtrictiua eodem modo differt ac diſpenſatio; a diſpenſatione vero differt priuilegium, quod illa actum vnicum, hoc actus plures vnius generis reſpiciat: ita v. g. qui ex diſpenſatione amitæ filiam in thorum recepit, non gaudet

priuilegio ducendi perſonas gradus ſecundi; neque poſt eius obitum ducere poteſt conſobrinam niſi noua diſpenſatione impetrata. Denique notandum, omne priuilegium venire ex gratia Principis, ſiue gratis concedatur, ſiue titulo oneroſo quæratur. Quod non ſolum vulgaris doctrina velle videtur, quando priuilegiorum diuiſionem in gratuita & conuentionalia (quæ iterum in remuneratoria & pecunia redemta ſubdiuiduntur, *Conring. Diſſ. de priuileg. conced.* §. 14.) pro vera diuiſione habet, ſed & nos *infra* probatum dabimus.

§. XVIII. Quæ de variis finiendi priuilegia modis afferuntur & diligenter enumerantur ab *Enenckel. de Priuil. Iur. Ciuil. Lib. 3. c. 1.* (qui *ibid. n. 3.* ex Felino aſſerit, tot eſſe circa hanc doctrinam opiniones, quot capita) atque ab eodem per integrum *lib. 3.* tractantur, tanquam a re præſente aliena transmittimus, diſpecturi tantum de reuocatione concedentis. Neque ſeparatim agemus de ſuſpenſione priuilegiorum; nam ob quas cauſas plane reuocari poſſunt, ob eas poſſunt ad tempus ſuſpendi; quin plures caſus ad ſuſpenſionem quam ad reuocationem ſufficiunt.

§. XIX. Nequis vero hic plus minusue opinioni noſtræ tribuat, ſeparandæ ſunt aſ-

ſer-

ſertiones diuerſæ & multum ab inuicem diſcrepantes: I. *Quædam* (ſeu certi generis) priuilegia *interdum* a Principe reuocari poſſunt. II. *Quædam* Priuilegia a Principe *ſemper* poſſunt reuocari. III. *Omnia* (ſiue cuiuscunque generis) priuilegia *ſemper* poſſunt reuocari. IV. *Omnia* priuilegia *aliquando* recte reuocantur. Tertiam quæſtionem qui affirmat, nullam reliquarum negare poterit; qui vero primam concedit, nullam reliquarum propterea affirmat. Cæterum conceſſa ſecunda vel quarta, etiam prima concedenda eſt. Secunda vero quæſtio quartam, quarta item ſecundam non comprehendit.

§. XX. Omnes has quæſtiones qui neget, neminem hucusque deprehendo; eſſe vero huius ſententiæ aſſeclas monet eorumque argumenta recitat & expendit *Conring. Diſſ. de Priuil. conced.* §. *52-55.* & §. *68--71.* Ac profecto creditu difficile eſt, adeo præiudicio autoritatis vel præcipitantiæ in transuerſum rapi homines, vt omnia Principis iura euertere præſumant, & Maieſtati nonniſi nomen inane relinquant. Taceo ineptam contradictionem ex ipſorum hypotheſi promanantem: Princeps poteſt priuilegia concedere, eoque *leges mutare*; omnis enim Priuilegii conceſſio eſt mutatio iuris communis, *Barbo*

Theſ. axiom. lib. XIV. c. 105. ax. 24. Non vero poteſt *mutare priuilegia*, quæ ſpecies legum ſunt, nec tantum, ac ius commune, fauorem mereri vulgo creduntur, neque ex vero merentur. *Barboſ. Theſ axiom. lib. XIV. c. 105. ax. 18.* Vel enim facultatem Ius mutandi concedunt Imperanti, vel negant; ſi concedunt, neceſſario concedunt priuilegiorum reuocationem; ſi negant, priuilegiorum etiam conceſſionem & validitatem omnem negabunt.

§. XXI. Videbimus ergo reliquorum opiniones: vbi primæ ſententiæ ſupra repræſentatæ patronus allegatur *Andr. Rauchbar. l. 2. q. 11.* priuilegia gratuita (nam conuentionalia & remuneratoria cum communi Doctorum Schola pro irreuocabilibus habet) ſine cauſa reuocari non poſſe aſſerens, quia etiam talis priuilegii collatio vim habeat donationis, & donatio inter modos acquirendi referatur, vt adeo Princeps ius ex tali priuilegio acquiſitum auferre non poſſit. Cui ſententiæ ſubſcribit *Ziegl. de Iurib. maieſt. l. I. c. 12. n. 13.* quia & alias in contractibus Principes Priuatorum iure vtuntur. add. *Carpz. P. 1. deciſ. 87. n. 16. Enenckel de priuil. iur. ciuil. l. 3. c. 7. per tot.*

§. XXII. Secunda ſententia plerisq; probatur; ſcil. priuilegia gratuita pro lubitu Principis reuocari poſſe, ſiue cauſa adſit

ea reuocandi, ſiue non. Cuius aſſeclas plurimos enumerant *Zieglerus d. l. §. 12. Rauchbar. d. l. n. 20.--26.* & alii. Quia hæc priuilegia ſola Principis voluntate nitantur, quæ mutari pro lubitu poſſit.

§. XXIII. Tertiæ ſententiæ fauet *Hobbes. Elem. Philoſ. de Ciue c. 6. §. 13. 14. 15.* & paſſim. item *in Leuiath. c. 18. p. m. 88.* quibus tamen adde *pag. 106.* Quia ſumma poteſtas ſubditis obligari non poteſt, cum ſingulorum voluntatem complectatur, nec quicquam proprium ciuium ſit, niſi qua ſummus imperans velit. add. *Bodin. de Republ. l. 1, c. 8.* aliique *Carpzouio P. 1. Dec. 87. n. 1. & 2.* allegati; quia priuilegiorum ſubditis conceſſorum reuocatio a iurisdictione dependet, quæ Principi plena & illibata manere debet. Plures pro hac ſententia rationes affert & expendit *Conring. Diſp. de Priuileg. conced. n. 41-51. item n. 57-67.*

§. XXIV. Quartam deniq; ſententiam ſcil. omnia priuilegia exigente vtilitate publica reuocari poſſe, propugnant Perez. *in Cod. de Præpoſ. agent. in reb. n. 8. & de excuſat. muner. n. 15.* cui ſuffragatur *Ziegl. de Iur. Maieſt. l. 1. c. 12. n. 13,* Pufend. *l. 8. c. 10. §. 9.* & huc refertur *Grot. de Iur.* B. & P. *l. 2. c. 14. §. 13.* quamuis de beneficiis potius & de priuilegiis gratuitis agat. Magis huc faciunt *Teſmar.*

ſmar. ad Grot. d, l. & *Henniges in obſeruat. ibid.* imprimis vero *Enenckel. de Priuileg. Iur. Ciu. l. 3. c. 2. n. 7. 8. c. 6. n. 44. ſeqq. c. 8. n. 45. & alibi paſſim.* Eique ſententiæ & nos ſubſcribimus: nempe Priuilegia ſiue gratuita, ſiue remuneratoria, ſiue ære redemta, & quibuscunque fidei firmamentis munita reuocari a concedente poſſe, ſi vtilitatem publicam id exigere videat.

§. XXV. Vtilitas vero publica annullationem Priuilegii vel ſtatim & ſemper exigit, vel aliquando demum & ex poſtfacto. Illud fit, ſi priuilegii natura officio Principis & obligationi ſubditorum, qualis ad bene eſſe Reipubl. requiritur, per ſe contraria ſit. Talia priuilegia inualida eſſe & quamprimum tollenda quilibet, credo, concedit. V. g. ſi ciui alicui immunitas ab omni pœna humana ratione futurorum delictorum tribuatur; ſi priuato, quamdiu in Principis territorio degit, concedatur facultas militem pro lubitu conſcribendi fœdera cum Rebuspublicis exteris ineundi, ius ſuum vi & autoritate priuata perſequendi; &c. Si monopolium frumenti aliarumque rerum ad ciuium ſuſtentationem pertinentium ſine pretii determinatione permittatur. Alia exempla vid. apud *Teſmar. ad Grot. L. 2. c. 14. §. 13. Dn.*

Brun-

Brunnemann. Diſp. inaug. de Iure Principis circa rationes ciuitatum. Hal. 1699. cap. 2. n. 42. ſeqq. Conring. dict. Diſp. de priuileg. §. 74. ſeqq. Enenckel. de priuileg. Iur. Ciuil. L. 1. c. 6. n. 18. confer. *L. 16. C. de SS. Eccleſ. Auth. nauigia. C. de furt.*

§. XXVI. Idem vero dicendum de Priuilegiis quæ tempore conceſſionis Bono publico nihil detrahunt, ſed poſtea cum ſalute publica conſiſtere vlterius non poſſunt, v. g. monopolium auri & argenti textilis, poſtquam legibus ſumtuariis ob luxum creſcentem fabricatio & venditio eius plane interdicitur, monopolium mercis e longinquo petitæ, poſtquam ea domi reperiri vel fabricari cœpit; immunitas a metatis & milite in vrbem recipiendo, poſtquam bellum & diſcordiæ inteſtinæ aliud poſtulant, &c. Conf. *Conring. Diſp. de priuileg. §. 33. ſeq.* Hiſce & ſimilibus caſibus recte vel ſuſpendi, vel pro ratione circumſtantiarum plane reuocari Priuilegia poſſe aſſerimus. Et huc pertinet, quod temporum diuerſitas & mutatio ad modos reuocandi priuilegia ab omnibus referatur. *Enenkel. de* P*riuil. L. 3. c. 1. n. 4. Conring. dict. Diſput. §. 73. ſeqq.*

§. XXVII. Bene, inquis, ſi ſalutem publicam id requirere certum ſit; at quid ſi de eo non conſtet? Dicam breuibus: Id ex parte ſubditorum præſumendum eſt; & cum

cum ratio ſtatus ſæpe requirat, vt arcana ſint Principum conſilia, qua fronte prætendere poterunt ſubditi, vt ſingulis ad oculum demonſtretur? & quomodo iudicabunt de re ad ipſorum cognitionem non pertinente? Inde alia enaſcitur Propoſitio: Subditi nunquam poſſunt reſiſtere reuocationi Priuilegiorum a Principe factæ, licet eam e re Ciuitatis eſſe non putent. Niſi per leges fundamentales hoc ſibi ius expreſſe quæſiuerint. Sed de his omnibus paulo diſtinctius videndum eſt.

OBSERVATIO XVI.

PRINCIPEM OMNIA PRIVILEGIA REVOCARE POSSE, SI VTILITAS PVBLICA POSTVLET.

SVMMARIA.

Fundamenta aſſertionis ex relatione Principis & ſubditorum. 1. *Princeps obligatur legibus diuinis, non humanis*, §. I. *quodſi tamen leges diuinas violet, non poteſt coerceri a ſubditis.* §. II. 2. *Lex de promiſſis ſeruandis non magis Iuris Naturalis eſt, quam Lex de tuenda ſalute publica.* §. III. 3. *Salus populi ſuprema lex eſto.* §. IV. 4. *Per ſalutem populi intelligitur totius Reipublicæ, non vniuerſitatum minorum.* §. V. 5. *Saluti publicæ*

ce-

cedere debet ſalus priuatorum. §. VI. *6. Subditi igitur iniuſte poſtulant conſeruationem priuilegii ſaluti publicæ repugnantis.* §. VII. 7. *De ſalute publica iudicat ſolus Princeps.* (*Nihil ineptius, quam lex cum prologo*) §. IIX. *Nec obſtat, quod magiſtratus etiam ſolliciti de ſalute publica eſſe iubeantur.* §. IX. *IureConſultorum & Politicorum an ſit, iudicare de vtilitate publica.* §. X. 8. *Miniſtri ſtatus etiam voluntatem principis irritam reddere nequeunt.* §. XI. *Ergo reuocare poteſt princeps omnia priuilegia, ſi publica vtilitas poſtulet.* §. XII. *An ſemper expediat Principi & Reipublicæ reuocare priuilegia?* §. XIII. *Fundamenta aſſertionis ex conſideratione priuilegiorum.* 1. *Omne Priuilegium proprie dictum venit ex gratia Principis. Probatur de Priuilegiis gratuitis.* §. XIV. *item de remuneratoriis: hæc cum donatione remuneratoria non iuſte comparari.* §. XV. *denique de priuilegiis titulo oneroſo quæſitis.* §. XVI. *Differentia inter contractus priuatorum & contractum Principis cum ſubditis.* §. XVII. *Illuſtrantur dict a loco quodam Vitriarii.* §. XIIX. *Reuocato priuilegio oneroſo indemnitatem a reuocante præſtandam eſſe.* §. XIX. *Huc non pertinere priuilegia extraneis conceſſa.* §. XX. 2. *Gratia Principis non poteſt præualere Eiusdem obligationi.* §. XXI. 3. *Omni itaque priuilegio ineſt tacita exceptio, niſi æquitas & vtilitas publica aliud exegerit.* §. XXII. 4. *Princeps exiſtente tali cau-*

ſa

ſa, non ſolum poteſt ſed & debet reuocare, quicquid ante iuſſit vel permiſit. §. XXIII.

§. I.

1. PRinceps obligatur Legibus Diuinis Naturalibus & Poſitiuis vniuerſalibus, non vero humanis. Humanis obligari non poteſt, quia nullius hominis imperio ſubiicitur; add. ſupr. obſ. I. §. 3. & 4. vnde has leges in totum vel pro parte mutare, reſtringere, ampliare, vim earum ſuſpendere, diſpenſare, pœnam mitigare vel remittere, quin & priuilegia aduerſus eas concedere poteſt. Diuinis vero legibus ſupra dictis obſtrictus eſt Princeps, quia & quamdiu homo eſt.

§. II. Sed caute hic diſcernenda obligatio a jure ſatisfactionem remediis coactiuis extorquendi; Princeps DEO obligatur, & vbi contra officium peccauerit, a iudicio & pœna Numinis immunis non eſt. Deinde Princeps obligatur ſubditis; ſed hi ad pœnam ipſum vocare non poſſunt, nec, numquid recte officio functus ſit, autoritate Iudiciali cognoſcere, nec priuatim in Eius intentionem & facta inquirere; vnde ius ſubditorum hac parte imperfectum eſſe dicimus; Non quaſi Principis obligatio perfecta non eſſet, eſt enim omnino: ſed quia ſubditis

tis nulla cognitio adeoq; nec coactio, (prout ſequentia oſtendent) tribui poteſt; & quia pietas ſubditorum iubet optima quæque de principe ſuo præſumere. Imo licet omnes circumſtantiæ contrarium oſtendant, tolerare tamen potius ſubditorum eſt, quod tolerari poteſt, quam manus perduelles patriæ Patri opponere. Et his obſeruatis non eſt, cur iis, quæ ſatis prolixe ab Enenkelio *de Privileg. Iur Civ. Lib. I. c. 8.* proponuntur, immoremur.

§. III. 2. Lex de promiſſis ſeruandis non magis Iuris Naturalis eſt, quam Lex de tuenda ſalute publica. Quippe recte de iis tantum paciſcimur, quæ noſtræ ſubſunt poteſtati & aliis Iuris præceptis non aduerſantur; quin & ſi, quod promiſi, poſtea iniuſtum eſſe cœperit, ad implementum pacti Iuri Naturæ contrarii eodem Iure obligari dici non poſſumus. Lex itaque de pactis ſeruandis tum demum Iuris Naturalis eſt, ſi pactum ratione cauſæ, ſubiecti, obiecti aliarumque circumſtantiarum iuſtum ſit & legitimum, omnibusque requiſitis inſtructum. Pacta ſunt Iuris noſtri, non alieni, translatio; vtilitas vero publica ſpectat ad adminiſtrationem & officium, non ad ea Principis Iura, quibus renunciare liceat. Princeps itaque ni-

nihil in publicum detrimentum admittere nec promittere poteſt.

§. IV. 3. Salus Populi ſuprema Lex eſto. *Salutem* voco tranquillitatem & honeſte commodeque viuendi facultatem, quam ita Apoſtolus exprimit *1. Tim. II. v. 2. vt tranquillam & quietam vitam transigamus in omni pietate & honeſtate.* Huc itaque non ſemper pertinet amplificatio regnorum; & tantum abeſt, vt bella iniuſta, rapinas, cædes, non niſi amplificandi territorii gratia ſuſceptas pro mediis ſalutem publicam promovendi habeamus, vt potius hiſce talibus ſalutem publicam deſtrui variis rationibus & exemplis certisſime ſimus perſuaſi. *Populi* ſalus dicitur, quæ totam Rempublicam, reſpicit, non ſubditum vnum alterumue, non vnam alteramue vniverſitatem. *vid.* §. *ſeqq. Supremam* legem intelligo, non quæ ſuperior eſt lege naturæ & diuina poſitiua vniuerſali, (eſt enim hæc lex concluſio Iuris naturalis) ſed quæ norma ſuprema & communis actionum principis (quatenus agit vt princeps) & ſubditorum, item omnium legum ciuilium eſſe debet. Sub his reſtrictionibus quilibet concedet veritatem huius aſſerti, qui conſiderauerit, ſalutem publicam, tanquam vnicum ſalutis priuatæ medium, primam cauſam fuiſſe, cur

ſo

ſocietas ciuilis coaleſceret. vid. *Pufend. de Iur. Nat. & Gent. L. VII. c.9. §.3. ſeqq. Thomaſ. Inſtitut. Iurisprud. Div. L. III. c.6. n.4. - 28. & n. 163. ſeqq. Huber. de Iure Ciuitat. L. 2. Sect. 2. c.1.*

§. V. 4. Per ſalutem Populi non intelligitur ſalus vnius vel alterius vniverſitatis, ſed totius Reipublicæ. Vniverſitates enim perinde ac ſinguli ſubditi membra ſunt ciuitatis, & iure priuatorum vtuntur, quoties in oppoſitione ad totam Reinpublicam conſiderantur. Non obſtat, quod Vniuerſitas ad vtilitatem communem ſociata dicatur, adeoque priuilegia ipſius vtilitatem reſpicientia ad vtilitatem publicam referenda videantur, qualia reuocari non debent. Quis enim non videt, vocem *communem* duplicem hic ſenſum recipere: pro communi *ſociorum* & pro *publico* bono. Illud vero huic ſubordinatum eſſe debere certum eſt, perinde ac ipſa vniuerſitas Reipublicæ ſubordinatur: alias daretur ciuitas in ciuitate. add. P*ufend. de I. N. & G. lib. VII. c. 2, §. 22. Huber. de Iur. Ciuitat. lib. 2. ſect. 3. c.* 1. *n. 14. & 31.* quin & ius Romanum agnoſcit, ciuitates priuatorum loco haberi, quoties in relatione ad Rempubl. conſiderantur. *l. 16. ff. de V. S.*

§. VI. 5. Saluti publicæ cedere debet

ſalus priuatorum. Optime hac de re philoſophatur *B. a Pufend. de Iur. Nat. & Gent. Lib. VIII. c. 2. §. 1. 4. 6. & cap. 5. §. 7. & lib. VII. c. 2. paſſim.* Tota res eo redit: Singuli homines a ſingulis in ſtatu naturali ſatis ſecuri non ſunt. Itaque coeundum erat in cœtus maiores. Sed & cœtus maiores ſecuritati præſtandæ non ſufficiebant, ſi vel ob diſcordias inteſtinas vel ob periculum ab exteris imminens breui iterum diffluerent. Itaque perfecte vniendi erant. Vnio perfecta non obtinetur, niſi quoties publice quid ſuſcipiendum eſt, conformes ſint omnium voluntates. Conformitas iſta in cœtu numeroſo nunquam expectanda eſt, ob varietatem ingeniorum, inclinationum & rationum domeſticarum. De alio itaque medio diſpiciendum erat, nimirum vt voluntas vnius vel plurium pro voluntate omnium habeatur. Reliquorum itaque diſſenſus non attenditur, & proinde apud ſubditos nulla curarum publicarum pars remanet in Republ. monarchica, nec apud plebem in Ariſtocratia, nec apud ſingulos in Democratia. Salua respubl. eſſe non poteſt, niſi ſingula eius membra omnibus viribus vtantur ad publicam ſecuritatem & tranquillitatem tuendam. Quando autem

&

& quomodo tuenda ſit, non ſubditorum, ſed principis arbitrium eſt. Neque hoc munus ſubterfugere ciues poſſunt ob periculum ſalutis priuatæ; quin vitam & bona periculo eiusmodi exponere debent; periculum enim publicum alio modo declinari nequit. At, niſi declinaretur, peſſum iret omnis ſalus priuatorum. Nam defenſione ſalutis publicæ ſemper obtinetur ſalus priuatorum; at præhabita ſalute huius vel illius priuati non ſemper defenditur ſalus publica. Præſtat itaque nonnulla periculo quod repelli poſſe ſperatur, exponere, quam omnia certam in pernicem dare. Eaque vera ſunt non ſolum in periculo præſente & notorio, ſed & in futuro, quod ſæpe ſubditos latet. Quin & extra caſum periculi, ſi eximia Reipubl. vtilitas ſperetur, qualis non poteſt non in ſingnlos deriuari. At vtilitas futura, quin & præſens plerumq; latet ſubditos & latere debet, quia potiſſimum rationis ſtatus fundamentum eſt, vt arcana ſint media, quibus defenditur & felicitas publica promouetur. Subditorum itaque eſt credere, quæ a Principe fiunt, fieri pro ſalute publica, eamque vnicum eſſe ſalutis priuatæ fundamentum. Adeoque & ſubditorum eſt poſthabita rerum priuatarum cura, omnibus viribus ad promouendam ſa-

ſalutem publicam conniti. Id vero facere non creduntur niſi iuſſibus Imperantis promte & pro viribus obſequantur. Add. quæ prolixe diſſerit *Enenckel. de Priuileg. Iur. Civ. lib. 3. c. 6. n. 4.-11.*

§. VII. 6. Subditi itaque iniuſte poſtulant, vt priuilegio, cui cum ſalute publica iam non ſatis conuenit, inhæreatur. Patet huius aſſerti veritas ex theſibus antecedentibus, & prolixe confirmatur ab *Enenckelio l. I. c. 6. §. 11 - 18.*

§. VIII. 7. De ſalute vero huius vel illius Reipublicæ iudicare nec ſingulorum ſubditorum eſt, nec vniuerſitatum nec Iure Conſultorum, ſed regulariter ſolius Principis eorumque, quibus forte hanc curam demandauit. Huc referenda, quæ paulo ante §. *6.* diximus. Scil hæc eſt potiſſima ſubditorum & Principis differentia, quod illi fruantur ſalute communi, hic eam tueatur; Hic regat & determinet, illi exequantur. Implicat itaque ſubditum eſſe & nihilominus negotia publica ex proprio magis quam Imperantis arbitrio peragere, vel detrectare obſequium, vbi rationes actus præcepti ſingulis non probentur; ſub hac enim exceptione obedire ipſam obſequii eſſentiam tollit, & quia ſubditorum omnium con-

conſenſus ſperari non poteſt, totam vnionem & formam ciuitatis diſſoluit. Vnde *Enenckel. de priuileg. L. 1. c. 9. n. 32.* monet: Principem non obligari, vt cauſam impulſiuam priuilegio inſerat, neque huius omiſſione priuilegium vitiari. Imo prudentius quandoque agere Principem, ſi rationem non exprimat. conf. *Enenck. l. 3. c. 4. n. 5. ſeqq.* & omnino *l. 3. c. 9. n. 4-10.* eamque in rem *Seneca Epiſt. 94*: Non probo, quod Platonis le-„ gibus adiecta principia ſunt. Legem enim,„ breuem eſſe oportet, quo facilius ab imperi-„ tis teneatur. Velut emiſſa diuinitus vox „ ſit. Iubeat, non diſputet. Nihil videtur mi-„ hi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum „ prologo. „

§. IX. Vniuerſitates vel potius earum Rectores ſeu magiſtratus ſolliciti de ſalute publica eſſe iubentur, verum hoc officium intra vniuerſitatis iſtius cancellos coercetur, & fere quotidianas neceſſitates reſpicit. Ad alias vniuerſitates nunquam, nedum ad integram rempublicam extendendum eſt. Deinde hoc officium, quantum quantum ſit, totum a Principis voluntate dependet, hæc omnis ſubordinati regiminis anima eſt & forma, quæ *eſſe* & *operari* tribuit, quaque ſublata, corpus vniuerſitatis diffluit & euaneſcit.

§. X. Iure Conſulti quid iuſtum ſit, diſpiciunt: at norunt, præter leges naturales & diuinas vniuerſales non aliam in Republica iuſti & iniuſti normam eſſe, niſi Principis voluntatem. Norunt, ſe Iuris, non facti Conſultos vocari, quæſtionem vero de mediis vtilitatem huius vel illius reipublicæ ſeruantibus & promouentibus facti magis eſſe, quam Iuris. Politici quidem, quid vtile ſit, conſiderant, ſed plerumque abſtrahendo ab indiuiduis rerumpublicarum; quando certæ reipublicæ conſilia (ſæpe nec expetita, nec ad rem facientia) ſuppeditant, ea tamen, vti plerumque fallunt, ita nec Principem vinculis obligationis conſtringunt, nec ſubditos iisdem eximunt.

§. XI. 8. Sed & ii, quibus partem curarum pro bono publico gerendarum demandauit Princeps, non niſi conſilio intercedunt; voluntatem Principis, ſi ſeria, ſi certa & deliberata ſit, nec irritam reddunt, nec quicquam contra eandem ſtatuunt. Quippe miniſtri ſunt & conſiliarii; at conſilium nunquam obligat eum, cui fertur; obligat vero autorem, ſi fraudulenter egerit. Interim vix dabitur caſus Principis contra ſententiam omnium conſilia-

rio-

riorum aliquid ſtatuentis. Sed de eo iam non quæritur.

§. XII. Itaque contra vtilitatem publicam priuatis concedi nihil poteſt, ſed ipſo iure nullum & irritum eſt, quia vtilitas publica Iure Naturæ iubente Principi iniungitur; & fruſtra quærimus de duratione priuilegii, quod, ſimul ac publicæ vtilitati obeſſe incipit, ipſo iure expirat. Interim cum de hac circumſtantia ſubditis non conſtet, declaratio Imperantis expectanda in eaque acquieſcendum eſt. add. *Enenckel. Lib. I. cap. 4. n. 30.*

§. XIII. Alia denique quæſtio eſt, an Principi & reipubl. ſemper expediat priuilegia reuocare? de qua diſſerit *Conring. Diſp. de priuileg. recte conced. & reuocand. §. 80.-89.* vbi tria incommoda & quatuor eorum remedia proponit; incommoda ſunt: (1) quod ſubditi ex reuocatione priuilegii vel imprudentiam vel malitiam Principis præſumant. (Neutrum vero; nam non omnes ſubditi, ſed ſolus priuilegiatus ſiniſtre cogitabit; neque hic recte; nam caſus ſuperueniens ab imprudentiæ & malitiæ ſuſpicione Principem liberabit, vt alibi diximus; & boni ciuis eſt nihil ſiniſtri de Principe ſuo præſumere) (2) infeſtas maleuolorum voculas reuocatione priuilegiorum prouocari. (Reſpondet

ipſe Conringius; vanas populi voces audiendas non eſſe. Nondum fuit Princeps nec erit, cuius regimen omnibus & ſingulis ſubditis probetur) (3)frequenter hominibus imponere, ſpecie recti, prædandi cupidinem (hoc Princeps pro conſcientiæ ratione cauere debet, ſed ſubditorum non eſt tale quid ſuſpicari) Huc vsque incommoda; ſequuntur remedia: (1) leue damnum, quod ex priuilegio naſci videtur, potius degluttiendum eſſe, quam Priuilegium reſcindendum. (Concedimus, præſertim ſi damnum alio modo haud difficulrer penſari poſſit) (2) Reuocationem a ſucceſſore potius quam a concedente inſtituendam & (3) Lege publica ſucceſſori quaſi iniungendam, (bene, ſi res moram ferat, quod non niſi Princeps diiudicat) (4) vt non, niſi cauſa in Iudicio haud ſuſpecto cognita & actis in Collegium ICtorum transmiſſis reuocatio inſtituatur. (Conſilium hoc eſſe, non Legem, memineris, nam ſubditorum non eſt de Principis actionibus iudicium ferre, niſi ipſe id requirat. At quid ſi ratio arcana ſit, quam propalare non expedit? Præferenda ſalus publica captationi auræ popularis.)

§. XIV. Vidimus hactenus fundamenta aſſertionis noſtræ ex relatione Principis & ſubditorum ad ſe inuicem; videbimus iam

ea

ea quæ ex priuilegiorũ conſideratione reſultant: Scil. I. omne Priuilegium proprie dictum venit ex gratia Principis. Nemo hæc, puto, negabit, quantum ad priuilegia *gratuita*; niſi forte donationem ſubeſſe putet, quæ ſemel conſummata reuocari non poſſit, ſed ex poſt facto neceſſitatis fiat, licet ab initio voluntatis fuerit. Verum iis ſatisfieri facile poteſt; Siquidem (1) non omnis donatio ita firma eſt, quin reuocationi aliquando fiat obnoxia, v. g. ob ingratitudinem donatarii *l. fin. C. de reuoc. and. donat.* & (ne obiiciatur quæſtionem hic eſſe de priuilegio ſubditis in fide & obſequio perſiſtentibus conceſſo) ob ſuperuenientes liberos, *l. 8. C. eod.* cuius legis non alia profecto ratio eſt, quam quod res in eum ſtatum deuenerit, vnde probabiliter non incepiſſet. Nec eſt, quod dicas, textum illum de caſu ſpeciali donationis a patrono in libertum collatæ loqui, nec temere ad quoſuis alios extendi poſſe; fac enim ita eſſe: an vero potius erit ius patroni in libertos, quam Principis in ſubditos? Deinde, ne putes, me Iura Principis in ſubditos ex legibus Romanis probare, infero ſaltem: Si Princeps legem de donatione ob mutatam rerum faciem a ſubditis reuocanda recte, neque inuito Iure Naturæ ferre potuit,

tuit, quidni donationem ipſe reuocare poſſit? (2) negamus hic donationem in ſenſu ſpeciali & eminentiori acceptam ſubeſſe; cuiusnam enim rei dominium hic transfertur? &, ſi omnis gratuita conceſſio ad donationem ſpectat, cur commodatum, precarium &c. non ſunt donationes? non hic actus momentaneus eſt, ſed qui longi temporis tractum requirit, conceſſio nempe iuris extraordinarii exercendi, vel obligationi perpetuæ ad temp9 vel in perpetuum ſe ſubtrahendi. Propius ergo argumentum a commodato necti poſſe videtur; Commodatum vero, licet nondum elapſo tempore, ad quod contractum eſt, revocari poteſt ob cauſam ſuperuenientem, inopinatam, quia & locatio propterea recte reuocatur. *l. 3. C. locat.*

§. XV. Priuilegia remuneratoria, licet non ſoli gratiæ & liberalitati, ſed meritis tribuenda, adeoque donationi remuneratoriæ æquiparanda videantur, qualis nec actis inſinuanda, *Brunnem. Comm. ad l. 34. C. de donat. n. 33. Tabor. in addit. ad Meier. Colleg. Iur. Argent. de Donat. §. 14. n. X.* nec reuocari poteſt, *Brunnem. ad l. 8. C. de reuocand. donat. n. 15.* & *ad l. vlt. C. eod. n. 11.* & rem alienam donans hoc caſu locupletior factus dicitur, *Pufend. de Iur. Nat. & Gent. L. 4. c. 13. §. 11.* & euictio præſtan-

ſtanda, *l.27. ff. de donat.* quæ in ſimplici donatione non præſtatur, *l.62. de ædil. edict.* Intercedit tamen inter donationem remuneratoriam & priuilegium remuneratorium differentia non vna: Nam vt taceam (1) priuilegia ad donationem non omnino referri poſſe, prout §. *præced.* oſtenſum eſt; alia quoque (2) ratio eſt ciuis de republica meriti, alia priuati, qui priuato beneficium præſtat. Ille iure perfecto obligatur ad extremum conatum omnesque vires in ſalutem publicam impendendas, neque ergo de Republica debitrice gloriari poteſt, ſed ſeipſum forte maiora debuiſſe cogitare debet; At hic imperfecte obſtringitur, vt ea aliis officia præſtet, quæ ſine proprio detrimento præſtari poſſunt, eximia vero beneficia ſæpe ne petere quidem ſalua fronte licet. Quando itaque nos vel noſtra aliorum priuatorum gratia diſcrimini exponimus vel imminuimus, eo maior gratitudo requiritur, quo minus talia a nobis expectare licebat; quippe alios non negligendos, verum nec nobis præferendos lumen rationis oſtendit. (3) qui priuato beneficium exhibet, plerumque a commodi proprii ratione, niſi quod gratitudinem expectet, alienus eſt; certe, ſi ſui ipſius emolumentum ſimul promoueat, haud iniuria ipſi obiicitur, eum non aliorum magis quam ſui

gra-

gratia ſollicitum fuiſſe; niſi res ſuas ſolus æque commode gerere potuerit. At bonus ciuis, dum pro publico laborat bono, ſui ipſius commodum, quippe quod in ſingulos non poteſt non redundare, promouet, cui vt renunciet, ſibique ſoli ſufficiat, nec fieri licet, nec pro hodierna hominum conditione fieri poteſt.

§. XVI. Maximum ſupereſt circa priuilegia oneroſo titulo quæſita dubium, quippe quæ verum contractum conſtituunt, qualis vbi ſemel conſummatus fuerit, reſcindi amplius nequit. Finge enim, me rem vendidiſſe vel permutaſſe, & (quod hic ex abundanti accedit) tradidiſſe vſibus meis paulo poſt maxime neceſſariam futuram; minime licebit eam oblata pretii reſtitutione repetere. Verum & hic ſalua res eſt, & argumentum ab actu tranſeunte ad permanentem ducitur. Non repetitur in priuilegiorum reuocatione quod traditum eſt, ſed quod porro tradendum erat, retinetur, haud ſecus ac in locatione, vbi ante temporis præfiniti decurſum conductor vel ob ſuperuenientem locatoris indigentiam vel rei locatæ reficiendæ neceſſitatem cedere & migrare cogitur, *l. 3. C. locat.* quam diſpoſitionem iniuſtitiæ nemo hucusque accuſauerit. Scil. omnes contractus, quibus Iuris noſtri vſum in aliquem

quem conferimus, intelliguntur rebus ſic ſtantibus.

§. XVII. Deinde non negligenda eximia differentia inter contractus priuatorum & contractum Principis cum ſubditis. Scimus, ius imperfectum, quo proximi indigentiæ ſubuenire obligamur, accedente promiſſo fieri perfectum; at ſcimus hæc dici non poſſe de pactis principum cum ſubditis, quoties non de patrimonio Principis priuato ſed de iuribus reipubl. quæſtio eſt, & quoties non de modo habendi imperium cum populo vniuerſo tractatur, ſed de emolumento in priuatum vel vniuerſitatem aliquam transferendo agitur. Subditi enim ſinguli vel ſingulæ vniuerſitates, quicquid inde acquirunt, non niſi ſub permisſione legis potioris & antiquioris de commodo priuato ſaluti publicæ poſthabendo acquirere poſſunt. Cumque adeo ius perfectum ſubditi non nanciſcantur, & hoc priuilegiorum genus gratiæ Principis tribuendum eſt. add. *Enenkel. de Priuil. L. 3. c. 17. n. 15. 16. 17.*

§. XIIX. Rectisſime hanc in rem philoſophari mihi videtur *Vitriarius Inſt. Iur. Nat. L. 2. c. 14. q. 11.* vbi ad quæſtionem: an Rex cum ſubditis contrahens naturaliter tantum, an etiam ciuiliter obligetur? ita differit: Si „ per obligationem ciuilem intelligamus obli-„

gatio-

gationem , quæ iuri naturæ eſt conueni-,, ens, & quæ approbatur vel comprobatur a ,, iure ciuili, ciuiliter obligatur: Si per obli-,, gationem ciuilem intelligamus obligatio-,, nem, quæ a lege ciuili vim coactiuam acci-,, pit, non obligatur ciuiliter, ne quidem tan-,, quam membrum cœtus; quia licet ſit,, membrum cœtus ſeu ciuitatis; tamen eſt ta-,, le membrum, in quod translatum eſt Ius in-,, tegri, ſeu omnia Iura reliquorum membro-,, rum adeo vt a reliquis vniuerſis obligari,, non poſſit; nec a ſeipſo, quia ſeipſo ſupe-,, rior non eſt; ſed tantum naturaliter, vt ta-,, men ex hac naturali obligatione naſcatur a-,, ctio, ſcil. vt contrahens petere poſſit, &, ſi,, Rex facere velit, id quod conſcientia, ho-,, neſtas & æquitas dictant, etiam cum effe-,, ctu. Et hinc eſt, cur reges ſoleant permit-,, tere, vt conueniantur in propriis tribuna-,, libus, vt ius creditoris declaretur, licet exa-,, ctio ſequi non poſſit, ſi ſponte ſententiæ ſa-,, tisfacere non velint; nam ſubditis cogere,, eum, cui ſunt ſubditi, non licet. ,,

§. XIX. Neque vero negamus, indemnitatem a reuocante hic præſtandam eſſe, quousque reditus ex vſu priuilegii impetrationum impenſis nondum reſpondent; illorum enim compenſationem is, qui priuilegium impetrauit, admittere omnino tenetur, quia

hic

hic de ſola indemnitate quæritur. Quodſi vero reditus ex priuilegio hactenus percepti impenſis maiores ſint, eos lucro priuilegiatorum cedeιe lubens largior.

§. XX. Cæterum, an idem dicendum ſit de extraneis priuilegium titulo oneroſo obtinentibus, non determino, quippe ad ſolos ſubditos quæſtionem præſentem reſtringere lubet & licebit. Itaque nos non tangunt, quæ habet *Vitriar. Inſt. Iur. Nat. & Gent. L. 2. c. 14. q. 17.* Difficilem & periculoſam eſſe „ declarationem, vbi cum exteris agitur, qui „ bona fide contraxerunt, & nullo iure caſus „ reipubl. ferre coguntur; &, ſi contractum „ iam in publicam perniciem vergere, adeo- „ que nullum declarari poſſe (quaſi ſub con- „ ditione factum, ſine qua iuſte fieri nequit) „ dici queat; quis vnquam exterorum certus „ eſſet de ſuo contractu, & quis cum alio re- „ ge vel populo contracturus eſſet? (reſpon- „ deri poterat: quis locationem initurus, vel commodatum, vel donationem accepturus eſſet, cum & hæc aliquando infringantur?) Interim, ſi, quod res eſt, dicendum ſit, vel videntur eiusmodi conceſſiones exteris factæ ad priuilegia proprie talia referri non poſſe, vel extraneos iſtos ſaltem pro ſubditis temporariis habendos eſſe. add. *Enenkel. de*

Pri-

Priuil. Iur. Ciuil. L. 3. c. 8. n. 3. 4. & cap. 17. n. 13. 14. Verum ea altiorem requirunt indaginem & ad rem præſentem non pertinent.

§. XXI. 2. Gratia Principis non poteſt præualere Eiusdem obligationi. Vetus eſt, & verisſimus canon: Fruſtra quæri de voluntate, vbi deficit potentia. Non vero poteſt, ſi boni Principis officio ſatisfacere velit, concedere quicquam vel permittere, quod vel aliquo modo ſaluti publicæ contrariatur. Et perinde inique vrgent ſubditi, vt priuilegio vtilitati publicæ iam aduerſo inhæreatur, ac Princeps idem hoc caſu iniuſte tuetur. Grauisſimum eſt *Boxhornii iudicium Diſquiſitioni Polit. 33. ſubiunctum:* „Priuilegia publica, vti non indulta haberi „debent, cum mutata rerum ac temporum „conditione nocere magis poſſunt, quam „prodeſſe; ita in perpetuo & immoto ipſo„rum vſu non tam prudentia eſt, quam con„tumacia. Omnia rebus ac temporibus „accommodanda ſunt. Vetus ordo in ex„traordinariis rebus oblatus & ad res alias „comparatus, ſi continuo obſeruetur, con„fuſio in republica eſt, non ordo.

§. XXII. Omni itaque priuilegio tacita ineſt exceptio: niſi æquitas & vtilitas publ. aliud exegerit. Ita *Enenckel. de Pri-*

Priuil. Iur. Ciu. L. I. cap. 10. per tot. fines priuilegiorum diligentiſſime enumerans, potiſſimos conſtituit æquitatem & vtilitatem publicam, *d. cap. n. 4. 5. 6. 28. -34.* cui, ſi priuilegia poſt tempus contraria eſſe incipiant, ea recte reuocari docet *Idem L. 3. cap. 19. n. 3.-6.* Conceſſio enim principis eousque intelligitur, quousque poteſtas eius patet, & non vltra. *Enenck. L. 1. c. 4. n. I. 29. 30. & cap. 5. n. 10. 12.* Dicis: deliberari ſatis, an conceſſio priuilegii publico expediat, debebat; Reſp. non ſatis præuidentur etiam a prudente patrefamilias omnes caſus futuri domeſtici, eamque ob rem facultas reſcindendi contractum ſæpe conceditur; qui vero præuideri poſſent omnes caſus futuri Reipubl. imminentes, quippe tanto plures & infinite varii, quo amplior eſt Reipubl. ambitus, quoque frequentior in ſtatu naturali eam turbandi, inuadendi, mutandi, &c. occaſio. Neque caſibus futuris renunciare poteſt Princeps, quod quidem poteſt priuatus; hic enim iuri ſuo, ille alieno commodo Reipubl. cuius quaſi tutor eſt, renunciat. Iuri tertii vero renunciari non poſſe certiſſimum eſt. *Barboſ. Theſaur. Axiom. L. IX. C. 131. ax. 28. & L. XIV. c. 79. ax. 3. d. L. XIV. c. 105. ax. 7.*

§. XXIII. 4. Princeps exiſtente cauſa quæ contrarium vrgeat, non modo

poteſt, ſed & debet reuocare, quicquid antea iuſſit vel permiſit. Patet ex antecedentibus. Scil. Principis officium eſt omnia reipublicæ & ſubditorum negotia dirigere ad ſalutem publicam; Quicquid aduerſus eam fecerit, iuſſerit, conceſſerit, permiſerit, iniuſtum eſt. Notanda tamen & hic qualitas obligationis Principi incumbentis: Cum ſubditorum non ſit in arcana ſtatus & media rempublicam tuendi ſeruandique inquirere, neque an priuilegii conceſſio vel reuocatio vtilitati publicæ refragetur, cognoſcere; nec vrgere, vt conſeruet Princeps, nec vt reuocet priuilegia, poterunt. Adeoque ſi quid iniuſte Princeps fecerit, patienter ferendum eſt, conf. *Enenckel. de Priuileg. l. III. cap. 9. n. 10.* Sed & minime præſumendum; quin credendum potius, quoties priuilegia conceduntur, quoties reuocantur, id fieri ex publicæ ſalutis ratione, quam vbi neglexerit, vel contemſerit Princeps, iuſta Dei, non monſtroſa ſubditorum iudicia experietur. Iniuſte inquam facere poteſt quidem, ſed non præſumitur, & quod iuris hac parte ſubditis competit, imperfectum eſt. Add. *Enenckel. de priuileg. L. 3. c. 6. n. 13. 14. c. 7. n. 12. cap. 9. n. 4.-9.*

OBSER-

OBSERVATIO XVII.
IVS PRINCIPIS REVOCANDI PRIVILEGIA AMPLIATVM ET AB OBIECTIONIBVS LIBERATVM.

SVMMARIA.

AN iuſiurandum iuri Principis obſtet? 1. Iuramentum non eſſe promiſſionem Deo factam, §. I. *quamuis periurium ſit ſeparatum crimen contra Deum.* §. II. *Conſenſus Dd. cum hac hypotheſi eiusque vſus.* §. III. *2. Iuramenta neque producere ſeparatam obligationem erga ſtipulatorem, nec nouam obligationis qualitatem,* §. IV. *3. Iuramenti obiecta eſſe non poſſe actus arbitrio promittentis exemtos. Ergo nec iuſiurandum* P*rincipi obſtare, quo minus vrgente vtilitate publica priuilegia reuocare poſſit.* §. V. *Nec admittendum eſſe diſtinctionem inter illicita naturaliter & ciuiliter.* §. *VI. Quamuis eadem inſuper aſſertioni noſtræ non obſtet* §. VII. *4. Iuramenta promiſſoria eandem interpretationem easdemque conditiones tacitas recipere, quas pacta recipiunt.* §. VIII. *Non tamen debere pronum eſſe* P*rincipem ad reuocanda priuilegia iurata.* §. IX. *Quid obſtent reuocationi priuilegiorum iura Comitiorum prouincialium?* §. X. *Subditos in dubio omne ius, quod ſibi expreſſe non reſeruarunt, in principem transtuliſſe cenſeri.* §. XI. *A iure Comitiorum*

X 2 *pro-*

prouincialium ad ius determinandi Reip. negotia non recte inferri. §. XII. *Poſſe ciues cum futuro Principe paciſci, ne citra ipſorum conſenſum priuilegia concedat vel tollat.* §. XIII. *At niſi pactis expreſſis ius ratihabendi priuilegia ſibi quæſierint, id ipſis tribuendum non eſſe.* §. XIV. *Vbi hoc factum non ſit, per comitia non infringi poſſe reuocationem priuilegiorum a Principe factam.* §. XV. *Doctrinam noſtram de iure Principis non repugnare iurì diuino.* §. XVI. *neque reuelato,* §. XVII. *neque naturali,* §. XVIII. *neque religioni Chriſtianæ.* §. XIX. *Monita de exemplis ex ſacris literis forte adducendis.* §. XX. *Reſpondetur ad obiectiones contra propoſitam ſententiam.* §. XXI. *ad 1. obi. Imperialis maieſtatis proprium non eſſe, auferre conceſſa.* §. XXII. *ad 2. Neminem Principali autoritate circumſcribendum.* §. XXIII. *ad 3. Rem meam nec publico, nec priuato nomine mihi poſſe auferri.* §. XXIV. *ad 4. Fundum nemini per Reſcriptum adimi poſſe.* §. XXV. *ad 5. Dignam eſſe vocem maieſtate regnantis, legibus ſe alligatum profiteri.* §. XXVI. *ad 6. Donationem remuneratoriam renocari nulla ex cauſa poſſe.* §. XXVII. *ad 7. Iuſtum eſſe, Principem legibus obtemperare ſuis* §. XXVIII. *ad 8. Contractus & pacta violare eſſe contra bonos mores &c.* §. XXIX. *ad 9. Principem nihil in alterius iniuriam permittere poſſe* §. XXX. *& ad ſimiles alias,* §. XXXI.

item

item ad autoritates §. XXXII. *Concluditur.* §. XXXIII.

§. I.

SEd annon iuriſiurandi religio Principi obſtat, quominus priuilegia reuocare poſſit? Liceat & hic poſitiones aliquot vel ab omnibus conceſſas vel euidenter probandas præmittere, ex quibus, quid ſentiamus, ſponte fluet & confirmabitur: I. Iuramentum non eſt promiſſio DEo facta. Qui teſtis vocatur, ei nihil promittitur. Finge te ſponſionem vel contractum inire cum Caio, præſentibus Lucio & Decio, atque hos teſtes ab vtroque veſtrum vocari; certe Lucio & Decio hic nihil promittitur, quin propterea teſtes eſſe poſſunt, quia eorum nihil intereſt. Aliam & diuerſam eſſe rationem, quando DEum teſtem inuocamus, hucusque penetrare non potui, niſi quod homines teſtes coram iudice vel arbitro compareant, factum referant, eoque fidem iudici faciant; DEus vero, qui nec viſibilis præſentiæ nobis copiam, nec modis in ſenſus incurrentibus iudici homini fidem facit, ipſe potius ſimul Iudex fiat & temeratæ religionis vindex, vnde Teſtis iuxta ac perfidiæ Vltor provocatur. Perfidia vero illa, quæ in iuramento violato cernitur, non in reſpe-

ctu ad Deum, ſed in reſpectu ad ſtipulantem vel paciſcentem talis eſt. Et quando iuraturi admonentur, ne DEum, qui falli non poteſt, fallere præſumant; non intelligitur deceptio in promisſis, ſed extrema & execranda temeritas, qua peieraturus tremendo & iuſtisſimo numine ad tegenda, & protegenda ſcelera abutitur.

§. II. Nihil itaque iurisiurandi religioni hæc mea hypotheſis detrahit, ſed firmisſime perſuaſus & plane conuictus non atrocius periurio præmeditato crimen eſſe ſtatuo. Quippe in reliquis delictis, quantacunque ſint, (ſi blaſphemiam excipias) delinquens ſenſum DEi, qua poteſt, ex animo eiicit, eoque (licet ſtolido conatu) a Numine ſe abſcondit, certe DEum delicto non implicat; at periurus ſciens volens DEum criminis ſocium & protectorem adſciſcit. Blaſphemia etiam ſæpe præcipiti debetur furori vel inconſideratæ leuitati; at periuria præmeditata, quin & ſubſecutæ iuramenti antea præſtiti violationes deliberato vt plurimum & haud ita turbato animo patrantur. In periurio itaque ſeparatum aduerſus Deum crimen eſt, non vero in iuramento ſeparatum DEo factum promiſſum.

§. III. Quodſi autoritas deſideretur, ſentit nobiscum *Vitriar. in Inſtit. Iur. Nat. & Gent. L. 2. c. 13. quæſt. 12. & 22.* in partes ſuas prouocans

cans *Feldenum ad Grot. L. 2. c. 13. §. 14.* vbi quidem diſerte pro hac opinione nihil; interim non obſcure ex variis Feldeni, *ad d. c. 13.* annotationibus colligere licet, eandem ipſius nobiſcum fuiſſe ſententiam. Poſita vero noſtra hypotheſi opus non eſt, vt quousque DEus promisſionem de re turpi vel nociua ſibi factam acceptaſſe videatur, inquiramus. Adeoque & hic prolixam diſputationem declinamus.

§. IV. Iuramentum itaque non producit ſeparatam erga ſtipulatorem obligationem, nec nouam obligationi ex promiſſo qualitatem ſuperaddit. Iuramentum quaſi fidei ſeruandæ pignus eſt, & eleganter a *Dn. Becman. in Polit. Parall. c. 5. §. 8.* vocatur oppignoratio ſalutis noſtræ. Conf. *Eiusd. Conſpect. Doctrin. Polit. p. m. 28. c. 6.* At pignus non legitimam facit obligationem; quæ legibus contrariatur; non ſuſtinet, quæ corruit & expirat; non intendit obligationem, ſed ſecurum reddit creditorem de executione; non facit ad veritatem, ſed ad bonitatem actionis. Non maior iuramenti vis eſt, ſi leges naturæ & diuinas poſitiuas reſpicias.

§. V. 3. Iuramentum pro obiecto habere non poteſt actus arbitrio pro-

mittentis exemtos. Vbi promiſſio nulla & inanis eſt, ibi nulla vis iuramenti, iuramentum enim eſt acceſſorium promiſſionis; at promiſſio translationem iuris noſtri inuoluit & in præiudicium aliorum nihil operatur. Iuri vero Principis procul dubio exemta eſt conceſſio priuilegii, quod vtilitati publicæ vel ab initio contrarium eſt, vel poſtea contrarium eſſe incipit. Siquidem pactum primum & antiquiſſimum in ipſa regiminis delatione inter ciues & futurum Principem ſemper hoc eſt, quod ſalutem publicam ſcopum ſibi primarium ponere velit; quin & officium Principis ex iure naturæ & indole ciuitatum conſtitutarum id vbique requirit. Huic obligationi ex lege naturali & pacto antiquiori oriundæ nihil aduerſum, ne quidem ſub iuramenti fide promitti poteſt, perinde ac iurare nequeo, me non ſoluturum pecuniam, quam ex promiſſo perfecto debeo. Princeps itaque grauiter peccat, ſi iurato promittat priuilegium, quod inde ab initio Reipublicæ noxium futurum perſpicit; talia enim contra Ius Naturæ & Diuinum promittuntur, adeoque ipſo iure nulla ſunt & inania. *Enenck. de Priuileg. L. I. c. 3. n. 5. 6.* Sed grauius peccaret, ſi ex ſuperſtitione tale priuilegium cum detrimento publico tueretur. Si cauſam non ſatis cogno-

gnouerit, vel miniſtrorum nonnullorum imperitia vel malitia ſeductus iurauerit, perinde absque ſcrupulo errorem corrigere poteſt. Conf. *Enenckel. de priuileg. L. I. c. 3. n. 5. - 21.* Scil. qui illicitum vel impoſſibile ſe facturum iurat, peccat, quod temere iuret; bis vero peccat, ſi prætextu religionis iurisiurandi factum illicitum adimpleat.

§. VI. Minime vero probanda aſſertio: Iuramentum non obligare ad iniuſta naturaliter talia; ad ciuiliter iniuſta vero obligare ſecundum Ius Canonicum & hodiernum, niſi exinde tertio aut æternæ ſaluti præiudicium immineat; prout hæc exprimit *Schüz. in Compend. Lauterb. de Iureiur. p. m. 173.* Nos alia omnia edocti putamus, iusiurandum minime obligare ad ea, quæ iure ciuili abſolute prohibita ſunt; tum quia alias eludi poſſet omnis Imperantis prohibitio, tum quia & magiſtratui propter DEum, adeoque in conſcientia obſequium debemus. His itaque caſibus iuſtitia in iuramento deficit, quam tamen ipſum Ius Canonicum requirit, *c. 26. X. de Iureiur.* Pone, Principem prohibuiſſe, ne quis armatus vel auro textili veſtitus in publicum procedat; iurauerit aliquis poſt promulgatam prohibitionem, ſe talia non poſiturum; obligabit ex iſta hypotheſi iusiurandum, vt ſpernat iuſſum Imperantis,

X 5 quia

quia arma gerere, vel talismodi veſtitu amictum incedere nec tertio, nec ſaluti æternæ per ſe detrahit? Idem dicendum foret de prohibitione, ne quis conſobrinam ducat, ne hos vel illos inquilinos habeat, & mille aliis. *Bachouius* etiam, qui præ aliis hanc quæſtionem optime diſcusſiſſe ſibi videtur, ſui ipſius incertus ita rem implicat, vt, quid ſtatuendum ſit, ex quouis alio melius, quam ex ipſo addiſcas, *vid. Vol. I. diſp. ad Treutl. XI. th. 9. lit. C. & Diſp. XXI. th. 2. lit. B.* Id vero concedimus, quoties aliquid prohibetur in fauorem eius, qui id ſe facturum iurat, toties is fauori ſuo & poteſt renunciare, & renunciaſſe præſumitur, ſi iuris ſui certus, nec dolo alterius inductus, iurauerit.

§. VII. Cæterum noſtræ aſſertioni, de *iurata priuilegii concesſione reuocationi eiusdem non obſtante*, communis iſte error non adeo refragatur, quia reſpectu Principis, cuius voluntas norma eſt legum ciuilium, nihil datur ciuiliter iniuſtum. Libuit vero & hoc tangere, vt aliquando dediſcere incipiant homines ſuperſtitionem, quam eiusmodi iuramentis tribuunt, dum aliis interim obligationibus, quibus DEo obſtricti viuunt, quotidie contrarii exiſtunt, DEique nomen lingua iactantes in aliorum oppresſionem

præ-

prætendunt, opere abnegant & contemnunt.

§. VIII. 4. Iuramentum promiſſorium eandem interpretationem easdemq; conditiones tacitas recipit, quas pacta recipiunt. Vnde, qui præſtationem ſucceſſiuam iam licitam, ſed quæ illicita fieri poſſit, iuramento confirmat, cenſetur excepiſſe caſum, quo licita amplius futura non eſt. Quemadmodum & a periurii reatu immunis eſt, qui ob impoſſibilitatem ſine culpa ſua ſuperuenientem præſtare, de quo iurauit, non poteſt. Itaque ſi ſalus publica abolitionem priuilegii ab initio iuſti & innoxii, ob rationes poſtea emergentes requirere cœperit, iuramentum reuocationi non obſtabit.

§. IX. Id tamen & hic lubentes largimur principem ad reuocanda priuilegia iurata pronum eſſe non debere. Quemadmodum enim ſubditi, quorum non eſt in cauſas reuocationis inquirere, falli facile poſſunt, ita certa manebit temerariam & ſine ratione ſuſceptam violationem vindicta Iudicis ſupremi & falli neſcii. Quin & ſi vſus priuilegii publico detrimentum minari videatur, Imperantis eſt diſpicere, an huic aliis mediis obuiam iri poſſit; omnia enim prius,

prius, quæ ſaluti populi non obſunt, tentanda, nec niſi ob immedicabile diſcrimen iuramentum reſcindendum eſt. Add. *Enenckel. de Priuileg. L.3. c.6. n.44.-49.* Interim cum obſequium & amor ſubditorum erga Principem ſuum exigat, vt optima quæque de eo præſumant; minime credendum, ſicubi Princeps priuilegia fide iuramenti munita aboleat, id temere & reclamante conſcientia fieri; ſumma quippe iniuria eſſet, & deterioris Principem quam quemuis priuatum conditionis faceret, ex ſola eorum, quibus cognitio & iudicium non competit, ſuſpicione pendere. Certe, ſi populi non iniuſta eſſet ſuſpicio, actiones tamen Imperantis irritas reddere ſphæram iuris priuatorum longe egreditur. Omnia ergo ad Imperantis conſcientiam referenda, quam non facilius temerabit, ſi ſubditi obſequio, patientia, amore, gratiam & amorem reciprocum prouocent, cæterum vero genùinam vim iuriſiurandi data occaſione ſedulo inculcent, quam ſi cauſæ ad ipſorum iura non pertinenti ſe immiſceant & turbulentis poſtulatis indignationem Principis prouocent.

§. X. Videbimus, quid reuocationi priuilegiorum obeſſe poſſit ius Comitiorum Prouincialium; cum vero hic non de certo re-

regno vel prouincia agamus, ſed ab indiuiduis abſtrahentes generalem conceptum, nobis proponamus, nihil attinebit, ex legibus fundamentalibus huius vel illius Prouinciæ multa decerpere, ſed Iuris Naturæ placitis & principiis ex indole ciuitatis in genere depromtis inhærere præſtabit.

§. XI. Subditi in dubio omne Ius, quod ſibi expreſſe non reſeruarunt, in Principem transtuliſſe cenſentur. Quippe in dubio pro forma regulari & principiis Politicis reſpondente præſumendum eſt; regulare vero eſt, vt tota pro republica cura in Principem deuoluatur. Poſſunt certa ſibi iura reſeruare ſubditi, quando Imperantem adſciſcunt; at expresſis verbis id fieri oportet. Fit enim contra eum interpretatio, qui clarius loqui potuiſſet; at potuiſſent & debuiſſent ſubditi reſeruationem clare exprimere, quia contra eos pro Principe præſumtio, & in translatione Iuris vniuerſi exceptionem ſtatutam facti eſt, proindeque diſtincte probandum.

§. XII. Nec ſequitur: ſubditis competit ius Comitiorum prouincialium, ergo iisdem competit ius circa hoc vel illud reipubl. negotium determinandum. V. g. competit ſubditis Electoralibus Saxonicis ius Comitiorum,

rum; interim cum anno 1653. reductionem exercitus in Comitiis vrgerent, eamque in rem in Duplica humillime exhibita varia afferrent conſilia; reſpondebat Sereniſſimus glorioſiſſimæ memoriæ Elector in Receſſu Prouinciali dicti anni: Was unſere Kriegsvölcker betrifft / da ſtehet zwar die diſpoſition der Miliz, und wer / auch wieviel / des Landes und ietziger Läufften Zuſtand nach an Officirern und Knechten in Dienſten zubehalten / lediglich bey uns; Wir haben auch ohne der Landſchafft erinnern die vorigen Reductionen und Abdanckungen von Uns ſelbſten dermaßen eingerichtet / daß dem Lande ſehr hoher Nutz dadurch zugewachſen / wie aber in der Duplica und ſonſten nicht ſo gar hoch unerhebliche motiuen ꝛc. angeführet worden; Alſo ſeynd Wir erbötig / dieſen Dingen weiter nachzudencken ꝛc. auch / ſobald als zu geſchehen möglichen / mit abſchaffung aller unnöthigen Speſen eine ſolche Anſtalt in den Kräyſen zuverfügen / daß ſich Unſere getreue Unterthanen zuverſichtlichen darob zuerfreuen haben ſollen. Scil. ſæpe ius comitiorum vltra modum collectandi non multum extenditur, niſi quod deputati religionis & iuſtitiæ libertatem in terminis generalibus efflagitare ſoleant. Notatu digna ſunt verba Scripti Præliminaris in Comitiis

tiis prouincialibus Electoratus Saxonici anno MDCIC. exhibiti, vbi poſtquam Judicium Reuiſorium Generale deprecati erant Deputati, hanc ſubnectebant declarationem: Wir ſchreiben ſolches keines weges der Meynung / als ob E. Königl. Maj. und Chur-Fürſtl. Durchl. über und von der Regierung Dero Lande wir Ziel und Maß ſetzen wolten / indem dergleichen Gedancken in uns nicht aufſteigen noch ſtatt finden / wie uns vielmehr bewuſt / daß das Regiment von GOtt Dero Königlichen und Chur-Fürſtl. Händen übergeben / und uns die Ehre der Unterthänigkeit und Gehorſams gelaßen ſey / in welchen auch Dero Allergnädigſten Befehlen wir allenthalben allergehorſamſt nachzuleben bereit ſind.

§. XIII. Poſſunt Ciues in legibus fundamentalibus cum futuro Principe paciſci, ne citra ipſorum conſenſum priuilegia concedat vel tollat. Hoc quemadmodum non facile quis negauerit, ſaltem non illi, aduerſus quos diſputo, ita vel exinde conſtat, quod ſæpe potiora iura, v. g. bellum decernendi, militem conſcribendi, &c. inuitis ciuibus, Principi non competant. Nempe liberum eſt reipubl. an Principem ſibi conſtituere velit, nec ne; liberum itaque erit,

erit, quibus conditionibus Principem eligere velit; & penes hunc erat oblatas conditiones acceptare vel imperium delatum reſpuere.

§. XIV. At niſi pactis expresſis jus ratihabendi priuilegia ſibi quæſiuerint, id ipſis tribuendum non eſt. Patet ex antecedentibus; quia iura Imperantis in dubio non diuiſa ſed integra præſumuntur. Neque recte a minori ad maius hic infertur, v. g. Princeps cum ſubditis communicauit arbitrium exercendi ius belli, collectarum, &c. ergo eorundem conſenſum etiam requirere tenetur quoad concedenda vel tollenda priuilegia; arguitur enim a diuerſis, haud ſecus, ac ſi quis vrgeret: donaſti mihi prædium, ergo etiam donaſſe videris librum vel annulum. Sed quidſi ius ferendarum legum generalium ex ſolius Principis arbitrio non dependeat, an & ius priuilegiorum limitatum cenſebitur? videtur quod ſic; quia priuilegium abrogat ius commune & nouam Legem continet. Cæterum quoties lex ſancienda materiam comitiorum facit, non ſemper dicendum eſt vel credendum, conſenſum ſtatuum prouincialium ad eam requiri; plerumque enim non niſi conſilium circa legem ferendam a ſtatibus exquiritur, determinatione ſoli Principi relicta.

Sæ-

Sæpe etiam lex futura in comitia deducitur non a Principe ſed a ſtatibus; non inquam Princeps eam deliberationi & arbitrio ſtatuum exponit, ſed ſubditi eam expetunt ex ſolius Principis arbitrio ferendam. Certe in vicina Saxonia inſciis Statibus priuilegia quotidie concedi experientia docet, neque eos vnquam deſuper queſtos meminimus; leges vero ferendæ plerumque ipſis, vt deliberent, proponuntur. Vbi vero ad concedenda priuilegia ſtatuum conſenſus non requiritur, nec requiretur ad ea abolenda.

§. XV. Demum vbi conceſſio vel abolitio priuilegiorum non ex conſenſu ſtatuum dependet, ibi nec in comitiis per modum grauaminis a certo municipio vel vniuerſitate propoſita Principem ſtringit, niſi priuilegium pactis fundamentalibus & vtilitati communi reclamare ſtatus contendant; quo caſu Principem clementer audire querentes, & ſiquidem preces veritate nitantur, mederi defectui conuenit. At hæc ſaltem de *conceſſione* priuilegiorum dici poſſunt; ſi vero Princeps ſuſtulerit priuilegium, non eſt, quod queratur vniuerſitas; vel enim ipſi vniuerſitati ademtum eſt priuilegium, vel priuato; Si vniuerſitati, non poteſt in cauſa propria decernere & Imperanti ſe opponere, niſi per leges fundamentales omnem vel cer-

te iſtius Priuilegii reuocationem Principi interdictam probauerint; Reuocatio enim priuilegiorum, qua æqualitas iuris reſtituitur, multo plus fauoris meretur, quam eorum conceſſio. Si priuato priuilegium ademtum, vniuerſitatis plane non intereſt, eaque intercedens videtur curarum publicarum partem ad ſe non pertinentem vſurpare; conuenit enim Vniuerſitati defendere membra ſibi ſubdita, contra priuatos alios, non contra Principem.

§. XVI. Duas theſes hactenus probatas dedimus: (1) quæuis priuilegia, & quibuscunque fidei firmamentis (exceptis legibus fundamentalibus) munita reuocari a Principe poſſe, ſi vtilitas publica id exigat. (2) Subditos nunquam reſiſtere poſſe reuocationi priuilegiorum, licet eam e re ciuitatis non eſſe perſuaſi ſint; niſi per leges fundamentales hoc ſibi ius expreſſe quæſiuerint. Harum theſium neutram iuri diuino reuelato & obligationi Chriſtianorum contrariari breuiſſimis iam oſtendendum eſt.

§. XVII. Ius Diuinum reuelatum legibus Naturæ contrarium non eſt, ſed exinde declarationes recipit; neque in dubio permiſſioni Iuris Naturæ contradicere præſumitur. Scil. lex diuina reuelata prohibere poteſt, quæ iure Nat. permittuntur, at non poteſt

pro-

prohibere quæ præcipiuntur, nec præcipere vel permittere, quæ prohibentur. Lex naturæ immutabilis eſt, non vero ius naturæ, quatenus attributum perſonæ, poteſtatem moralem, denotat. Ad leges vero naturales pertinet, vt ſalutem publicam primum ſibi ſcopum Princeps faciat. Ad leges naturæ pertinet, vt ius aliorum non liceat per iuramentum alteri præſtitum interuertere. Quæ itaque de pactis & iuramentis ſeruandis agunt leges diuinæ, regulam faciunt, ſed non ab omni exceptione immunem. Principem vero legibus naturalibus & diuinis reuelatis vniuerſalibus ſolutum non eſſe, ita certum & ſupra deductum eſt, vt ſuperfluum ſit, aliorum autoritatem in partes vocare. Interim ne & ea deficiat, vide *Eneuckel. de Priuil. Iur. Ciuil. L. I. c. 8. per tot.*

§. XVIII. Porro leges naturæ ſimplex a ſubditis obſequium exigunt, quippe quo vnio, quæ eſſentiam ciuitati tribuit, imprimis conſeruatur. Huic etiam theſi literæ ſacræ non contradicunt, quin eam potius egregie confirmant: *Rom. XIII. v. 1. 2.* Omnis anima poteſtatibus ſupere-„ minentibus ſubdita eſto: non enim eſt po-„ teſtas, niſi a Deo; Sed quæ ſunt poteſtates „ a Deo ordinatæ ſunt. Quare, qui ſe op-„ ponit poteſtati, DEi ordinationi reſiſtit: qui „ vero reſiſtunt, ſibi ipſis iudicium acci-„

„pient. DEI enim miniſter eſt. Et porro: „Ideo neceſſe eſt ſubditum eſſe, non ſolum „propter iram (timorem vulgo) ſed & pro„pter conſcientiam. Et *1. Petr. II. v. 13.* Sub„iecti eſtote omni humanæ creaturæ propter „Dominum, ſiue Regi, vt ſupereminenti, ſi„ue præſidibus, tanquam per ipſum miſſis. „Iterum *ad Tit. III. v. 1.* Commonefac eos, vt „principatibus & poteſtatibus ſubditi ſint, „obtemperent; ad omne bonum opus para„ti ſint. Hæc de magiſtratibus ethnicis dicebantur, quantomagis eadem de Chriſtianis dicenda ſunt? Ita *Eccleſiaſt. VIII. v. 2. &* „*4.* Os Regis obſerua; imprimis ob cauſam „iuramenti DEI. Quum enim verbum „Regis ſit imperium: quis dixerit illi; quid „facis? Et *Prouerb. XXIV. v. 21. ſeq.* Time Ie„houam, mi fili, & Regem; cum variantibus „(ſeditioſis) ne immiſce te. Nam ſubito „exſurget interitus eorum, & caſum vtrius„que quis ſcit? Habent vero Principes Deum iniuſtitiæ vindicem, eoque acerbiorem, quod nullum ab ope humana ſubditis remedium ſuperſit. *Sapient. VI. v. 1. - 9. Pſalm. LXXXII. Ierem. XXI. v. 11. ſeqq. Sirac. X. v. 10. 12. 17. ſeqq.*

§. XIX. Religio Chriſtiana non contradicit legibus honeſtis, nec ius Principis in cauſis temporalibus imminuit. Facile hæc

va-

variis rationibus oſtendi poſſent, niſi otium nobis facerent ſcriptores alii; & niſi omnes vno ore faterentur: eccleſiam non abolere politias, & Chriſtum nouum legislatorem non eſſe.

§. XX. Si quis exempla ſententiæ noſtræ contraria ex Literis ſacris conquiri poſſe putet, de iis etiam videbimus. Interim præmonuiſſe ſufficiet, ab exemplis aduerſus nos argui non poſſe, niſi (1.) de omnibus circumſtantiis ſatis conſtet, (2.) niſi factum approbetur & (3.) niſi certum ſit, aliter etiam fieri pro ratione circumſtantiarum potuiſſe; ſæpe neceſſitas factum exigit, quod alias admiſſum non fuiſſet.

§. XXI. Cæterum quamuis in hac materia non teneamur ad obiectiones ex legibus ciuilibus petitas reſpondere, prout ex ſuperiorb9 ſatis conſtare confidim9; ne tamen iuris illius cultoribus ſcrupul9 hic ſuperſit, eas, quæ pro denegata priuilegiorũ reuocatione afferri ſolent, leges Romanas & IurisCanonici placita [præſertim cum omnes, quas allegari a diſſentientibus videmus rationes, iisdem comprehendantur] ſtrictim perluſtrabimus; ſed indicabimus magis, quomodo ex hacten9 dictis reſponderi poſſit, quam vt prolixis reſponſionibus operam demus.

§. XXII. Imperialis maieſtatis pro-

prium non eſt auferre conceſſa. *Nouell. 10. pr.* Reſp. non adimuntur iſta cuiquam, quæ reipublicæ redduntur magis quam dantur. conf. *Enenckel. de priuileg. Lib. 3. cap. 6. n. 11.*

§. XXIII. Nemo Principali autoritate circumſcribendus. *l. 1. C. de his qui ven. ætat.* Reſp. Loquitur textus de iure priuati erga priuatum ; neque de Principe reuocante, ſed de priuilegiato priuilegio in tertii præiudicium renunciante. Fac etiam, dictam legem ad reuocationem priuilegii extendi, is tamen *circumſcribi* dici non poteſt, cui lucrum, quod ſalua autoritate publica permitti non poteſt, denegatur. Potior reipubl. cauſa quam ſingulorum, potior cauſa certantis de damno vitando, quam lucrum captantis.

§. XXIV. Res mea nec publico nomine nec priuato mihi poteſt auferri. *l. 13. §. 1. ff. commun. præd.* Reſp. limitationes in textu adduntur: 1.) ab eo, cui id faciendi ius non eſt. 2.) niſi alia conſuetudo conſiſtat. Quicquid vero conſuetudine, tanquam voluntate Principis tacita fieri poteſt, id etiam fieri poteſt voluntate eius expreſſa. Et quis eſt, qui auferendi ius non habet? certe non Princeps, ſed priuatus, qui publicam autori-

tatem

tatem mentitur. Porro agit lex allegata de ſeruitute prædiali; at in *l. 2. §. 16. ff. ne quid in loco publ.* verb. *niſi forte quis hoc impetrauerit.* contra ſeruitutem quid fieri, ſi indultu Principis fiat, permittitur. add. *Enenckel. de priuileg. L. 3. c. 6. n. 18.-33.* Diſpiciant hic diſſentientes de conciliatione, diſpiciant etiam de applicatione ad rem præſentem, cum priuilegium *res priuati propria* dici proprie non poſſit. Principi certe illibatum manebit dominum eminens, licet vel mille eiusmodi leges contradicunt.

§. XXV. Fundus nemini aut promulgatione Reſcripti aut reuerentia ſacræ annotationis adimi poteſt, *l. 7. C. de omni agro deſerto.* Reſpond. agitur ibi de fundo Principis patrimoniali; circa patrimonialia vero & liberior Principis diſpoſitio & arctior inde obligatio, quippe intereſſe Reipubl. ibi nec intercedit, nec prætendi poteſt; ſubeſſe vero poteſt & ſolet in priuilegiorum materia. Deinde lex allegata velle videtur, ne fundus patrimonialis antea ſterilis & neglectus, poſtea a priuato ſuis ſumtibus ad culturam redactus eidem citra impenſarum reſtitutionem auferatur. Et quid ſi Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius etiam priuilegia reuoca-

ri noluerint? ea declaratio nec ipſos, nec alios Principes ita obſtringit, ne potiorem Reipubl. rationem habere poſſint.

§. XXVI. Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri; de iuris autoritate pendet autoritas Imperantis, & maius Imperio eſt ſubmittere legibus Principatum. *l. 4. C. de LL.* conf. *l. 3. C. de Teſtam. §. fin. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm. l. 23. de Legat. 3. Enenck. de priuil. L. I. c. 8. n. 67. ſeq.* Reſp. alligatur Princeps legibus diuinis, naturalibus & poſitiuis vniuerſalibus; non legibus ſuis vel prædeceſſorum ſuorum, adeoque nec priuilegiis, quæ ipſe vel anteceſſor conceſſit, ſi noua ratio eorundem continuationem non permittat. Salus enim publica ſuperior lex eſt, cui lex de ſeruanda priuilegiorum conceſſione merito cedit. Taceo ſophiſmata politica & rationes ſpeciales, quæ Imperatores Romanos iis temporibus inducebant, vt legibus etiam ciuilibus adſtrictos ſe ſimularent.

§. XXVII. Donatio remuneratoria reuocari nulla ex cauſa poteſt. *l. Aquilius. 27. ff. de donat.* Reſpond. alia eſt cauſa donationis a priuato in priuatum, alia a Principe in ſubditum collatæ; deinde bene merita erga

ga Rempubl. non eadem ſunt cum meritis erga conciuem; denique priuilegium ad donationes referri omnino non poteſt.

§. XXVIII. Iuſtum eſt, Principem legibus obtemperare ſuis; tunc enim iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reuerentiam præbet. Principes legibus tenentur ſuis, nec poſſunt damnare iura quæ in ſubiectis conſtituunt. Iuſta enim eſt vocis eorum autoritas, ſi quod populis prohibent, ſibi licere non patiantur. *can. 2. Diſt. IX.* quam in rem *gloſſ. vlt. ad tit. extrauag. de dolo & contumac.* ait; „alias Principes de numero illorum futuri „ſunt, de quibus Chriſtus in Matthæo lo„quitur: dicunt & non faciunt, & aliis gra„uia onera imponunt, digito autem ſuo no„lunt ea mouere. Conf. *Enenk. de priuileg. L.1.c.8.n.69.ſeqq.* Reſpond. hæc omnia recte ſe habent, quando Princeps legem naturalem vel diuinam poſitiuam vniuerſalem repetit & ſeuerius ſubditis inculcat atque ad voluntatem creatoris, ad rationem & obligationem naturalem, ad pœnam diuinam prouocat, Ipſe vero ea quæ hac parte monet, ſpernit & negligit. Ita temulentiam, ſcortationes, duella, perfidiam feliciori e-

ventu prohibebit, qui ipſe abſtinet. At ipſe temulentus, ſcortator, iracundus, perfidus occaſionem præbebit ſubditis credendi, talia vel non ita ſeuere prohiberi, vel conditionem humanam non permittere, vt ab iis immunes nos præſtemus. Leges vero ex humano arbitrio ſubſtantiam capientes, v. g. ne conſobrina in thorum ducatur, ne auro textili veſtes exornentur, ne quis noctu domum egrediatur &c. vigorem perinde retinebunt, ſiue iis Princeps ſe attemperet, ſiue non, cum alia circa principem, alia circa ſubditos ratio verſetur; an enim chlamyde, corona, ſceptro ornari geſtiunt ſubditi, quando hunc regis ornatum conſpiciunt? Dicta vero Saluatoris ad clerum Iudaicum ſpectant, eosque in eccleſia doctores tangunt, qui criminibus, aduerſus quæ detonant, ipſi contaminantur, & non vitam ſuam ſed doctrinam, non facta ſed verba attendenda eſſe non inepte minus quam impie pronunciant. Dictum vulgatum: qualis Rex, talis grex, tum ad violationem honeſtatis naturalis, tum ad decorum referendum eſt. Deinde, quando toties de ſeruandis legibus ſermo eſt, de legibus generalibus, non de priuilegiis id accipiendum.

§. XXIX. Contractus, pacta, promiſſa, fidem violare eſt contra pietatem

&

& bonos mores; at quæ contra pietatem & bonos mores fiunt,ea nos facere non poſſe credendum eſt. *l. 15. de condit. Inſt.* Quicquid vero facere non poſſumus,id factum pro nullo, irrito, inutili habetur. Eaque omnia ad Principem etiam pertinent. *Enenkel. de priuil. L. 3. c. 5. n. 20. -31.* Reſpond. Contractus *ſine ratione*, qualis ad reſciſsionem ſufficit, violare etiam Principi turpe eſt, idque illum facere non poſſe creditur. At nunquam certum eſt, nullam ſubeſſe rationem ſufficientem, quando Princeps priuilegia reuocat; neque cognitio, an ratio ſubſit, an quæ ſubeſt ſufficiat, ſubditis tribui poteſt; quin meliora de Principe præſumenda. Nunquam ergo reuocatio irrita haberi poteſt, quia nunquam conſtat, rationem reuocandi deficere, adeoque Principem id facere non poſſe. Neque vniuerſalis eſt regula: quicquid fieri prohibetur, id factum irritum eſt. Rem alicui venditam, rupta prioris contractus fide, alteri vendere & tradere iniuſtum eſt, at non irritum.

§. XXX. Princeps nihil quicquam in alterius iniuriam (adeoque nec contra priuilegii tenorem) permittere poteſt, *L. 2. §. 10. ff. ne quid in loc. publ. l. 7. C. de prec.*

Im-

Imper. offer. l. 4. C. de emanc. Reſp. (1) leges ciuiles facultatem Principis conſtringere non poſſunt, alias Ipſe eſſe Imperans ſui ipſius. (2) dicitur in his textibus, Principem *nolle* quid in iniuriam aliorum permittere. (3) non continet iniuriam in ſubditos, quod in vtilitatem Reipubl. permittitur vel tollitur; ſubditi enim hactenus iuri ſuo renunciarunt idque in Principem tranſtulerunt; & princeps adeo iure ſuo hic vtitur; at qui iure ſuo vtitur, nemini iniuriam facit. *Barboſ. Theſaur. Lib. IX. cap. 131. Axiom. 23.* (4) iniuria in *dd. ll.* non ad Principem refertur, ſed ad priuatum, qui aliquid in alterius læſionem vergens a Principe petit.

§. XXXI. Eodemmodo ſatisfiet ſimilibus obiectionibus, v. g. Principem, cum iura tueatur, eadem euertere non debere. *l. 35. pr. C. de inoff. teſtam.* (hoc enim, ſi generaliter intelligendum eſſet, nulla vnquam lex ciuilis poſſet mutari, & *d. l. 35.* non diſquirit, an Princeps ius teſtamentorum mutare poſſit, ſed an mutare *velle* præſumatur.) Non debere iniuriarum occaſionem naſci, vnde iura naſcuntur *l. 6. C. vnde vi.* Qualia plura collegit *Enenckel. de priuil. L. 3. c. 7. & 8.*

§. XXXII. Mille autoribus pro contraria ſententia (ſcil. priuilegia remuneratoria & oneroſa reuocari non poſſe; quamuis & ipſo-

ipſorum plerique caſum publicæ vtilitatis excipiant) allegatis ab *Enenckelio de Priuileg. Iur. Ciu. L.3. c.8. Carpzouio Lib. 1. deciſ.87. Zieglero de Iurib. Maieſtat. L. 1. c. 12. §. 12.* aliisque plurimis, cum non rationibus (ſi iam euolutas excipias) ſed opinionibus immorentur, non eſt, quod reſpondeamus; qui enim id fieri poſſet, niſi æque numeroſum diſſentientium exercitum cum iis committendo. Quemadmodum vero ſententia noſtra aſſeclis ſuis iisque plurimis non deſtituitur, ita iis in arenam producendis opus haud eſſe ſcimus, cum ratio opinioni præualere ſemper debeat, & communisſimæ opiniones ne legem quidem, quæ priuatos, nedum quæ Principem obliget, faciant, nec tanta hodie ſit gloſſarum, concluſionum, opinionum, quanta olim fuit, autoritas, quæ veritati ſufficienter probatæ præiudicare posſit.

§. XXXIII. Priuilegia mere gratuita ſine cauſa reuocanda non eſſe ſatis euincunt *Enenkel. in ſæpe allegato opere pasſim. Rauchbar. L.2. q.11. Ziegler. de Iurib. Maieſt. L. 1. c. 12. §. 13.* aliique plurimi, quos, vel potius eorum rationes afferre non pigebit, ſi hac in re diſſentientes experti fuerimus.

OBSER-

OBSERVATIO XVIII.

AD LEGEM I. C. DE SVMMA TRINITATE.

SVMMARIA.

AD ICtos etiam pertinet tractatio rerum ſacrarum §. I. *Gratiani lex de libertate religionis.* §. II. *Diuiſio imperii inter Gratianum, Valentem & Theodoſium* §. III. *Episcopi tum temporis in Imperio quinam fuerint* §. IV. *Inter orthodoxos præcipui Damaſus, Petrus, Ambroſius, Aſcholius.* §. V. *Quo tempore & vbi lex 1. lata ſit* §. VI. *Intentio Theodoſii in latione huius legis* §. VII. *Ratio ſtatus a Theodoſio inferenda hac lege vſurpata.* §. VIII. (*Triboniani ineptiæ in tit. Cod. de crim. ſacrilegii* ibid.) *Alia ratio ſtatus politicæ Clericalis per legem hanc tentata. Gregorii Nazianzeni aduentus in vrbem Conſtantinop.* §. IX. *Euentus legis. Diſceſſus Arianorum.* §. X. *Gregorii fata, & compendium totius eius vitæ.* §. XI. *Ratio ſtatus politicæ aulicæ & clericalis, conſpirantium in dimisſione Gregorii & electione Nectarii* §. XII. *Quas leges alias in fauorem cleri Theodoſius poſt publicatam hanc l. 1. ediderit* §. XIII. *Summa l. 1.* §. XIV. *Iudicium de eius veritate & vſu.* §. XV. *Doctrinæ papizantes ICtorum proteſtantium, Policarpi Wirthii,* §. XVI.

B. Stru-

B. Struuii §. XVII. *Reſpondetur ad textus ex Scriptura Sacra*, §.XIIX. *ad exempla antiqua & moderna*, §.XIX. *ad leges Imperii*, §. XX. *primo in genere* §. XXI. *Deinde in ſpecie ad Rec. Imp. de anno 1525.* §. XXII. *ad Rec Imp. de ann. 1544.* §.XXIII. *ad Rec. Imp. de an. 1545. & 1548.* §.XXIV. *idem ad Inſtrumentum Pacis* §. XXV. *ICti Catholici hac lege 1. pro fundamento vtuntur diſputandi contra Euangelicos.* §. XXVI. *Inepta & contorta obſeruationes Gloſſa aliorumque ex hac l. 1.* §.XXVII. §.XXIIX. *Cur Damaſi & Petri Alexandrini mentio in lege facta ſit?* §.XXIX. XXX. *Alia obſeruationes inepta Mercerii & Iacobi Gothofredi* §.XXXI. *Catholici voce quid denotetur in lege?* §.XXXII. *item quid per reliquos?* §.XXXIII. *Nota papizans de requiſitis haretici* §. XXXIV. *alia de puniendis hareticis.* §.XXXV. *Contortum argumentum ex lege.* §.XXXVI.

§. I.

CORreſpondet huic Titulo in Cod. Theodoſiano *lib. 16. tit. 1.* de Fide Catholica & *tit. 4.* de his qui ſuper religione contendunt. Ægre ferunt quidem Catholici, quod Imperatores de rebus ſacris leges tulerint notante Brunnem. *ad rubricam hic n. 2.* Et forte querela illa etſi ab iſtis ſcriptoribus ex falſo fundamento deducatur, non tamen plane de nihilo fuit, principibus

Ex-

ſæpe poteſtate ſua abutentibus. At non ſolent tamen Catholici ICtis controuerſiam mouere, quaſi illi non poſſint de rebus ſacris commentari præprimis ſi ſint Doctores Iuris Canonici. Vnde magis papizant ex noſtratibus Theologi quidam, ICtos ad Ius ſolum humanum & Iuſtinianeum relegantes atque a controuerſiis Iuridicis ex verbo Dei definiendis excludere volentes, quos inter abſque pudore ſuam ſententiam publice dixit Michael Hauemannus *in tractatu de Iure Epiſcopali titulo XIII. p. 432.* (ap. Fritſch. de Iure Eccleſiaſtico) commiſeratione dignus, non refutatione, quod eod. titulo alio modo papizans magiſtratui ciuili & ICtis velit denegare cognitionem cauſarum matrimonialium, haud dubie irritatus affectu odii ob controuerſiam, quæ ipſi in cauſa matrimoniali cum ICto interceſſit.

§. II. Eſt hæc lex ſolius Theodoſii M. quamuis inſcriptionem habeat etiam Gratiani & Valentiniani & quidem hac occaſione lata. Gothi Valente mortuo, toto anno diœceſin Thraciarum, Scythiæ & Myſiæ deprædati ſunt, ad portas vsque vrbis Conſtantinopolis, cui & metum iniecere. Gratianus in hac rerum perturbatione e Galliis in Panoniam, Myſiam, Thraciasque, imo & Conſtantinopolin pergens orientem Danubiique limi-

limitem ordinauit pacauitque, Theodoſio M. in Imperium adſcito anno 378. & Syrmii degens reſcriptum emiſit, quo hæreticis libertatem religionis fecit, exceptis tantum Manichæis, Photinianis & Eunomianis. *Iac. Gottofr. in Chronol. Cod. Theod. add. ann. 378. f. 99. Socr. V. 1. 2. Sozom. VII. 1. 2.* Vnde facile patet Gratianum iſtam legem tuliſſe ex neceſſitate, & quod nollet Arianos in oriente irritare vt ad Gothos Arianiſmi defenſores (*vide Theod. IV. 32. p. 282. Socr. IV. 27, 124.*) transirent, nam non ſolum paulo ante Gratianus alia lege interdixerat hæreticis, quæ eſt *l. 4. C. Theod. de hæret. conf. ibi Gottofred. f. 115.* ſed & mox ſequente anno 379. iſtam legem Syrmii datam iterum abrogauit *l. 5. C. Theod. eod. cuius pars extat l. 2. Cod. Iuſt. de hæret.* ſuaſu Ambroſii, vt non improbabiliter Gottofr. *ad d. l. 5. f. 117.*

§. III. In diuiſione imperii Theodoſio ceſſit oriens cum Thracia, Gratianus & Valentinianus Iunior inter ſe diuiſerunt imperium occidentale, Gratiano ceſſere Galliæ, Britanniæ, Hiſpaniæ, Valentiniano Italia, Illyricum, Africa ſecundum Zoſimum, etſi Sozomenus Illyricum attribuat Theodoſio. *Gottofr. in Chronol. Cod. Theod. ad annum 379. f. 101.* Forte quod Theodoſius ibi baptizatus ſit.

§. IV. Imperator autem Valens qui antea in oriente imperauerat, cum Arianus ipſe fuerit, non mirandum, quod & in eius ditionibus Arianiſmus maxime floruerit, vnde non ſolum tum temporis in vrbe Conſtantinopolitana Demophilus Arianus poſt Eudoxium Arianum, relegato a Valente Euagrio ab orthodoxis creato, epiſcopatum gerebat, ſed & Alexandriæ Lucius Arianus Athanaſio ſucceſſerat, remoto Petro orthodoxo, cui Athanaſius epiſcopatum commiſerat, quamuis Petrus Romam fugiens & inde cum literis Epiſcopi Romani rediens adhuc viuo & inuito Valente fuerit reſtitutus, deiecto Lucio. Romanæ vero eccleſiæ præerat Damaſus orthodoxus, ſuppreſſo ope Maximini præfecti Vrſino, vt Hieroſolymitanæ Cyrillus: Antiochena in tres factiones diuiſa erat, quasdam eccleſias Dorotheus Arianus poſt Euzoium rexit, orthodoxas partim Paulinus, partim Meletius ab exilio reuocatus gubernauit. *Socrat. V. 3. iunct. IV. 1. p. 103. c. 13. p. 111. c. 16. p. 113. c. 24. p. 122. c. 30. p. 125. Sozom. VI. 7. 13. 14. 19. 23. & 39. VII. 3.* Præterea Mediolani epiſcopatum gerebat Ambroſius & Theſſalonicæ Aſcholius. *Socrat. IV. 25. p. 122. V. 6. p. 128. Sozom. VI. 24. 148. VII. 4. 168.*

§ V. Erant autem inter orthodoxos tum

ma-

magnæ autoritatis Damaſus Romanus, Petrus Alexandrinus, dictus Ambroſius & Aſcholius, certe vnus alterum maxime commendare ſolebat. Nam Ambroſius in Epiſt. ad ſacerdotes & omnem clerum plebemque Theſſalonicenſem de obitu, vita & virtutibus Aſcholii ſcripta eum ſanctum virum vocat & *murum fidei*, gratiæ & ſanctitatis. *Iac. Gottofr. ad l. noſt. in Cod. Theod. f. 6.* Et Damaſum ac Petrum ſecum iungit Ambroſius in allocutione ad Spiritum S. *in proleg. lib. I. de Sp. S.* & Sozomenus *VI. 15.* narrat Apollinariorum hæreſin a Damaſo & Petro, concilio Romæ conuocato, fuiſſe damnatam. Ipſe Hieronymus ab aduerſariis hæreſeos accuſatus vt ſe purgaret, dicit ſe cum Damaſo & Petro credere *epiſt. ad* Marcum *& Presbyterum tom. 3. Iac. Gottofred. d. l. f. 7.*

§. VI. Theodoſius Imperator poſtquam Gratiano quintum & ſeipſo primum conſulibus, a barbaris victoriam reportaſſet anno 380. Theſſalonicam venit & ibi graui morbo decubuit, atque ab orthodoxo Aſcholio Epiſcopo vrbis baptizari voluit: Paucis poſt diebus a morbo recreatus Conſtantinopolin contendit 8. Cal. Decembris *Socrat. L. V. c. 6.* Antequam vero Conſtantinopolin iret, legem noſtram promulgauit *Sozom. c. 4. lib. 7.* quæ lex cum III. Kalendas Martii data ſit,

dicendum foret, quod vel morbus ipſius valde diuturnus fuerit, vel quod ante baptiſmum & morbum legem dederit. Neutrum probabile, nec ipſi Socrati & Sozomeno conſentaneum. Et in eo etiam non conueniunt Socrates & Sozomenus, quod ille referat Theodoſium iam ante baptiſmum de orthodoxa fide ſatis inſtructum, Aſcholium propter orthodoxiam vt ab eo baptizaretur elegiſſe: hic vero narret, Theodoſium ægrotantem per Aſcholium fidei myſteria edoctum eſſe, Chriſto initiatum fuiſſe & conualuiſſe. Igitur mihi videtur veroſimile, Theodoſium fere per totum annum Theſſalonicæ degiſſe, & prima anni quadrante fuiſſe baptizatum morbo laborantem, poſtquam autem ex morbo conualuerit ad finem anni Theſſalonicæ manſiſſe partim ob alias cauſas, partim ad inſtantiam Aſcholii vt in fide corroboraretur, partim, vt effectum legum ſuarum antequam Conſtantinopolin proficiſceretur, ibi expectaret. *Conf. Gottofred. in Chronol. ad d. ann. 380.*

§. VII. Vti vero nullum eſt dubium legem noſtram poſt baptiſmum a Theodoſio latam eſſe, (& quidem veroſimiliter ſuaſu Aſcholii vtpote de quo gauiſus eſt, teſtante Sozom. *d. cap. 4.* quod is ſibi bonus adiutor contigerit;) partim vt zelum ſuum ſuper religio-

ligione teſtaretur (quæ eorum temporum perſuaſio erat) partim vt (forte adhuc ægrotans) eo citius a Deo ſanitatem obtineret; ita quæ Sozomenus *ibid.* de intentione legis noſtræ memorat, non multum vero ſimilia ſunt. Scilicet conſideraſſe Theodoſium, cum audiuiſſet eccleſias orientem verſus omnes tumultuari, ita vt populus in varias ſectas diſtraheretur, maxime autem Conſtantinopoli; conſultius fore, vt prius ſuam de religione confeſſionem ſubditis ſuis ederet, ne opprimere videretur eos, ſi repente religionem ſuſcipiendam præciperet nulla lege circumſcriptam. Propterea igitur legem hanc populo Conſtantinopolitano irrogaſſe, quia putauerit iſthinc velut ex arce totius imperii, reliquis vrbibus breui tempore notum fore reſcriptum ſuum. Facile enim refutatur hæc Sozomeni ratiocinatio ex verbis ipſis legis noſtræ, vel prout ipſe Sozomenus ea retulit. Nulla enim ibi verba confitentis ſed imperantis, & repente imperantis cum ſanctione pœnali, etſi adhuc indeterminata.

§. VIII. Mihi ergo rem ſecundum ſtatum iſtorum temporum & ea quæ Gothofredus in Chronologia ad annos 378. 379. 380. collegit, conſideranti ſic videtur: Erat oriens per quadraginta annos Arianiſmo infectus &

paucisſimi ibi orthodoxi. Ipſe Gratianus eam ob rem vt §. *II.* notauimus, coactus erat lege publica indulgere Arianiſmo. Adſumebatur Theodoſius in partes imperii ſiue tum paganus, ſiue quod probabilius catechumenus. Ipſi in partitione Oriens & Thracia infeſtata a barbaris Arianiſmi defenſoribus obtingebat. Fauebat iam orthodoxis. Sed ratio ſtatus non permittebat, vt ſtatim puplice ſe declararet. Metuebatur defectio ac rebellio populi. Conferebat ſe anno *79.* Theſſalonicam veroſimiliter cum orthodoxis, qui ibi ſuperabant conſilia collaturus. Eodem anno Gratianus Mediolani, vbi Ambroſius epiſcopus erat, reuocabat legem ſuam Arianis indulgentem, partim ne licentia Arianis conceſſa, putaretur pertinere etiam ad partem occidentalem Gratiani, partim vt tentaretur, an quemadmodum indulgentia facta potisſimum in gratiam Orientis, ita etiam ſublatio posſit effectum ſortiri aliquem ibidem. Apponebatur pro more nomen ipſius Theodoſii, qui re male cedente & Theſſalonicæ tutus erat & ſe excuſare poterat, ex ſubſcriptione patere, quod Gratiani hæc lex ſit, ipſo inſcio edita. Accedebat quod illa Gratiani lex obſcure loqueretur Arianos non diſerte notans. Vnde nec multum in oriente tum quidem operata eſt.

Sub

Sub finem anni 79. vincebat Theodoſius Gothos, Alanos, Hunnos, eosque ex Thracia expellebat. Victoriæ nunciabantur 15. Kal. Decembr. Metuebatur tamen motus populi orientalis, ſed metu minore eiectis adiutoribus. Ergo Theodoſius Theſſalonicam ſe conferens, ibique morbo ſiue vero ſiue ficto decumbens, baptizabatur ab orthodoxo. Declarabat ſe hoc modo aperte pro orthodoxis. Tutius videbatur ſubſiſtere Theſſalonicæ & inde legem noſtram præmittere, vt motu ſuborto Imperatoris perſona in tuto eſſet. Noſtra lex populum ſpectabat. Ei adiungebatur alia, vel vt Gottofredus vult, noſtræ pars erat, vel ad eundem populum Conſtant. vel ad præfectum Prætorii relata *l. 25. Cod. Theod. de Epiſc.* notans Epiſcopos, ſed ita obſcuris verbis concepta, vt poſſet, re male ſuccedente, multiplici modo explicari (retulit eam Tribonianus *l. 1. C. de crimine ſacrilegii*, alieno maxime loco, vti omnes leges illo titulo collocatæ. Quamobrem Gottofredus *ad d. l. 25. f. m. 58.* errores an fraudes Triboniani notat.)

§. IX. Iuuat coniecturas noſtras rei euentus. Sperauerat forte Theodoſius legem noſtram & adiunctam ei *l. 25. Cod. Theod. de Epiſc.* maiorem metum in Demophilo Epiſcopo Conſtantinopolitano excitaturam eſſe,

ſe, vt non expectato aduentu Imperatoris ſponte epiſcopatu cederet, eumque cum Presbyteris & Diaconis potioribus Arianiſmo fauentibus deſereret, & Conſtantinopoli exiret. Nam & eam intentionem legis noſtræ fuiſſe, conſiliorum politicorum & rationis ſtatus Clericalis non ignaro, non videbitur vero abſimile. At hæc quidem intentio effectu carebat, cum Ariani manerent, vel putantes, Imperatorem non iturum vltra, vel expectaturi expulſionem, ne mercenarii deſertores ſuis eſſe viderentur. Miſſus etiam ab orthodoxis ex Nazianzo vrbe Conſtantinopolin Gregorius, ſiue ipſe ſponte eo ſe contulit. Referunt enim id ſolum Socrates *l. 5. c. 7.* quod Gregorius in quadam eccleſia perexigua Conſtantinopoli conuentus fecerit, & Sozomenus *l. 7. c. 5.* quod præſederit Conſtantinopoli iis, qui Trinitatem conſubſtantialem profitebantur. Id vero ſimile eſt, quod publico iuſſu Imperatoris eo non ierit. Non poterat ergo non pro ſe ipſum obtrudente haberi ab Arianis. Ita intelligo quæ ſcribit Socrates *lib. 5. c. 7.* quod Gregorius, cum intelligeret quosdam ipſi obſtrepere, quod homo externus & peregrinus eſſet, lætus admodum de Imperatoris aduentu, Conſtantinopoli amplius ætatem degere recuſauerit. An & ipſe

præ-

præſcitu Imperatoris præmiſſus, vt appareret, vtrum Ariani aduerſus eum ſe mouere & ita epiſcopis orthodoxis anſam dare vellent, vt ex regulis politicæ clericalis rebellionis incuſari poſſent.

§. X. Cum vero Ariani nec ſponte loco cedere, nec violentos motus excitare vellent, ſic tamen Theodoſius quod timeret amplius, non deprehenderet, Conſtantinopolin contendit 8. Calend. Decembr. ibique ſine mora Demophilo præcepit, vt aut ex Niceni Concilii decreto religionem propagaret & populum ad concordiam reduceret, aut eccleſiis excederet. Elegit exceſſum: illud euangelii ſuis inculcans: Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Exiit ſimul 6. Cal. Decembr. Lucius epiſcopatu Alexandrino a Petro deiectus (conf. §. IV.) qui hactenus Conſtantinopoli vixerat. Et ſic orthodoxi templa ab Arianis per 40 annos poſſeſſa receperunt, ingrediente ſtatim poſt exceſſum Demophili imperatore. *Socrat. d. l. 5. c. 7. Sozom. d. l. 7. c. 5.*

§. XI. Videbatur iam nihil obſtare quo minus Gregorius Nazianzenus ſedem Demophili occupare poſſet, ſed tamen nec tum eam quiete obtinere poterat, & Nectarius ad id munus electus fuit. Vtrumque negotium obſcure & variantibus circumſtantiis

narrant hiſtorici orthodoxi, ſic tamen vt vbique ſtatus parum Apoſtolicus in eccleſia etiam orthodoxa pelluceat. Ergo paucis ex ipſo Gregorio rem in ſummam contrahamus. Gregorius a iuuentute magis vitæ ſolitariæ deditus alieno animo fuiſſe videtur a functionibus eccleſiaſticis. Cum enim adhuc iuuenis a patre, poſtquam presbyter ab eo eſſet factus, præſul quoque inuitus fuiſſet deſignatus, clam ab eccleſia diſcesſit & Pontum aufugit ad Baſilium, cum quo in academia amicitiam contraxerat. Inde vero patris precibus & ſuaſu, vt videtur, Baſilii reuocatus, Baſilio ad epiſcopatum Cæſarienſem vocato, conſilio iterum Baſilii fit Saſimorum epiſcopus, in vrbe parum commoda, plenaque tumultuum & vrbanarum turbarum, vel ob diſpoſitas ibi equorum ad curſum publicum deſtinatorum ſtationes. Sed & ab hoc loco mox aufugit. Tum autem patris precibus ſe in epiſcopatu Nazianzeno patri ad dies vitæ adiungi patitur: Patre vero mortuo & hanc eccleſiam relinquit aufugiens, epiſcopos adhortatus vt alium in patris locum eligerent. Suſceperat interim Imperium orientale Theodoſius. Ibi ergo, vocantibus eum multis paſtoribus & grege orthodoxo Conſtantinopolin venit, (Demophilo adhuc eccleſiis præſidente) atque ibi

in parua domuncula, vel ob paruitatem neglecto templo, poſtea Anaſtaſia dicto, cœpit colligere orthodoxos aut fauente aut diſſimulante Imperatore, inuitis & frendentibus Arianis multas, vt videtur, inſidias ipſi ſtruentibus; quorſum refero, quod refert, ſe lapidibus fuiſſe petitum, & iniuſte tanquam cædis reum coram prætoribus accuſatum. Magis tamen aduerſos ibi deprehendit alios orthodoxos, ipſi paupertatem, peregrinitatem, mores ſeueriores, exprobrantes, atque ambitione maxima inhiantes epiſcopatui Conſtantinopolitano vt bolo maxime opimo. Inter hos Maximus Philoſophus Cynicus, patria Alexandrinus Conſtantinopolin veniens & multa de martyriis ſuis mentiens Gregorio (admirando eum adulatorie, & laudando eius orationes, & debacchando in Arianos) ſe ita inſinuauit & familiarem reddidit, vt hic in laudem ipſius publice ad populum haberet orationem. Hic deſiderans clanculum & per inſidias epiſcopale ſolium Gregorium inuiſum reddit apud Petrum Alexandrinum Epiſcopum, qui iam literis confirmauerat electionem Gregorii. Mittit hic ſeptem Clericos Conſtantinopolin, cum annona eo deportaretur, quos pariter oratione honorifica excipit Gregorius. Iſti auro a Maximo corrupti nocturno tempore con-

convocata quadam ex vili plebe turba in templo, Maximum inſciis reliquis de clero inueſtire incipiunt, ſed die appropinquante a clero & populo concurrente, & ægre ferente etiam Arianorum ſecta hoc facinus, *in* propoſito ſuo turbati ſecedunt in ædes propinquas choraulis cuiusdam & ibi cum plebe ſibi adhærente ſcelus peragunt. Populus etiam Gregorio iraſcitur, quod Maximum publice commendauerit. Maximus Imperatorem adhuc Theſſalonicæ degentem *adit*, eiusque confirmationem petit, reiectus ad Petrum tendit, ſed & ibi inuiſus Alexandria pellitur. Gregorius factum illud indigne ferens diſceſſum meditatur, ſed valedictoria ſua oratione iterum cœtum mouens, eius eiulatu & obteſtationibus promittit ſe *manſurum*, donec alius epiſcopus ab epiſcopis, qui aduenturi ſperabantur, veniret. Interea venit Conſtantinopolin Theodoſius & in priuato colloquio Gregorium ad epiſcopatum vocat, ægre ferentibus Arianis maxime, vt qui templum reſtituere deberent, ſed minitantibus ſaltem Gregorio, Imperatori vero ſupplicantibus & publice eiulantibus, vt plateæ clamoribus & lacrymis repletæ fuerint, ac ſi vrbs ab hoſte capta eſſet. His tamen non obſtantibus, Gregorius cum Imperatore & cœtu ſuo templum vrbis ſole obnubilato intrat,

trat, mox tamen precibus ſuis ſereno. Ex priori Ariani omen facti illiciti, ex poſteriore orthodoxi facti Deo placentis ſumebant. Rogabatur Imperator vt Gregorium in ſolium collocaret. Hic per alium (cum ob metum & imbecillitatem corporis ipſe non poſſet) populum admonet, vt gratias Deo agerent pro reddito templo, inueſtituram vero ad aliud tempus differrent. Delinito ita populo, Gregorius tamen euitare non potuit, quin paulo poſt nolens & repugnans ab epiſcopis in idem ſolium collocaretur. Interim Gregorius aulam viſitabat a moribus aulicis alienus, & auaritiam familiarium Imperatoris obſeruans, admittentium ad Imperatorem, qui darent munera, reliquos Gregorio ſimiles excludentium, condonabat etiam iuueni, qui ipſum necare decreuerat, vt adſtantes dixerunt, culpam criminis. Conuocabatur interim Conſtantinopolin Synodus a Theodoſio, interque epiſcopos eo venientes erat etiam Meletius Epiſcopus Antiochenus Gregorio maxime fauens: Hoc autem mortuo, ſimultatibus variis inter Epiſcopos ortis, etiam Gregorio inuidentibus quibusdam, & triſepiſcopum eum calumniantibus, ipſe eos adhortatur vt alium eligant, & ſentiens, hanc propoſitionem Epiſcopis non eſſe ingratam, ex conſueta domo, cum

in-

indignatione tamen & lacrymis populi, ipſiusque proprio affectu populi miſerente decedit, & tandem Ægyptiis epiſcopis ipſi maxime aduerſantibus oratione ad Epiſcopos epiſcopatum reſignat ac a Theodoſio dimiſſionem impetrat, atque ſic mixto ex lætitia & mœrore affectu Arianzum ſecedit, ibique priuatam vitam degens & aduerſus Apollinariſtas docens moritur. *vide Gregorium Nazianzenum carmine de vita ſua, iuncta vita eius a Gregorio presbytero deſcripta. Confer. Orationes Nazianzeni 33. 34. 35. Socrat. V. 7. 8. Sozom. VII. 5. 7. Theodor. V. 8.*

§. XII. Ac mihi quidem omnia iſta conſideranti Gregorius moribus talibus videtur fuiſſe præditus, qui quidem plebem in admirationem traherent, parum vero ſe Principibus & optimatibus probarent. Vnde non mirum, quod non obſtantibus eius in eccleſiam orthodoxam meritis, libenter & nemine retinente, fuerit ex iſto epiſcopatu a Theodoſio dimiſſus. Etſi enim Canones eccleſiaſtici ab Epiſcopis Gregorio aduerſis potiſſimo prætextui ſumti ſint, quod ob vitandam ambitionem epiſcopus ab vna ſede ad aliam non debeat transferri, (*Theodor. V. 8.*) & Gregorius haud dubie ambitionis accuſatus fuerit, quaſi Nazianzenum epiſcopatum reliquerit, vt Conſtanti-

no-

nopolitano, tanquam opimiori potiretur; etſi etiã in ipſo concilio inter alia veroſimiliter in odium Gregorii, deciſum vel potius renouatum fuerit, vt nullus epiſcopus relicta ſua diœceſi ad exteras eccleſias demigraret (*Socrat. V. 8.*) & eo haud dubie reſpexerit Sozomenus, dum (*VII. 7.*) Gregorium laudat, quod repoſcentibus epiſcopis depoſitum reddiderit, Synodum vero excuſat, quod non obſtante quod alius epiſcopus tum Conſtantinopoli non eſſet, & quod Nazianzi alius epiſcopus ordinatus eſſet, tamen & patrias leges & eccleſiaſticam ordinationem obſeruans, quod dederat a volente receperit; tamen obſeruationem canonum ſolum prætextum fuiſſe vel id probat, quod ſecedente Gregorio, contra canones Nectarius vir ſenatorius, & prætor nondum baptizatus a Diodoro Tarſi epiſcopo & epiſcopo Antiocheno inter candidatos relatus, ab Imperatore omnibus admirantibus & reluctantibus electus & confirmatus atque denique cedentibus Imperatori epiſcopis, baptizatus & inueſtitus fuerit. Quod factum vti canonibus eccleſiaſticis magis repugnabat, quam ſi Gregorius in ſede relictus fuiſſet, ita miſeras rationes conquirit Sozomenus (*VII. 8.*) quomodo & epiſcopos Nectarium inter candidatos referentes, &

Im-

Imperatorem eligentem excuſet, in illis ignorantiam valde improbabilem & vincibilem ſupponens, in hoc pro more ſeculi, ad monitum diuinum & miraculum recurrens. Socrates vero (V. 8.) in impetu populi refugium quærit, reluctantibus tamen circumſtantiis facti a Sozomeno narratis. Scilicet politicæ aulicæ & clericalis maxime ignarus eſſet, qui non videret, Theodoſium quæſiuiſſe epiſcopum ſibi obnoxium & politicis moribus inſtructum, Gregorium vero tanquam ſolitarium, a moribus aulicis alienum, timidum, parum circumſpectum in factis propriis, inconſtantem in determinandis actionibus &c. ipſi ad hunc finem parum aptum fuiſſe viſum, adeoque ſecedente Gregorio, colluſiſſe cum epiſcopis Tarſenſi & Antiocheno, vt Nectarium hominem diu ſibi cognitum & ad guſtum plane inter candidatos nominarent, vt inuidiam facti cum iſtis epiſcopis partiri poſſet: Epiſcopos vero reliquos fiduciam magis in Imperatore quam in DEo aut canonibus ponentes, libenter ceſſiſſe imperatori, partim ob inuidiam communem, & quia hoc pacto Gregorius ſaltem maneret excluſus & nullus ex epiſcopis ambientibus alteri eſſet prælatus, partim in odium hæreticorum, quia ſentirent Nectarium talem eſſe, qui in hoc

momento facile ſuppetias iis laturus eſſet.

§. XIII. Et geſta quidem ſunt iſta anno 381. in concilio Oecumenico Conſtantinopolitano, quod a menſe Maio durauit ad VII. Id. Iulias. Interim vero Imperator qui circa finem anni præcedentis in fine Nouembris vt vidimus, Arianis templa ademerat, non quieuit, vel potius quies ipſi ab Epiſcopis permiſſa haud eſt, ſed ipſe ad alias & duriores leges aduerſus hæreticos & paganos in fauorem eccleſiæ orthodoxæ publicandas adductus fuit. Scilicet etſi Epiſcopi Ariani eccleſiis ceſſerant, permiſerat tamen Theodoſius vel natiua bonitate, vel metu rebellionis, vt Ariani conuentus publicos agerent, & de Deo ac eius eſſentia publice diſputarent. Ægre hoc ferebant orthodoxi & frigiditatem Imperatoris in fide id interpretabantur (Gregor. Naz. *de vita ſua* Theodoſium virum non malum dicit, ſed tamen non magno zelo præditum; *& in altera oratione de ſe ipſo f. 339. ſeq.* talia profert, quæ veroſimiliter teſtantur, quod de Imperatore & eius conſiliariis non magnifice ſenſerit) præprimis cum Eunomium diſputatorem famoſum audire cuperet, igitur per Placillam Imperatricem eum a propoſito diuertunt, & audaci Amphilochii, Arcadio filio Impera-

toris honorem denegantis, facto, firmiorem in fide reddunt (vt interpretatur *Sozom. VII. 6.*) ego mallem dicere, in alteram timoris partem trahunt, vt ipſos magis quam Arianos metueret. Vnde IIII. Id. Ian. anni 81. legem promulgauit, qua Nicenæ fidei formula propoſita, hæreticorum, veluti Photinianorum, Arianorum, Eunomianorum, cœtus intra oppida prohibuit, caſſatis reſcriptis, quæ per fraudem elicita fuerunt. Extat hæc lex *l. 6. C. Theod. de hæret.* & ex parte *l. 2. C. Iuſt. de SS. Trinit.* & ad eam reſpexiſſe videtur Sozom. *VII. 6. in fine.* Vtque clericos ſatis ſibi deuinciret, edidit prid. Kal. April. conſtitutionem, quod clerici cenſu capitationis debeant eſſe exemti *l. 26. C. Theod. de Epiſc.* [quæ quidem lex a codice Iuſtinianeo abeſt ſed canonizata eſt *can. 23. §. vniuerſos C. 23. q. 8.*) apoſtatis qui ex Chriſtianis pagani facti eſſent, ius teſtandi ademit VI. Non. Mai. *l. 1. C. Theod. de Apoſtatis* (iterum in Cod. Iuſt. omiſſa) & contra Manichæos legem ſanciuit, ius teſtandi, ſuccedendi ac ſepulturam honeſtam ipſis adimentem VIII. Id. Maii. *l. 7. C. Theod. de hæreticis* (Iuſtiniano pariter non memorata) Porro poſt concilium Conſtantinopolitanum XIV. Kal. Aug. Eunomianis, Arianis, Aerianis per orientis diœceſin eccleſiarum in ciuitatibus vel agris fabricandarum

rum poteſtatem ademit *l. 8. C. Theod. de hæret.* (iterum non apparente in cod. Iuſtinianeo) & porro III. Kal. Auguſti ad præſcriptum ſynodi Conſtantinopolitanæ per diœceſin Aſiæ fidem Catholicam lege lata inſinuatum iuit, nominatim aduerſus Macedonianos, eccleſiis tradi iuſſis Catholicis, hæreticis contra inde pelli iuſſis, idque prælato vndecim tum temporis epiſcoporum catholicorum exemplo, ſic vt eos Catholicos cenſeri vellet, qui iis communicarent *l. 3. de fide Catholica* (rurſus a Triboniano omiſſa) quam & memorat Sozomenus *VII. 9.* conf. Socrat. *l. 5. c. 8.* Tandem eodem anno XIII. Cal. Ian. in paganos conſtitutionem edidit, prohibitis per orientem ſacrificiis diurnis, nocturnis nominatim ad conſulenda incerta & futura. *l. 7. C. Theod. de Paganis*, nec memorata in codice Iuſtinianeo. *Confer. Iac. Gothofr. in Chronol. Cod. Theod. ad dictum annum & in notis ad dictas leges.*

§. XIV. His ita præmiſſis, videtur commode legis noſtræ *ſumma* ita exponi poſſe: Voluiſſe Theodoſium, vt omnes eius ſubditi ſequantur fidem Nicenam, eiusque aſſertores in poſterum nomine Chriſtianorum Catholicorum gaudeant, reliqui vero & potiſſimum Ariani hæretici audiant, & pœnæ arbitrariæ imperatoris ſubiici debeant.

 §. XV.

§. XV. Excedit vero hæc lex aperte poteſtatem Imperatoris, & officia Principis cum officiis Doctoris miſcet. Docendo errores in fide oppugnantur, non imperio. Articuli fidei & iudicium de iis pertinet ad interna eccleſiæ, non ad externa. Religio non poteſt cogi. Hæreticum non facit diſſenſus in religione, ſed vt Tom. II. obſerv. vidimus, error tendens ad ſtabiliendam vitam impiam. Orthodoxia non determinatur gladio, ſed vi amica corda inuadit humana. Ergo hæc lex ſapit iam principia Anti-Chriſti i. e. perſecutionem ob diſſenſum in religione, quam ignorant mores Apoſtolici. Ergo eius vſus non debet eſſe apud Proteſtantes.

§. XVI. Sed expende iam, quam hi papizent. Habita fuit Lipſiæ anno 48. huius ſeculi ſub præſidio Polycarpi Wirthii diſputatio ad hanc legem, vbi incaute ex ICtis Pontificiis aſſeritur ex hac lege, *principem poſſe præſcribere credenda ſubditis ſuis*, & quidem rationibus miſere cohærentibus, [1] finem principis Chriſtiani eſſe etiam ſalutem æternam ſubditorum, inde fluere ius Principis circa ſacra, *th. 13. 14. 15. 16. 47.* Falſiſſimum hoc eſt. Finis Principis idem qui finis Reip. at huius tantum pax & tranquillitatis temporalis. Salus æterna eſt finis Doctorum eccleſiæ. (2) Hanc curam iam obtinuiſſe tem-

tempore Conſtantini M. *th*. 17. 48. Sed ſupra Tom. I. & II. oſtenſum, iam tempore Conſtantini inuaſiſſe eccleſias Anti-Chriſtum, adeoque officia Principis & doctorum iam illo tempore fuiſſe confuſa. (3) Fide inſtruere pertinere ad internam poteſtatem eccleſiæ, de qua Imperator nihil vſurpare debeat *th*.19. & tamen externam Principis poteſtatem ſimul comprehendere ad cultum pertinentia, cum multæ leges in noſtro iure diſponant de fide & ſacris myſteriis. *th*. 20. Quis hanc contradictionem connectat? (4) Diſſenſiones in religione parere rebelliones in Rep. *th*. 24. 25. Reſpondeo. Diſſenſiones id non pariunt, ſed licentia cleri diſſentientes iniuria afficiendi, hac ſublata nulla erit rebellio. (5) Ne Theodoſius ſupprimere ſubditos videretur, monendos eos duxiſſe prius, cum omnis in fide error monendo magis tollatur quam minando. *th*.26. Et hoc potius pro nobis eſt. An vero huc ſpectet vox *Clementiæ* ex l. noſtra, vt idem autor voluit *th*.27. ego valde dubito. (6) Primum Theodoſium videri ſtabiliſſe axioma, quo etiamnum vtuntur hodie Politici: Cuius eſt regio, illius eſt de religione diſpoſitio *th*. 28. ſed præterquam vt ſupra dicta oſtendunt, Conſtantinum iam talia vſurpaſſe; illo inſuper axiomate, in hoc quidem ſenſu, quo affertur, v-

tuntur nonniſi papizantes Politici & ICti, præprimis cum autor fateatur, ſumi hic religionem pro articulis fidei. *th. 30.*

§. XVII. Sed huic autori facile condono. Erat enim tum temporis Iurisprudentia noſtra valde occœcata. Magis doleo *B.* Struuium iſtis floſculis ICtorum Papiſticorum ſibi imponi fuiſſe paſſum, vt *in Iure ſacro Iuſtinianeo* ſtatim ab initio ex hac lege noſtra quæſtionem; An Princeps habeat poteſtatem iniungendi ſubditis religionem ac iubendi credendos articulos fidei; affirmatiue definiret. Quid audeant leguleii & rabulæ, ſi tales lapſus committant viri & doctrina & autoritate eminentes? Scilicet hi ſunt fructus Philoſophiæ Ariſtoteliis, qui a Struuio in ſubſidium affertur, quod ſtatuat *VII. Polit. VIII.* curam rerum diuinarum ſpectare ad maieſtatis iura. Ita æque inconuenienter Wirthius *th. 50.* in Imperio Romano ſtatum religionis publicæ ſemper ab Imperatoris arbitrio pependiſſe, idque ius ab Auguſto primum ſibi vindicatum, etiam Chriſtianos Imperatores vſurpare veritos non eſſe.

§. XIIX. At opponuntur tamen a Struuio pro ſtabilienda ſua ſententia textus ex Scriptura S. Deuter. XVII, 18. 3. Reg. XVIII, 4. XXIII. 4. Eſa. XLIX., 23. Reſp. 1. illos textus plane nihil probare. 2. Si maxime argu-

gumentum contortum exinde quis conficeret, a ſtatu tamen Eccleſiæ & Reip. Iſraeliticæ ad remp. & eccleſiam Chriſtianam, N. V. C.

§. XIX. Vlterius non obſtat quod Wirthius vrget *th. 50.* imitatos eſſe exemplum Theodoſii in Germania Carolum M. in Conſtit. contra hæreticos, Carolum V. Imperatorem in libro interim, & Principes ac ſtatus Proteſtantes in A. C. & F. C. Reſp. Caroli M. tempore iam regnabat Anti-chriſtus, ex cuius conſiliis etiam prodiit interim Caroli V. Principes & ſtatus proteſtantes in A. C. confesſionem ediderunt, non legem, quod docent verba: Wir lehren/ oder/ es wird bey uns gelehret. Formula vero concordiæ a Theologis Saxonicis ex principiis politicæ clericalis papizantis, vt vim legis haberet, confecta fuit. Ergo non exemplis iudicandum, ſed legibus.

§. XX. At, inquiunt, & leges imperii adſunt. Prouocat Struuius *p. 2.* ad Rec. Imp. Auguſt. de ann. 1525. §. Und nachdem 1. (*f. m. 190.*) Wirthius *th. 17.* allegat Rec. Imp. Spir. de anno 1544. §. Erſtlich der ſtreitigen Religion 77. (*f. m. 381.*) Rec. Imp. Wormat. de anno 1545. §. dieweil wir aber 7. (*f. m. 390.*) Rec. Imp. Auguſt. de anno 1548. §. Nachdem auch im berührten Rathſchlage 13. (*f. m.*

 400.

400.) Porro Struuius etiam ad nouiſſimas leges inſtrumenti pacis Monaſterienſis *art. 5. §. 1. & 13.* ſe refert.

§. XXI. Hic in genere notandum 1. In materia de religione videndum ad leges diuinas, non humanas. Fides enim tota opus Dei eſt. Pertinent huc ex cantilena: O HErre GOtt dein göttlich Wort ꝛc. *verba*: und wolten gleich Pabſt/ Käyſer/ reich ꝛc. 2. Conſiderandum, quod in receſſibus ſuperioris ſeculi ſub Carolo V. &c. habitis non pauca ſint, quæ in præiudicium ſtatuum proteſtantium non poſſint allegari, nec ab iis pro lege vniuerſali agnoſcantur, quia in cauſis religionis pluralitas votorum non attenditur, & multa adeo in iſtis receſſibus ex hypotheſi religionis pontificiæ poſita ſint. 3. Sæpiſſime in allegatis textibus mentio fit, quod controuerſiæ religionis debeant amicabiliter componi, (non autoritate imperatiua definiri) 4. Non confundendum eſt ius imperandi articulos fidei cum clauſula ſanctionis pœnalis, item cum iure emigrationem diſſentientibus imponendi &c.

§. XXII. His præmiſſis in ſpecie quod Receſſum Imp. de anno 1525. attinet, is ſaltem receſſus quaſi interimiſticus eſt, ob verba proœmii: Dieweil kein Chur-Fürſt/ Fürſt/

und

und der weniger Theil Prælaten, Graffen/ Herren und des Reichs-Stätt perſönlich/ auch eines theils weder für ſich ſelbſt noch durch ihre vollmächtige Bottſchafft erſchienen ſeynd ꝛc. Deinde §. I. eiusdem receſſus ſatis aperte papizare patet ex verbis. Und nachdem etwann viel Prediger das heilig Evangelium und Wort GOttes in mancherley Meynung zuziehen und zu theilen unterſtehen ꝛc. nach rechtem wahren Verſtand und Auslegung deren von gemeiner Chriſtlichen Kirchen angenommenen Lehren/ohne Auffruhr und Aergerniß ꝛc. quæ verba valde miror, cur Dominus Struuius omiſerit, præſertim, cum, ſi ipſe textum inſpexerit, non potuerit non ſaltem illa poſteriora ſtudio omiſiſſe. Adde quod ille paragraphus non tam iubeat credendos articulos fidei, de quo tamen Struuius formauerat quæſtionem, quam interdicere primario videatur ſcandala & rebellicas conciones, quod ad iura Principum pertinere non eſt dubium.

§. XXIII. In receſſu imperii de anno 1544. d. §. 77. dicit quidem daß der Zweyſpalt der Religion nunmehr dermaßen beſchaffen/daß nichts anders daraus denn Verderbniß und Untergang des H. Reichs Teutſcher Nation zugewarten. Sed propterea non inferen-

dum, diſſenſum cauſam fuiſſe, verum potius odia & iniurias diſſenſui huic iunctas, ſed tamen ſeparabiles. Deinde dicitur, quod Imperator vi officii imperatorii promouere debeat, vt religiones diſſentientes per quæcunque Chriſtiana media componantur, & in § §. ſequentibus dicitur, in comitiis id fieri non poſſe, ſed opus ad id eſſe concilio generali &c. quæ omnia non inferunt coactionem imperii ex parte Imperatoris.

§. XXIV. Similiter §. 7. Receſſus de anno 1545. mentionem ſaltem facit iterato compoſitionis eines Vergleiches & colloquium eum in finem proponit. Ac denique §. 13. Rec. 1548. quamuis aperte ſaltem mentionem faciat ceremoniarum etſi adiaphorarum, de quo non eſt quæſtio, tamen haud dubie reſpicit ad interim eodem anno publicatum (*in Receſſ. f. 418.*) vnde a Lutherano ICto nequaquam allegandus erat.

§. XXV. Denique quid ex art. V. Inſtrum. Pac. §. 1. & 13. Dn. Struuius pro probanda aſſertione ſua afferre velit, non video, cum totus articulus loquatur de tolerantia trium religionum & pace Politica, non de determinatione articulorum fidei.

§. XXVI. Debuiſſent adeo ICti Proteſtantes eo magis abſtinere a poſitione theſeos papizantis ex hac lege noſtra illatæ, quo aper-

pertius ICtus Pontificius Cornelius a Rynthelen *in Iuriſta Romano Catholico Cap. 6. quod de fide Catholica inſcripſit p. m. 16.* primam partem legis noſtræ pro fundamento iſtius capitis poſuit, ex quo per totum caput contra Euangelicos diſputat. [a])

§. XXVII. Idque magis adhuc patet ex gloſſis & obſeruationibus parum aptis ICtorum Pontificiorum, quas ſummatim exhibebimus. Cum hæc lex prima ſit in ordine in Codice noſtro, inde gloſſatores eam dixerunt eſſe filiam primogenitam ampla cum dote producendam: id eſt: occaſione verbi initialis *cunctos populos*, & inſcriptionis quod lex data ſit ad Pop. Conſtantinop. tractarunt fuſiſſime de ſtatutis & quatenus alii ex ſtatutis loci teneri poſſint. *Wirth. th. 5. Iac. Gothofred. hic f. 9,* Quas ineptias vti quidem notauit B. Brunnem. ad h. l. ita tamen mirandum quod præter eandem quæſtionem nihil ad hanc legem noſtram obſeruet. Similis ob-

a) In ſecundis curis euoluendi Carpzouius & Schilterus, apud quos haud dubie ſimilia papizantia ex Iure Iuſtinianeo ſunt retenta. Præprimis cum talia occurrant ap. Brunnem. *in Iurispr. Eccleſ. lib. I. c. 2. §. 2. 5. 6. 7. 12.* & paſſim, vbi etiam citantur Zieglerus, Conringius, Auguſtinus. Ipſe ego in diſſertatione de coniug. Princ. Lutheran. & Reform. adhuc communem errorem erraui & plus ibi principibus aſſerui, quam decet.

obſeruatio eſt, cum ex voce: *cunctos* populos, obſeruant: omnes populos imperatori ſubeſſe. *Godofr. f. 9.*

§. XXIIX. Cum dicitur *Petrum religionem tradidiſſe Romanis*, inde quidam probare volunt, Petrum Romæ fuiſſe; alii per Romanos intelligunt ſubiectos imperio Romano. *Wirth. th. 33. 34. 35.* Item ex verbis: *vsque nunc inſinuata*: inferunt Romanos in religione ad tempora Theodoſii manſiſſe incorruptos. *Wirth. th. 36.*

§. XXIX. Occaſione *Damaſi* & *Petri Alexandrini* multa de horum integritate & orthodoxia notant Wirth. *37. 38. 44.* Iac. Gothofr. *f. 7. 8.* qui tamen addit, Baſilium per hæc tempora fuiſſe conqueſtum, vt de cæteris occidentalibus, ita & de Damaſo ipſo, quaſi orientalium eccleſiarum ſtatum tum miſerrimum ad curam ſuam minus reuocaverit. Et facile patet ex dictis §. 4. ſupra, Damaſi & Petri Alexandrini mentionem vel ideo factam, vt id eo magis pungeret Demophilum Epiſc. Conſtant. Arianum, & Lucium a Petro deiectum, tum apud Demophilum degentem, *Conf. ſupra §. 10.* Similis modus pungendi heterodoxos fuit obſeruatus *in l. 3. C. Theod. h. t.* vbi primarii epiſcopi vndecim Concilii Conſtantinop. Macedonianos condemnantes nominantur, ad quorum do-

doctrinam orthodoxia examinari debeat, quos inter & Timotheus Petri Alexandrini frater & ſucceſſor, qui tamen paulo poſt contra Chryſoſtomum multas turbas mouit & Origeni fuit infeſtior; vt prolixe narrant Socrates *lib.6.* & Sozom. *lib. 8.*

§. XXX. Etſi vero & aliæ rationes ſubeſſe potuerint, cur Imperator Damaſi & Petri mentionem hic fecerit, v. g. quod Nicænæ fidei tanquam tum in oriente nimis inuiſæ mentionem expreſſe facere noluerit, *Iac. Gothofr. hic f. 5.* vel vt populo conſtet, quos doctores in fide ſequi debeant, *Wirth. th. 40.* id tamen nimis ieiunum eſt, quod Pontificii ICti ex hac lege deducere voluerunt, quod ſi quis interrogaretur de fide, ſufficiat reſpondere, ſe credere, ſicut SS. Romana eccleſia, nec habeat opus explicite reſpondere de ſingulis articulis, niſi ſit rector aut Prælatus, quod & fecit Cornel. a Rynthelen in Iuriſta Romano-Cathol. *d. c. 6. f. 8.* abſurditatem vero illam notarunt ex noſtris *Wirth. th. 39. Struuius d. l. p. 3.*

§. XXXI. Similis obſeruatio inepta Merceri: tradi in hac lege tres notas veræ religionis, antiquitatem, verbis *Petrum Apoſtolum*, conſtantiam, in verbis *ad nunc*, & vniuerſalitatem in verbis *& Petrum Alex. Epiſc.* quod præter Wirthium *th. 41.* etiam notauit Iacobus

bus Gothofredus *fol.9.* Neſcio tamen annon ſimilem notam mereatur ipſa Gothofredi obſeruatio *f. 6.* Petrum Alexandrinum virum Apoſtolicæ ſanctitatis vocat, tacita, vt videtur, oppoſitione Damaſi & Romanæ Eccleſiæ quæ ab Apoſtolo fundata fuit, ſicut Alexandrina a Marco Euangeliſta; quo pertinent mox illa: *Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicamque doctrinam.* Eadem dicenda de alia Iac. Gothofredi nota *f. 8.* exſculpentis ex hac lege quinque prærogatiuas Romanæ ſedis, quæ apud ipſum legi poſſunt.

§. XXXII. *Catholici* vocem hic pro orthodoxo ſumi, non pro vniuerſali, quia opponatur hæretico, recte videntur aſſerere Iac. Gothofr. *hic f.9.* Coraſius *ad h. l. n.14.* etſi diſſentiat non ſolum Autor Iuriſtæ Catholici *p.17.* ſed & Anonymus Lutheranus *adiunctus Struuii Iuri ſacro p. m. 141.* quia Lutherus vocem Catholici, quatenus hæretico opponitur, exponat pro vniuerſali. Iſta vero expoſitio miſeria digna, per Catholicos intelligi Romanos, & ICtos adeo ſectarios, ſi huic legi ſatisfacere velint, debere redire ad Romanam Eccleſiam. *Autor Iuriſt. Cathol. f. 17. 18.*

§. XXXIII. Per *reliquos* intelliguntur Ariani, Macedoniani, Eunomiani *Wirth. th.58.* potiſſimum vero Ariani, vt contra quos euidenter lex noſtra lata eſt, quique propterea,

ſi

ſi vera eſt coniectura *Wirthii th. 45.* per Imperatores Gothicos in legibus Hiſpanorum, in prima lege ſub pœna mortis prohibuerunt, ne coram Iudicibus allegetur lex Imperialis. Et vel ratio temporis refutat ſententiam Alciati, latam eſſe hanc legem contra Macedonianos. *Gothofr. f. 6.*

§. XXXIV. Ad papizantes obſeruationes etiam refero *notas* 5. hæretici ex hac lege Wirthio *th. 60.* exſculptas 1. vt habeat dogma non conforme Apoſtolicæ eccleſiæ, 2. diverſum a dogmatibus eccleſiæ Catholicæ, 3. novum, 4. continens impium & blaſphemum errorem in articulo fidei fundamentali & ad ſalutem æternam neceſſario, 5. pertinaciam in defendendo errore poſt admonitionem & legitimam eius condemnationem ab eccleſia factam. Sunt enim iſtæ notæ partim obſcuræ, partim falſæ, partim a Pontificiis aduerſus Euangelicos excogitatæ.

§. XXXV. Grauius Papizat illatio Wirthii & ex parte contorta eſt, quando *th. 63. 64. 65.* ex hac lege infert iuſtitiæ legem poſtulare, vt hæretici puniantur pœnis temporalibus arbitrariis, quæ etiam vsque ad corporis afflictiuam & mortem poſſit extendi (bene tamen feciſſe Theodoſium, quod hac in lege nullam certam pœnam determinauerit, quia

ea

ea ob hæreticorum varietatem conſtitui non poſſit) etſi pro ſua ſententia adduxerit leges ex Iure Ciuili & Canones ac capitula ex Iure Canonico, adiuncta autoritate Carpzovii *Pr. Crim. P. l. 9. 44. n. 47.* Ipſe enim ſe refutat in verbis quibus diſſertationem ſuam claudit: *ad hæreticorum correctionem validiſſimam eſſe pœnam: doceri:* vnde M. Aurel. Imperat. *l. 9.* dixiſſe: *ſi potes, dedocendo priora, meliora doce: ſi non potes, memento, in hoc tibi lenitatem datam eſſe.* Surget aliquando Imperator iſte ethnicus, & condemnabit hanc generationem.

§. XXXVI. Denique ex hac lege Struuius *d. l. p. 3.* notat: Principis poteſtatem circa ſacra eſſe verbo diuino adſtrictam, adeoque in iudicando & ſtatuendo de religione & eccleſiaſticis cauſis Theologorum conſilio eos vti debere *d. l. noſtra* verbis: *quem diuum Petrum Apoſtolum &c.* Verum eſt, Theologos in exercitio iuris circa ſacra in *conſilium* adhibendos. Deductio vero huius aſſertionis ex iſtis verbis legis maxime contorta eſt, vti ſunt multa, ſi non pleraque argumenta ICtorum, cum citant *argumenta legum.*

OBSER-

OBSERVATIO XIX.

AD
L. II. C. DE SVMMA TRINITATE

SVMMARIA.

Circumſtantiæ legem antecedentes & conſequentes. §. I. *Correctio verborum in textu* §, II. *Error Accurſii & Alciati.* §. III. *Vſia ſubſtantiæ & eſſentiæ.* §. IV. *Quid ſignificet in lege: apertis criminibus denotari?* §. V. *Occaſio & intentio legis* §. VI. *Tempus quo lex hæc ſit publicata* §. VII. *Eſſe hanc legem papizantem* §. VIII. *Notantur Struuius*, §. IX. *Suendendörfferus*, §. X. *Brunnemannus.* §. XI. *Contortum argumentum legis de meretricibus ex vicinia expellendis*, §. XII.

§. I.

Circumſtantias hiſtoricas hanc legem antecedentes & conſequentes vt & eius ſententiam iam expoſuimus *ad l. præced. potisſimum* §. *XIII.*

§. II. Quod verba legis attinet, præter varias lectiones alias a Gothofr. *ad l. 6. Cod. Theod. de Hæret. p. 118.* notatas, hic de præcipuis notandum. (1.) In *h. l. in fine princ.* omiſſum eſſe integrum §. (qui *in C. Theod.* adiicitur) Photinianos, Arianos & Eunomianos

expreſſe nominantem. (2) in §. I. loco verborum: *quem ex ſummo &c. accipimus* legi in C. Theod. *qui id quod ex ſummo rerum parente ſperamus, accipimus.* Sed recte moneri a Gothofredo: legendum eſſe: *a quo id quod &c.* vt adeo hic locus nequaquam pertineat ad proceſſionem Sp. S. vti Accurſius interpretatus eſt. (3) ibidem: loco: *fidei ſenſus viget & incorruptæ*, legendum: *fidei ſenſu viget incorrupta* (4) pro ὁμουσία legendum οὐσία.

§. III. Decepti igitur Accurſius & Alciatus, dum ille putauit, hoc loco confirmari Græcorum errorem de proceſsione Sp. Sancti a ſolo patre, hic vero ſubintelligendum eſſe voluit in lege: *& a filio.*

§. IV. Quod de οὐσία ſubſtantiam denotante hic addit, notum, reſpicere ad dogma de vnitate eſſentiæ & trinitate perſonarum. Conf. Iac. Gothofr. *hic f. 119. ſeq.* Sed nondum erutum diſtincte eſt, quænam fuerat, diſtinctio accurata apud Græcos, ex qua diſpici poſſit, quatenus οὐσία denotat eſſentiam, quatenus ſubſtantiam. Nam v. g. apud Platonem credo illum diuerſum vſias ſtatum, non occurrere. Nec deprehendo etiam apud Ariſtotelem &c. *vid. quæ dixi in diſput. de quæſtione quid eſt accidens?* §. *1. & 2.* Addo: Aut nulla eſt differentia inter vſiam eſſentiæ & vſiam ſubſtantiæ; tum cadit tota doctrina,

præ-

prædicamentalis Ariſtotelica, in qua accidentia etiam ſuam habent eſſentiam, cadit diſtinctio ſimul inter accidens prædicabile & prædicamentale; aut eſt differentia illa quæ in philoſophia inculcatur, tum difficultates iſtæ oriuntur; an debeamus dicere Deum habere vnam eſſentiam, an vnam ſubſtantiam: item Chriſtum eſſe conſubſtantialem patri, vt canimus in ſymbolo Nicæno, an coeſſentialem &c. An vero nihil interſit, ſi iſta philoſophice diſtinguenda promiſcue hic vſurpemus.

§. V. Dum iubentur hæretici *ſuis apertis criminibus denotari*, non ſignificatur, quod debeant infames eſſe, ſed vult, quod debeant non orthodoxi dici ſed hæretici aut Ariani, Eunomiani &c. Conf. Gothofr. *f. 118.*

§. VI. Haud dubie vero Theodoſius hanc legem tulit, ad inſtigationem Amphilochii (de qua iam ſupra *Obſerv. præced.* §. *XIII.*) quamuis circumſtantias facti aliter recenſeat Sozomenus *lib. 7. c. 6.* aliter Theodoretus *L. 5. c. 16.* adeoque primario quidem lex eo tendit, vt non ſolum Conſtantinopoli, ſed & in reliquis oppidis Ariani nullos debeant conventus agere. Propterea tamen non video, cur dici debeat cum Gothofredo *f. 119.* eos hiſtoricam veritatem huius legis neſcire aut non attendere, qui hanc legem habere quo-

que locum in extraurbanis congregationibus hæreticorum, prodant. Imo potius huc videntur reſpicere verba circa finem: *At ſi quid eruptio &c.* vel vt Codex Theodoſianus loquitur, *ereptio.* Nequaquam & illud ſatis probatum a Gothofr. *d. f. 119.* reſpici his verbis ad factioſas eruptiones hæreticorum. Certum ſiquidem eſſe, illo tempore hæreticos & in his quidem Arianos tumultum excitaſſe, ſic vt armato milite opus fuerit eccleſiam adire & illuc Gregorium introducere, vt ex eius carmine de vita ſua liqueat. Nam alia omnia liquent ex ſupra dictis *ad l. 1. §. 10. & 11.* Neque dicerem cum Gothofredo hac lege indicari, quod Ariani reſcriptum aliquando a Theodoſio per fraudem & dolos impetrauerint. Puto enim potius reſpici ad reſcripta a Valente aut a Gratiano impetrata, de quo dixi ad *d. l. 1. §. 2.*

§. VII. Illud dubium, an in ſubſcriptione legendum 4. Id. *Ian.* an *Iun.* h. e. an hæc lex ante ſynodum Conſtantinopolitanam, an poſt eam lata ſit. Mallem tamen prius aſſerere cum Gothofredo qui *d. f. 119.* rationes dubitandi & decidendi refert. Primariam tamen dubitandi rationem videtur omiſiſſe Gothofredus de ſumendam ex verbis: *qui ſpiritum Sanctum &c.* vtpote qui maxime ad Mace-

ce-

cedonianos in concilio illo damnatos quadrant. Cum tamẽ in verbis antecedentib9 ſolũ Photiniani, Ariani & Eunomiani nominentur, mallem dicere, orthodoxos huius legis concipientes iam in anteceſſum tacite declarare voluiſſe, quid contra Macedonianos meditarentur, vti lex 1. non nominatis Arianis, tacite iis indicabat, quid illi exſpectare deberent.

§. VIII. Papizat vero iterum lex noſtra. Nam ſi Princeps non poteſt imponere ſubditis credenda, vt ad legem I. vidimus, & diſſentientes in religione tolerandi ſunt, & per amorem ab errore reducendi docendo, vt naturalis ratio & alphabetum Chriſtianiſmi iubet, debet etiam exercitium religionis illis permitti, cum religio omnem coactionem reſpuat.

§. IX. Hunc vero papiſmum iuri ſuo circa ſacra inſeruit iterum Struuius *p. 3. ex* h. l. noſtra, quæſtionem: An congregationes hæreticorum ſeu conuentus ad celebranda ſacra debeant in Rep. permitti? negando, etiamſi reſcriptum hæretici per fraudem impetrauerint, ne ſcilicet pateat occaſio ad exercendam animi obſtinatioris dementiam. Quid craſſius potuiſſet ICtus Pontificius pro juſtificanda reuocatione Edicti Nannetenſis, & inde ſecuta perſecutione Reformatorum adſtruere?

§. X. Similem concluſionem papizantem intulit ex hac lege noſtra Dn. Suendend. ICtus Lipſienſis *in diſput. ad h. l. noſtram anno 93. habita*, ſtatuens, hæreticos etiam tranquille & ſine ſtrepitu viuentes neminemque *ſe*ducentes tolerandos eſſe, ſi ſpes aliqua ipſorum conuerſionis affulſerit, & ex SS. literis erudiendos. Quod ſi non reſipuerint; vitandos & excommunicandos eſſe, ne bonos inficiant, ſed verecundiæ pudore ſuffuſi reſipiſcant, & ad cætera membra, quibus abſciſſi erant, applicentur. Quodſi adhuc dogmata ſua pertinaciter retineant; aliosque doceant, exilio, neutiquam vero mortis pœna afficiendos eſſe. In ſtatu vero turbato & preſſo tutius eſſe conniuere ad tempus. Omnia iſta repugnant praxi & doctrinæ Eccleſiæ Apoſtolicæ de qua in fundamentis *& Tom. II. Obſerv.* fuſius diximus.

§. XI. Nec immunis hic eſt Brunnemannus, *in Comment. ad h. l.* ſimilia docens, quod talia ob tranquillitatem publicam ſtatuantur, & ne hæreſes latius ſerpant. Quid quod & eccleſiam illorum temporum aperte pro *puriore Catholica* habet, dum ibidem in fine ait, quod ex h. l. aliisque diſcamus, quantum diſceſſerit Romanæ eccleſiæ praxis a praxi purioris Catholicæ eccleſiæ; quia nec hic nec alibi quicquam habeatur de hæreticis ob ſolum

lum errorem ſupplicio afficiendis. Neceſſe eſt virum conſultiſſimum non recordatum eſſe tituli de hæreticis & quæ ipſe poſtea *ad l. 5. d. t.* & pasſim notauit.

§. XII. Denique quæ ad *l. præced. n. vlt.* diximus de argumentis legum, illuſtrantur per argumentum, quod Dd. *ex hac lege noſtra* §. 2. ducunt: meretricem ex vicinia expelli poſſe: Notante Brunnem. *d. l.* Bona aſſertio, ſed contorta argumentatio.

OBSERVATIO XX.
METEOROLOGIAE COKIO-SLVTERIANAE COMMENDATIO.

Synopsis.

Meteorologia vulgaris fallax; §. I. *eapropter conſultius plane omitteretur.* §. II. *Quia tamen in inſignioribus euentibus reſpondet, ſcrutinio digna.* §. III. *Quod ſolertisſime egit D.D. Sluterus*, §. IV. *Cokii nouarum regularum veritatem nobis detegens, & vſum quaſi primus inueniens.* §. V. *Opuſculorum eius ſ. exemplarium indigna penuria.* §. VI. *Teſtimonium experientiæ de hac hypotheſi.* §. VII. *Differentia eius ab antiquis Canonibus, quod non Lunaribus, ſed planetaribus mutuis aſpectibus nitatur.* §. VIII. *Neque e præſentium planetarum congreſſu multum mixti ſupponat.* §. IX. *Sed mixtiones præteritas*

caute attendat. §. X. *Ventorum concurſum cum tempeſtatibus pulchre detegit.* §. XI. *Cuius intuitu motus Baroſcopii notabiles in poſterum etiam prædici poſſe confidimus.* §.XII. *Lunæ effectus veri.* §.XIII. *Non ita breuisſima eſt hæc quoque methodus* §. XIV. *& exigit prudentes comparationes.* §. XV. *Tranſituum Planetarum ſpecialis obſeruatio artificioſa*, §.XVI. *Sed propterea tanto eſt dignior.* §.XVII. *Operoſam hanc veritatem qui primi perfecerunt laude ſua merito afficiendi*, §. XVIII. *Adhortatio , vt nouorum Calendariorum concinnatores adſpectus diligenter inſerant.* §. XIX. *Exempla aliquot effectuum excitatorum, & reſuſcitatorum.* §. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV.

§. I.

QUantis in hodiernum vsque diem opprobriis laborauerit *Meteorologia* Calendario-graphorum triuialium, adeo notum vtique eſt, vt vel ipſis plebis prouerbiis accenſere liceat, ſcommata illa, quibus incertitudinem prædictionum iſtarum exagitare conſueuerunt. Excuſant ſe interim ſcriptores, quod bona fide traditiones antiquorum ſecuti, prædictiones ſuas iuxta Aphoriſmos antiquisſimos *Aſtro-Meteorologicos* formantes, & interdum ad minimum, euentum præſagiorum ſuorum aſſequentes, de reliquo ita exqui-

quiſite reſpondere non poſſint: Vt adeo non ipſorum, ſed regularum illarum, ad quas præſagia ſua concinnare neceſſe habeant, culpa atque defectibus, hæc ita ſiniſtre eueniant.

§. II. Audiendi ſane ſunt in hoc genere: Imo vero condonandum ipſis potius eſſet, ſi immedicabilis huius defectus conſcii atque memores, potius vniuerſam illam prognoſin omitterent: Quorſum quidem reſpexiſſe videntur, qui in emendatione calendarii recentisſime laborarunt, & quicquid ad veriorem eius ἀκρίβειαν facere poſſet, ſuadere cordi habuerunt.

§. III. Interim, cum nihilominus minime negari posſit, quod aliqua mutationum tempeſtatis, ſecundum mutationes ſiderum, notabilis varietas obſeruetur; adeo, vt non ita rarisſime, ipſæ etiam Calendariographorum ad antiquas regulas formatæ prædictiones, euentum ſuum ſatis conſtanter aſſequantur; adeoque hinc diluceſcat, quod non tam in genere vniuerſum negotium falſum ſit, ſed inſufficiente ſaltem ſcrutinio nondum ſatis exquiſite nobis compertum: non immerito certe fuerunt ſemper veritatis in hoc genere curioſi & ſtudioſi, qui fontem defectus & erroris in hoc genere perueſti-

gare, & viam illi ſubveniendi detegere atque commonſtrare laborarunt.

§. IV. Nobis quidem ut huic ſtudio non adeo anxie inſudantibus, neque magnus horum catalogus, neque pondus, atque *efficacia* argumentorum & ſubſidiorum a variis propoſitorum æque notum hic eſt: Hoc vero ſcimus, quod e *Germanis* noſtris, eximiè hanc ſpartam, & feliciſſime ſane (quod experientia nobis hactenus conſtanter confirmavit:) ornauerit, Excell. Vir, Dominus *Matthæus Sluter*, J. U. D. & inclutæ Hamburgenſium ciuitatis hodie Syndicus, optime meritus.

§. V. Secutus quidem eſt in hoc genere *Wilhelmum Cockium* natione *Anglum*, qui primus vtique exquiſitis obſeruationibus, meliorem & certiorem Theoriam hic formauit atque concinnauit: Laudem vero hanc præcipuam promeritus, quod dicti *Cockii* traditiones & aſſertiones, ante plures iam annos promulgatas, & hactenus a nemine ita, uti merebantur, conſideratas atque animaduerſas, ita ad examen reuocauerit, curioſis & attentis obſeruationibus proſecutus ſit, & denique non magis confirmauerit, quam hinc inde noua ponderoſa commentatione illuſtrauerit, ut merito dici poſſit, licet non uniuerſam rem, tamen quod præcipuum

eſt

eſt, *veritatem* atque *uſum* eius, quaſi primus inveniſſe.

§. VI. Indigne ſane fieri merito conquerimur, quod, cum tot & tam variarum futilium ſpeculationum impreſſione, tantum chartæ in Germania noſtra pereat, utilia huiusmodi conamina adeo parum promoueantur, ut dum pauca ſaltem exemplaria, magis in priuatos velut uſus, & inter amicos diſtribuenda, de prælo prodeunt, rei optimæ fama & commendatio, illum quem maxime merebatur, curſum & progreſſum, non nanciſcatur.

§. VII. Illud, quod de hoc negotio dicere per experientiam poſſum, conſiſtit breviter in hiſce, quod axiomata illa, Meteorologica noua, a *Kockio* quidem propoſita, a Domino vero *D. Slutero* ad experientiæ trutinam examinata, & neceſſariis *commentationibus*, & præcipuorum *momentorum*, (quæ ab Autore ſimpliciter ſaltem, & citra ſpecialem notam propoſita fuerunt:) ſpecialiſſimis *commentationibus* elucidata, non modo in comparatione cum uſitatis *antiquis* huius generis regulis, immenſum quantum prærogativæ mereantur: ſed, omnino potius abſolute loquendo, exquiſitam fere penitus certitudinem harum rerum nobis offerant atque ſiſtant.

§. VIII.

§. VIII. Differunt verò noua hæc axiomata, ab antiquis in hoc genere regulis, maxime in eo, quod, cum iſtæ *Lunam*, pro primaria quaſi moderatrice tempeſtatis ita agnoſcant, vt eius variæ conſtellationi cum reliquis planetis, omnes tempeſtatum ſuccedentes varietates adſcribere non dubitent: Hæc noua obſeruatio & experientia contra, lunæ directe hic minimum omnium tribuendo, potius primario e *planetarum* inter ſe *inuicem* aſpectibus, tempeſtatum illas vicisſitudines naſci, doceant.

§. IX. Præterea, cum *antiquæ* regulæ propemodum ex omnibus aſpectibus, aliquid etiam veluti mixtum, nempe ex vtriusque planetæ *concurrentis* propria indole, nunc in vnum *tertium* quaſi coaleſcente, reſultans, expectent: *Noua* hæc obſeruatio potius *vnius* præcipue planetæ eminentem efficaciam hinc præſagiat, quæ per alterum illum ſolum excitata, imo veluti extorta, atque de potentia in actum deducta, ſentiatur.

§. X. E contra, quod nemini in mentem venerat, ſagaciſſime notat atque attendit illas mixtiones ſiue impresſiones, quas planeta vnus, ab alterius occurſibus ita ſuscipit, vt ſi aliquo tempore proxime ſequente, denuo effectus ſuos edere impellatur, non immediate e ſua propria indole tunc agat, ſed prius adſcititias illas qualitates, quas alterius pla-

planetæ radii ipſi impreſſerant, effundat, eoque ipſo ſæpe effectum, a proprio ſuo genio plurimum alienum, exhibeat. In qua re magni momenti in hoc negotio, plurimis exemplis probanda, vtiliſſimam operam impendit Exc. Sluterus.

§. XI. Imo, cum negotium illud, de *Ventorum* συζυγεία cum tempeſtatibus, antiquitus, propemodum inextricabile, adeoque vix vsquam condigne tactum ſit; demonſtrat noua hæc obſeruatio mirum quantum exquiſite, quinam venti *certis* planetis familiares ſint, adeoque in effectum deducto ipſorum influxu, ſeu effluxu, vna ſeſe exerant & exerceant.

§. XII. Quæ ſane res, cum præſertim experientiæ circumſpectæ, eximie reſpondeat, præcipue ita mihi placuit, vt vel inde veritatem hypotheſeos meæ, de *motus Barometri fundamento ex humiditate*, aut ſiccitate aeris, per *ventos* introducta, ita euidenter ſtabilire ſperem atque confidam, vt in animum induxerim, proximo quoque tempore, ſi Deus vitam & vires conceſſerit, inſignes *mutationes Barometri*, quæ futuris ſeptimanis & menſibus expectari poterunt, ſic ſatis probabiliter & veraciter *præſagire*: vt licet non de die in diem, aut linea in lineam, apices mutationis determinare integrum ſit, nihilominus *nota-*

bi-

biliores huius generis euentus, qui aſcenſu, aut lapſu, ſecuturi ſint, prædicere poſſe non diffidam.

§. XIII. Neque vero interim, quam verè habet *Luna*, efficaciam ipſi denegat noua hæc hypotheſis; imo ſolertisſime eius mentionem facit. Quod nimirum *Luna* effectuum planetariorum vera ſit *excitatrix*, non modo antequam illi immediate ſibi occurrant: ſed etiam *reſuſcitatrix*, quando alterutri ipſorum aut vtrisque mox deinceps occurrit, non ita plurimis diebus poſt, quam illi ſuo concurſu notabilem quendam effectum ediderunt. In quo quidem negotio ſtudioſiſſime inculcando, & magna eius energia condigne commonſtranda, eximiam operam nauauit Noſter.

§. XIV. Illud in hac noua theoria minime disſimulandum eſt, quod neque illa adeo plane *pauciſſimis* canonibus, & axiomatibus abſolui posſit, ſi accuratius & conueniente cum experientia exactitudine, imminentes effectus & euentus hinc colligi debeant:

§. XV. Sicut etiam collationes & *comparationes* prouidæ, ſubinde inculcantur & requiruntur; Quandoquidem v. g. *anticipationes* aſpectuum, item *compoſiti* eorundem effectus a prægreſſa mixtione, variantes item effectus e natura *ſignorum* in quibus planetæ

ver-

verſantur &c. paucisſimis ſimplicibus præceptis nequaquam ita crude ingeri poſſunt.

§. XVI. Vt de *efficacia Tranſituum* Planetarum, per loca prægreſſorum aſpectuum inſigniorum, nihil dicamus; In qua obſervatione, vt vero huius artificii exquiſitiore ſpecimine, ἀκριβέςατ@ Dn. D. *Slüterus*, præcipuam lucem accendit: Quæ tamen res non æque e calendariis, ſed potius ex *Ephemeridibus*, peritiore calculo determinanda, cum in genere dignitatem, huius artificii condecorat, tum præcipuorum, aliunde non elucidandorum euentuum, luculentas rationes aperit atque ſubminiſtrat.

§. XVII. At mihi profecto propterea tanto magis laude digna videtur hac theoria, quod *vera* quidem, ſed non tamen *docti laboris* & *ingenioſæ* operæ ſubſidiis caſſa, exiſtat: Adeoque non temere in quorumlibet otioſorum hominum captum ita illabatur, vt illa, quod volunt & ſolent, illotis manibus potiri, vti, frui, & cum optime meritorum inuentorum neglectu, aut prorſus maligna ſuppresſione, ſeſe his artibus efferre posſint.

§. XVIII. Sufficit itaque, imo decorum eſt, huic obſeruationi ſeu nouæ theoriæ, quod non modo *vera*, ſed tam variis nouis veritatibus ſuffulta, atque ex illis in vnum collatis collecta & connexa ſit: Quod ſane tanto ma-

maiorem exiſtimationem atque *laudem* inventoribus atque excultoribus eius, iure meritoque conciliat. Siquidem *ſimplicem* veritatem agnoſcere, eique adſtipulari, cuiuslibet etiam ſimplicis hominis conditio infert, & requirit: Operoſiores vero veritatum inter ſe varie ſymbolizantium, neque niſi prudenti comparatione ad vnum apicem & concluſionem deducendarum, *harmonias* conquiſiuiſſe, & inter ſe coordinaſſe, non eſt niſi curioſorum, *ingenioſorum*, prudenter asſiduorum, & circumſpectæ experientiæ peritorum virorum, quibus merito viuis & mortuis tribuitur illud poëtæ:

Quiq; ſui memores alios fecere merendo,
Omnibus his niuea cingantur tempora Vitta:

Vt nempe & mortui laude ſua non fraudentur, & viuis, in ſeram vsque ætatem & canos annos, vtilisſimi ſui ſtudii, & ad promouendam veritatem nauatæ operæ, gratia, non intereat, ſed iure meritoque tribuatur.

§. XIX. Non poſſumus vero, quin pro coronide præſentis noſtræ commentationis, hortemur nouorum calendariorum concinnatores, ne impoſterum in *aſpectuum* conſignatione in mediocria illa calendaria, quæ ſcriptoriæ chartæ cum maiore ſpatio (Manual Schreib-Calender in 8vo) imprimi ſolent, ita parci ſint, vti currente hoc anno factum

factum hoc eſt. Quamuis enim ſuſpicio alicui oriri poſsit, quaſi in aſſignandis tempeſtatum euentibus, neque ipſis hæc methodus diſplicuerit: Nihilominus, cum propter manifeſtas circumſtantias, præſagia illorũ in caſibus reſeruatis huius methodi, minime reſpondeant; rem ſane non inutilem fecerint, ſi aſpectuum tam *lunarium*, quam *Planetariorum* mutuorum, conſignationem, dictis, imo vero, niſi graue eſſet, *omnibus* cuiuscunque formæ, calendariis impoſterum adderent, vt ad minimum, quibus impoſterum his obſeruationibus examinandis animum adhibere placuerit, ſubſidium hoc inde nanciſcantur, quod etiam in conſtituto tali calendariorum *pretio*, ſane iuſtum & æquum videtur.

§. XX. Placet interim duo ſaltem *exempla* effectuum, qui ex nuda generali huius etiam generis theoria, *heteroclit* videri poterant, afferre. Cum die 3. *Februarii* præſentis anni, occurreret coniunctio ♃is & ☉is, in *medio* propemodum ſigni ♒; & præcedente die 2. *Febr.* ☽ in ♐, ⚹ cum ♃ & ☉ formaret, qui adeo ſimiliter verſus *medium* ſigni, demum partiliter fieri poterat: factum inde eſt, vt poſt mediam noctem huius diei, 2. *Febr.* cum hactenus admodum tranquilla fuiſſet tempeſtas, *Ventus* cooriretur immanis, qui paulo poſt ortum ☉, iam admodum miteſcens, meridie

mitiſſimus, ante occaſum ſolis penitus reſedit, neque ſequentibus diebus proximis, in noſtra quidem planitie regionis, vel leuisſimam commotionem amplius exeruit. Adeo vt mirabile videretur, tam vehementem ventum, ex improuiſo in media tranquillitate coortum, ita ſtatim rurſus euanuiſſe.

§. XXI. Nempe *Ventus* ex concurſu *ventoſi* ♃ cum ☉, indolem eius fortiter extorquente, in ſigno *aëreo* ♒, non poterat non cooriri; Debuerat vero proprie ad minimum *a meridie* demum d. 3. *Februarii*, in occurſu horum planetarum, ſeſe exerere; Ibi ☽ præcedente iam media nocte Planetas hos, ex *igneo* ſigno *reſpiciens*, ſuſcitauit *anticipando* totius Aſpectus energiam, adeo, vt finem ſuum iam attigiſſe videretur illo tempore, quo initium ſuum alias habuiſſet. Quale quid euenit ſubſequente 7. eiusdem Menſis, vbi in ipſa meridie copioſe *ningere* cœpit, per ✱ ♄ & ♀; Quamuis iam a die 5. leuibus & raris floccis nunc & tunc nix interdum quaſi minaretur, per coniunct: ☽ cum ♀ & ✱ ♄ d. 4. & 5. Februarii: Sicuti d. 10, vbi eodem die conj: ♄ cum ☽ in ♓, & ✱ ♀, euenerunt, denuo inſignem *niuem* pepererunt.

§. XXII. Quia vero *Ventus* d. 3. *Februarii*, per prægreſſos & ſubſequentes aſpectus nonnihil quaſi interceptus erat, cum deinde d. 12, eius-

12. eiusdem *Luna* ♃ iterum ⚹ aſpiceret, & quidem iterum ex *igneo* Signo, ſicut antea effectum eius excuſſerat, ita nunc ſimilem penitus denuo introduxit: qui non modo hoc die regnauit, ſed etiam ſequente die Solis adhuc vehementior fuit, vbi eadem ☉ pari ⚹ ex eodem Signo reſpexit.

§. XXIII. Reſederunt hi quoque *venti*, vſque in d. 17. Menſis, vbi denuo eodem impetu eruperunt, cum ex ſigno aereo, ☽ denuo aſpiceret ♃, aſpectu *trino* forti, & in trigono *aërea*: Subſedit hic quoque ventus verſus diluculum ſequentis diei; Conſurrexit nouo vehementi impetu, meridie eius diei, vbi priſtinum aſpectus ſocium, Solem, eadem trigono attigit.

§. XXIV. Exeruit ſeſe ſimile quid admodum notabiliter die 25 & 26. eiusdem Menſis, vbi Luna cum ♃ & ♂ deinceps, fortes aſpectus formans, ventos grauiſſime ſuſcitavit, qui ſuccedente demum die 4. Martii emicare debebant, e conj. ♃ & ♂: vbi illis iam diebus conſumpti, plane nihil amplius effecerunt, ſed quieta prorſus fuit apud nos tempeſtas.

§. XXV. Similem notabiliſſimum effectum edidit ☽ proximo 29. *Martii*, vbi poſt tempeſtatem hactenus admodum temperatam, *frigus* & *niuem* prouocauit, quæ illa die

ſatis copioſa excuſſa eſt, per quadratos ☽ cum ♄ & ♀, quorum poſt aliquot demum dies, nempe 2. *Aprilis*, conj. in ſigno *Aqueo*, *niuem* ſpondebat: Vbi e contra excuſſa illo die ſatis copioſa niue, & altera quoque nempe 30. *Mart.*, ipſo die 2. *Aprilis* nulla nix amplius cecidit, quamuis, cum dies dimidius 30. & totus 31. *Martii*, totus etiam propemodum 1. Aprilis ſereni fuiſſent, hoc ipſo d. 2. *Aprilis*, plane turbatus nubibus æther, *niuem* minari videretur, quæ tamen adeo non ſecuta eſt, vt potius verſus veſperam, per noctem, & ſubſequente die 3. *Aprilis*, propemodum limpida ſerenitas ſuccederet.

§. XXVI. Sufficiant vero hæc hac vice. Si vitam atque ſanitatem, libertatemque ad hæc talia largitus fuerit Altisſimus, concinnabimus forte nos ipſi *Cokio-Sluteriana* iſta Artis huius fundamenta & experimenta, & ſub ordinem aliquem diſtribuemus, vt tanto commodius ſub variis ſchematibus curioſis quibuslibet inſeruire, adeoque vlteriori elucidationi experientiæ via ſterni posſit: Quod quidem propoſitum Deo dieique interim commendamus.

ERRATA.

pag. 107. lin. 1. leg. lib. IX. cap. 3. pag. 114. lin. 8. 9. Dele, ſi quid laudant. p. 116. lin. 3. lege Erycium Puteanum, dele fratres. Reliqua, quæ occurrunt B. L. facile corriget.

INDEX OBSERVATIONVM.

I. De Excidii Troiani fabula, & de eiuſdem ſcriptoribus vsque ad Homerum, iudicium.

II. De excidio Troiano, & eius ſcriptoribus poſt Homerum, iudicium.

III. De origine Romana, & ſcriptoribus de eadem, iudicium.

IV. Bonifacius VIII. e familia Caietanorum principum Romanus Pontifex R. P. Iohannis Rubei congregationis Angliæ, ordinis S. Benedicti Monachi, atque olim in Romana curia procuratoris ad illuſtriſſimum atque excellentiſſimum D. Franciſcum Caietanum Sermonetæ ducem eiusdemque Bonifacii gentilem.

V. De Stilo Lapidario iudicium.

VI. De Indice expurgatorio Romano rariſſimo, quem Iohannes Maria Braſichellanus, Sacri Palatii Apoſtolici magiſter, primus & hactenus ſolus edidit.

VII. Ariſtotelis error circa definitionem naturæ correctus.

VIII, De Iure belli & pacis Statibus Imperii competente.
IX. Iulianus an vnquam vere fuerit Chriſtianus.
X. De oratione quadam Græca Hugonis Brougthoni.
XI. Arcani duplicati & tartari vitriolati genealogia.
XII. De Syncretiſmo philoſophico generatim.
XIII. De conciliatione philoſophorum cum ſcriptura ſacra.
XIV. De conciliatione philoſophorum inter ſe.
XV. De Iure Principis reuocandi priuilegia monita generalia.
XVI. Principem omnia priuilegia reuocare poſſe, ſi vtilitas publica poſtulet.
XVII. Ius Principis reuocandi priuilegia ampliatum & ab obiectionibus liberatum.
XVIII. ad Leg. I. C. de Sũma Trinitate.
XIX. ad L. II. C. de Summa Trinitate.
XX. Meteorologiæ Cokio-Sluterianæ commendatio.

INDEX RERVM.

A.

ACuminum frigidorum exempla V. 36. 37.
Ambroſius quo tempore vixerit, XVIII. 5.
Antiquitatum Romanarum ſcriptores ſyſtematici cenſentur. I. 1.
Arcanum duplicatum Chymicorum nomen tam ſplendidum non meretur. X. 20.
Arcanum duplicatum quomodo paretur. X.
Arcani duplicati facultates &c. X. 9. 10. 11.
Ariani cedunt Conſtantinopoli ob nouam legem XVIII. 10.
Ariſtoteles primus non ſapuit. VII. 4.
corrupit ſapientiam veterum. VII, 5. -8.
conciliatur cum Scriptura S. XIII. 6.
cum Ramo. XIV. 8.
Platone XIV. 3.
Carteſio. XIV. 9.

B.

Barclaji ſtilus culpatur. V. 29.
Baroſcopii motus an in futurum prædici poſſint XX, 12.
Belli ius cui competat. VIII. 5.
Belli ius competit ſtatibus imperii VIII.
Bernhardus affectator ſtili acuti. V, 21, 22.
Bochartus negat Æneam aduentaſſe in Italiam III. 6.
Bonifacii VIII. Papæ familia, ſtudia &c. IV. 2.

electio IV. 4, 5.
res geſtæ memorabiles IV. 10, 11, 12.
diſſidium cum Gallo IV, 15. ſq.
odium iniuſtum IV. 25. ſq.
mors. IV. 31, 32.
panegyriſta impudens, IV. 33.
Bouhours liber dictus: Penſées Ingenieuſes &c, notatur, V. 23,

C.

Calendariographi monentur de diligenti aſpectuum conſignatione XX. 19.
Carteſius Scripturæ S. conciliatur XIII, 10, 11.
Catholici vox quid notet in Lege I. Cod. XVIII, 32.
Chryſoſtomus labefactauit Troiani excidii hiſtoriam. II. 5.
Chymici cum Hippocrate, Galeno, Ariſtotele conciliantur. XIV. 1.
Chymicorum medicamentorum multorum vani ſunt tituli. X. 1.
Ciceronis ſtilus commendatur in primis V, 5, 26, 27, 30.
— parcus acuminum æſtimator. V. 39, 40
Clericalis ratio ſtatus per iuſſam legem I. Codicis XVIII. 9, 12.
Contractus priuatorum & principis cum ſubditis differt. XVI, 17, 18.
Conuiuia celebrabantur olim inter plauſus poëtarum. I. 15.

D.

D.

Damaſus epiſcopus tempore Gratiani fuit. XVIII. 5.
cur in lege I. Codicis nominetur XVIII, 29.
Daretis Phrygii liber quem auctorem habeat. I. 5.
Dictys ſcripſit de rebus Troianis. I, 56.
Dogmatum conciliatio, XII. 8, 9.

E.

Eloquentia Græca ſub Phalereo conſenuit. V, 15.
Epicureæ philoſophiæ conciliatio cum Scriptura Sacra. XIII. 8,
Epiſcopi qui fuerint tempore Gratiani, XVIII. 4.
Eſſentia XIV. 4.

F.

Ferrarii Octav. liber de origine Romana cenſetur III. 5.

G.

Germaniæ principes ius belli & pacis habent. VIII, 6. 7. 10.
Germaniæ principum ſuffragia in comitiis quam vim habeant. VIII. 9.
Gloſſæ aliquot ineptæ ICtorum ad legem I. Codicis XVIII. 27. 28.

Gregorii Nazianzeni vita XVIII. 11.

H.

De hæretici requiſitis nota papizans. XVIII. 20.
poena, nota alia papizans. XVIII. 35.
Hermeticorum conciliatio cum Moſaica phyſiologia. XIII. 1.
Homerus auctor fabulæ Troianæ. I. 8.
an poëmate arcanos ſenſus tegat. I. 10. 11.
Homœoptoton & Homœoteleuton vſus. V. 46.
Hugo Iac. de Traiano excidio II. 6.

I.

Ieſuitarum ſtilus notatur. V. 19.
Imperii diuiſio inter Gratianum, Valentem & Theodoſium XVIII. 3.
Inſcriptiones hodiernæ a veteribus diſcrepant. V. 1.
culpantur V. 43.
Iulianus Imp. an Chriſtianus fuerit IX.
apoſtaſiæ quo iure accuſatus. IX. 2, 3, ſeqq.
Iuramentum non producit obligationem. XVII. 4.
an iuri principis obſtet. XVII. 1.
Iuramentorum tacitæ exceptiones. XVII. 8.
Iureconſultorum proteſtantium papizantes doctrinæ. XVIII, 16, 17.

non-

nonnullorum ineptæ gloſſæ ad legem I. Codicis. XVIII. 27, 28, 31.
Ius belli & pacis ſtatuum Germaniæ VIII. duplex VIII. 3.

L.

Legis I. Codicis euentus XVIII. 20.
Legis II. Codicis circumſtantiæ XIX. 1, 6. correctio quoad verba XIX, 2. papizatio. XIX. 8.
Lex cum prologo inepta eſt. XVI. 8.
Lingua latina variis temporibus varia fata experta. V. 3.
corrupta maxime per Gothos. V. 12.
pura admodum ſuperiori ſeculo fuit. V. 16.
Linguæ latinæ puritas nunc amiſſa eſt. V. 17.
Lunæ effectus XX. 13.

M.

Metaphorarum vſus rectus. V. 45.
Meteorologia vulgaris fallit. XX. 1.
noua Sluteri nititur planetarum aſpectibus XIX. 8.
Methodus phyſicæ quæ ſit optima. VII, 13, 14, 15.
Morhof de ſtilo acuto nonnullorum iudicium V. 19.

Na-

N.

Naturæ definitio antiqua & bona ab Ariſto-
tele corrumpitur. VII. 6, 14, 15, 17, 18.
Nazianzeni Greg. aduentus in vrbem Con-
ſtinopolin XVIII, 9.
vita deſcribitur XVIII, 11,

P.

Pacis ius eſt penes principes Germaniæ. VIII.
Papizant ICti nonnulli proteſtantes. XVIII.
16. 17.
Patres eccleſiæ quærunt res Chriſtianas in
Homero. I. 11.
Petri Alexandrini mentio fit in lege I. Codi-
cis XVIII. 29.
Philoſophia in vſu rationis poſita eſt. VII. 1.
Viguit ſemper VII. 2. 3.
Philoſophorum conciliatio cum Scriptura S.
XVIII, 3. 5. 6.
inter ſe. XIV.
Pindarus II. 1.
Poëtarum proprium eſt mentiri vel fabula-
ri I. 12, 13.
Poëſis in proſa contradictio eſt. V. 43.
Poeta eſt vox æquiuoca. I. 13, 14.
Poetæ quando olim ſua carmina cecine-
rint. I. 55.
Poeticus ſtilus damna parit V. 44.
Populi ſalus ſuprema lex XVII, 4, 5.

iudicio ſolius principis ſubiecta eſt XVI, 8, 9. 10.
Princeps in dubio omne habet ius quod ſubditi ſibi non reſeruarunt XVII. 11.
Principum ius reuocandi priuilegia XV. 24. XVI. 12, 22, 23. XVII. 15.
Hoc ius vindicatur contra obiectiones. XVIII. 16. ſeq.
Principum obligatio oritur ex iure diuino XV. c. 5. XVI. 1.
Priuilegia quatenus referenda ſint inter odioſa. XV. 8.
quem finem habeant. XV. 10.
circa quas res verſentur. XV. 11.
differunt a beneficiis Principis. XV. 15.
ab aliis rebus. XV. 17.
ortum ſuum vnde trahant. XVI. 14. 15. 16.

R.

Religionis libertas indulta lege Gratiani XVIII. 2.
Romanarum antiquitatum ſcriptores ſyſtematici cenſentur I. 1.
Romanæ antiquitates a pluribus ſcriptæ III. 2. 3. 4.
Romana de origine communis ſententia III. 8.
reprobatur III. 9.
alia ſubſtituitur ſententia III. 10.

Romanorum origo an ex Troiæ ruinis petenda? I. 2.
Th. Ryckii argumenta pro Troiani excidii veritate refelluntur. II. 10.
Eiusd. reſponſio ad epiſtolam Bocharti III. 4.

S.

Sacrarum rerum tractatio ad ICtos pertinet. XVIII. 1.
Scriptorum latinorum dictio diuerſa V. 5.-11. 30. 33. 34. 35.
Sermo figuratus cur gratior. V. 14.
Sluterus collaudatur. XX. 4. 5.
Stili perſpicuitas laudatur V. 26. 27.
arguti damna. V. 44.
Stilus optimus qualis ſit. V. 26-28, 45-50.
Simplex difficilior elato. V. 28.
Subſtantia XIX. 4.
Syncretiſmi nomen vnde ortum ſit. XII. 1.
ad theologicas res translatum XII. 2.
Syncretiſmus dogmaticus XII. 10.
Criticus XII. 11.
Iuridicus XII. 12.
Medicus XII. 13.
Theologicus XII. 11.
Philoſophicus XIII. 3.-6. 14.
proſcribitur XIV. 10. 11.

T.

Theodoſii intentio in ferenda lege I. Codicis XVIII, 7,8.

Theodoſius clero fauet legibus edendis XVIII, 13.

Tribonianus ineptit XVIII. 9.

Troiæ ruina an ſit origo Romæ. I. 2.

Troianæ fabulæ mentio fit in nummis &c. II. 7.

Troiano de excidio iudicium. II, 8, 9, 10.

Troianarum rerum ſcriptor quis ſit primus. I. 3, 4.

Scriptores ante Homerum I.
poſt Homerum II.

OBSERVATIONUM SELECTARUM

AD

REM LITTERARIAM SPECTANTIUM.

TOMUS IV.



HALAE MAGDEBURGICÆ An. 1701.

Proſtat in officina Libraria Rengeriana.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
286667

OBSERVATIO I.

De

VITA ET SCRIPTIS IANI IACOBI BOISSARDI.

§. I. *IO. Iac. Chiffletius & Boiſſardus Veſuntini celebres.* §. *II. Vita Boiſſardi ex manuſcripto.* §. *III. Boiſſardus antiquitatum indagator ſollertiſſimus, quod exemplo probatur.* §. *IV. Reliqua vitæ fata.* §. *V. Antiquitatum collectarum aliquando iacturam fecit.* §. *VI. Metis mortuus.* §. *VII. Titulus & editio Topographiæ Romanæ Boiſſardi.* §. *VIII. Occaſio ſcripti.* §. *IX. Breuis eiuſdem recenſio.* §. *X. Recenſio aliorum ſcriptorum, quæ in parte prima continentur.* §. *XI. Recenſio partis alteræ.* §. *XII. Recenſio partis tertiæ.* §. *XIII. Recenſio quartæ partis.* §. *XIV. Recenſio quintæ partis.* §. *XV. Recenſio ſextæ partis.* §. *XVI. Tractatum de genealogia & imaginibus Deorum elaborauit, qui tamen adhuc in manuſcripto.* §. *XVII. Alia ab eo promiſſa.*

§. I.

VEſontio Sequanorum metropolis binis maxime viris ſuperbit, qui in republica litteraria clari ſunt: vtriusque nomen eſt Ioannes Iacobus: Chiffletius alter

alter & Boiſſardus. De priori quidem alio forſan tempore dicendi dabitur occaſio, de altero Boiſſardo nunc dicemus. Exhibemus autem vitam ex manuſcripto ipſo, Boiſſardo adhuc viuo, exarato, quod integrum hic adducimus.

„ §. II. Ianus Iacobus Boiſſardus natus eſt
„Veſuntione Sequanorum vrbe florentisſi-
„ma, anno ſalutis 1528. Theobaldo patre, viro
„litterato, quæſtore, & procuratore rerum
„ciuilium Hippolyti, matrem habuit Ioan-
„nam Babelam. Vſus ſtatim a pueritia præ-
„ceptore Hugone Babelo auunculo, [qui pri-
„mus cum Clenardo litteras græcas Louanii
„profeſſus eſt] cum quo, annos natus nouem,
„Argentinam, demum Heidelbergam veni-
„ens, Iacobi Mycilli commiſſus eſt inſtitu-
„tioni, Triennio autem poſtea Coloniam ac
„Louanium deductus, Adriano Amerotio &
„Petro Nannio commendatus eſt. Sed quia
„plagoſum nactus eſſet pædagogum, illius-
„que moroſitatem ferre non poſſet, Louanio
„Antwerpiam fugit, ac opera Gedanenſium
„mercatorum in Pruſſiam deuectus eſt. Na-
„vigatione autem longa, difficili, & autumna-
„li concuſſus, cum in periculum vitæ deue-
„niſſet, expoſitus eſt Dantiſci; & ab incolis il-
„lius vrbis humanisſime tota hyeme tracta-
„tus, Francofurtum ad Oderam ſub princi-
„pium veris ſe contulit; inde Wittebergam.

„vbi

vbi Philippi Melanchthonis & Viti Vinshe-„
mii ſenioris auditor per annum integrum,„
factus eſt: paulloq; poſt ad Ioachimum Ca-„
merarium Lipſiam ſe contulit. Vnde No-„
ribergam & Ingolſtadium peruenit anno„
1551. factusque familiaris Vito Amerpa-„
chio, & Philippo Apiano, in cuius domo „
triennio fere integro diuerſatus eſt. Tan-„
dem ſub finem anni 1555. a Wolfgango„
Munzero equite Franco Venetias dedu-„
ctus eſt: vbi hæſit menſes fere octo,expe-„
ctans nauigationem in Syriam, quo Mün-„
zerus iter parabat: præuentus tamen mor-„
bo graui Patauium miſſus eſt, vt opera me-„
dicorum conualeſcentiæ reſtitueretur. „
Sed cum cura nihil proficeret,eoque relicto,„
triremes Venetæ Palæſtinam peterent, Bo-„
noniam ſe contulit anno 1556. cumque „
Abrahamo Sorgero Auſtriaco per bienni-„
um totam Hetruriam,Romam & Neapolim,„
curioſisſime perluſtrans. Romæ tandem„
relictus, beneficentia & liberalitate Caroli„
Caraffæ Cardinalis,[qui tunc in villa Maria-„
na duodecimo ab vrbe lapide exulabat] ad-„
iutus, Appuliam, Brutios,Lucanos, totam-„
que Calabriam percurrens,Brunduſio Cor-„
cyram nauigauit: inde latus Epiri legens,„
Cephalenia, Zacinthoque perueſtigata, „
Methonam appulit: ibique menſes quin-„

A 2 que,„

„que moratus & viciniora Peloponneſi lo-
„ca, monachorum Græcorum, quos Callo-
„geros vocant, adiumento, qua potuit dili-
„gentia, inuiſit. Pertæſus tandem locorum,
„& victus rationem non ferens, cum merca-
„toribus Venetis priſtinum relegens iter,
„Corcyram, deinde Siciliam, poſtremo Ro-
„mam reuerſus eſt: vbi ſtatim omnia turba-
„ta offendit, Pauli IV. P. M. morte: reuoca-
„tusque a patre Theobaldo, ſub finem anni
„1559. in Burgundiam ſe recepit: a qua vi-
„ginti duobus annis abſuerat. Statim po-
„ſtea a Barone Ryæo [qui facile primum lo-
„cum inter Sequanos propter potentiam,
„opes ac doctrinam obtinebat] euocatus, in-
„ſtitutioni fratris iunioris Marci Claudii a
„Rya Baronis Dicæi præfectus eſt. Sed re-
„ligionis gratia in periculũ veniens, patriam
„iterum deſerere coactus eſt, patre tamen
„iam mortuo. Metas igitur a Claudio An-
„tonio Viennæo Barone Clereuantio abdu-
„ctus, liberorum illius curam ſuſcepit: Fran-
„ciſci potisſimum, cum quo in Galliam, Ger-
„maniam & Italiam miſſus, quindecim to-
„tos exegit annos. Reuerſus poſtea in Au-
„ſtraſiam, Gedeonem Clereuantii filium iu-
„niorem erudiendum recepit, Franciſco il-
„lius fratre per omnes militiæ gradus ad
„ſummos honores ab Alengonio duce Bra-
ban-

bantiæ eueсto. Cumque puer Gedeon ad„ Guilielmum Landgrauium Haſsiæ mitte-„ retur, cum Principe Mauritio inſtituen-„ dus, Boiſſardus iam attingens annum 55, la-„ bores peregrinationum longiorum non fe-„ rens amplius, in familia Clereuantia cœ-„ lebs, & litteris muſæoque reliquum vitæ„ tribuens, Metis Mediomatricum agit vs-„ que in hodiernum diem, qui eſt anni a„ Chriſto nato 1587. „

§. III. Ipſa, quæ adduximus, manuſcripti ſunt verba; reſtant tamen ſingularia quædam quorum ipſe nobis auctor eſt. Sic quantum antiquitatum fuerit & ſtudioſus & curioſus, ſatis arguit factum, quod in epiſtola dedicatoria ad Ioannem Comitem Palatinum Rheni ipſe deſcribit: *Memini*, inquit, *magnificentiſsimum illuſtriſsimumque illum antiſtitem Pium Rudolphum Cardinalem Carpenſem (qui quo tempore Romæ eram, in Quirinali poſsidebat hortos amœniſsimos, omnibusque antiquis marmoribus refertiſsimos) ſingulare humanitatis argumentum in me contuliſſe. Dum enim eo veniſſem cum aliquot ſtudioſis, vt admirandam palatii ſtructuram, ſtatuasque, columnas, obeliſcos & aras antiquas viderem, nec poſſem illa omnia tam breui temporis ſpatio, quod mihi concedebatur, deſcribere, (nondum enim tanto viro innotueram) ſociis relictis abdidi me inter*

viretorum vmbracula, latitans donec omnes horto exiuiſſent. Clauſis tandem horti oſtiis, reliquum diei quod ſuperfuit, impendi in delineationem priſcarum inſcriptionum, ac totam noctem illic exigens ſub arboribus, cum primum illuxit, ad opus cœptum redii, dumque illic hærerem attentus in deſcriptione cuiusdam marmoris, Cardinalis ſuorum aulicorum numero & comitatu ſtipatus hortum ingreſſus eſt, illi, cum ex remotiore loco me fuiſſent intuiti, ſubſtiterunt attoniti: neſcientes qua ratione, omnibus inſciis domeſticis, eo irrepſiſſem. Confeſtim ad me duo accurrunt, qui ſciſcitarentur, quando & quomodo eo veniſſem. Ego licet non mediocri formidine percellerer, compoſita tamen ad fiduciam fronte, mihique nullius doli vel criminis conſcius, rogaui vt tantillum expectarent, donec abſoluiſſem deſcriptionem alicuius monumenti, quod cœperam: qua ad finem perducta, tanquam re bene geſta ordine explicui meam hiſtoriam: vt veſpere ſuperioris diei in hortos eſſem exceptus cum aliis peregrinis, a quibus poſtquam paullo longius quam par erat, ſeceſſiſſem lecturus & deſignaturus quædam antiqua ſcripta illi me relicto diſceſſiſſent: Cumque paullo poſt egredi conarer, omnia clauſa me inueniſſe, coactumque illic pernoctaſſe. Quod tamen absque vllo tædio mihi taccidiſſe dicebam, capto & occupato in perluſtratione tam excellentium rerum, quæ in toto hortorum ambitu latisſime conſpiciebantur. Illi cum ri-

riſu ad Dominum regreſſi narrarunt, quidquid mibi accidiſſet. Tantoque abfuit, vt durius exciperer propter id factum, vt Cardinalis mei miſertus, quod absque cœna ſub dio pernoctaſſem, iuſſerit mihi ientaculum præparari, ne nimia inedia mea valetudo offenderetur: ſummaque cum delectatione reuoluit meas chartulas, laudauitque induſtriam meam: & voluit vt deducerer in eius palatium, quod ampliſſimum habebat in vrbe plana, ad Campum Martium. Permiſit quoque vt omnia quæ illic eſſent, viderem, & pugillaribus ad id præparatis, quæcunque placerent, exciperem. Ego poſtea vt gratus viderer, erga tam beneficum Principem, exemplar omnium quæ domi ſuæ mibi communicata erant, diligenter exaratum illi obtuli, libello vno comprehenſum: quem non ſolum hilari fronte excepit, ſed donum dono compenſans, numiſmata antiqua mibi largitus eſt duo aurea, duodecim argentea & totidem ahenea, cum parua Apollinis ærea ſtatua altero brachio manca.

§. IV. Alia & præcipua vitæ ſuæ fata ipſe quoque in epiſtola ad Hermannum a Ghoer, tertiæ parti antiquitatum præmiſſa deſcribit. Dicit enim, ſibi a prima ſtatim iuuenta inceſſiſſe ardorem celebriores academias inuiſendi, & familiari doctorum virorum conſuetudine vtendi. Vbi cum Italiam perluſtraret, *factum eſt*, inquit, *vt Neapoli in Calabriam cum ſociis itinerum profectus, moraremurque diutius, quam par*

eſſet in locorum perluſtratione, neque comitatus ille equeſtris (quem carauanam vocant, eiusque præfectum Procacium) tunc eſſet nobis idoneus, neque tutus nobis videretur reditus Neapolim, ob latrocinia frequentia, quæ plurimos paullo ante in diſcrimen vitæ adduxerant: Conſultum omnibus viſum eſt Hydrunto ſoluere, & traiicere in Corcyram; vnde in Cephaleniam, Zacynthum, deinde in Peloponneſum venimus: trahente nos longius videndi cupiditate quam bono iudicio. Ibi cum in ſtatione moraremur, audiuimus adpropinquare Venetorum triremes, quæ quotannis Ioppen viatores (quos peregrinos vocant) deuehunt, & illuc exponunt, vt Hieroſolymas inuiſant: cum quibus placuit Syriæ partem videre. Sed contigit vt Methonæ febri ardentisſima correptus, a ſuſcepta nauigatione reuocatus ſim, relictusque apud mercatores Venetos qui in ea vrbe negotiabantur. Vbi poſtquam conualui, veni in Honufrii Pallantii familiaritatem. Huius conſilio me recepi in monaſterium, quod incolebat; (erat enim monachis S. Baſilii præfectus, quem Protoſyndulum vocant: fratresque illius ordinis Callogeri vel Callogerontes dicuntur.) Laudat inde ſingularem huius Pallantii humanitatem cuius beneficio ſe debere dicit, quod pleraque loca maritima & multarum vrbium ruinas magna cum voluptate & admiratione fuerit contemplatus, adnotans vbique quæ obſeruatione digna repererat. Cogitaſſe quidem ſe

iam

iam illo tempore,addit,de emittendisin publicum collectis his obſeruationibus, propoſitum tamen diuertiſſe curam quæ ipſi filiorum Baronis Clareuantii demandata fuerat, qui cum adoleuiſſent, & bellis iſtis ciuilibus, quibus tum temporis Gallia & Belgium flagrabant, pro patria vitam impendiſſent, domum ſe recepiſſe, vt reliquum vitæ conſumeret tranſcriptione & diſpoſitione eorum, quæ ſine ordine congeſſerat. Inter quæ diſcipulorum ſuorum matrem, Catharinam Heuiam maxime laudat, quod ſibi ex mariti mandato liberalisſime prouiderit de omnibus neceſſariis.

§.V.Multo ita labore, periculoſis itineribus, ſolerti curamultas congeſſerat antiquitatũ partes, quas ſorori in Comitatu Montisbelligartenſi viuenti commendauerat. Has autem Lotharingorum in eam prouinciamirruptione omnes perdidit. Quam iacturam in eadem epiſtola dedicatoria ad Hermannum a Ghoer perſcripta quam maxime dolet. Dicit enim, ſe inilla deuaſtatione libros ſuos,collectiones,innumeraque numismata,& fragmenta antiquorum librorũ papyraceorum, linteorum, & quæ corticibꝰ,membranis,inteſtinisque,ſardonycis, onychinis,& gemmis ſcripta ſeruarat, vel dono data a nobilibus, vel pretio maximo, & laboribus infinitis redempta, vno momento prædæ

militum ceſſiſſe vel igne fuiſſe conſumta. Aliquam tamen partem quam ante iſtam irruptionem Metas Mediomatricum tranſtulerat, ſeruauit. Amiſſorum vero iacturam ſuppleuiſſe quodammodo dicit amicorum auxilia, qui diuerſis ex locis ad ipſum miſerint plurima notatu digna, quæ ipſi obſeruauerant, & deſignauerant. Inter quos laudat maxime Iulium Roſcium ſanctæ Mariæ Transtiberinæ Canonicum, virum doctum antiquitatumque ſtudioſisſimum, a quo præter alia accepiſſe ſe dicit manu exaratum codicem, qui plura contineret obſeruatione dignisſima. Ex iſtis ergo creuit antiquitatum opus, quod multo poſthac labore congeſſit.

§. VI. Poſtquam ergo varias obiiſſet peregrinationes, pertæſus vitæ variæ, Metis tandem ſedem fixit, antiquitatibus adhuc indulgens, ibique die XXX octobris anno Chriſti 1602 mortuus fuit, ætatis LXXIV.

§. VII. Poſt vitam Boiſſardi ſequuntur eiusdem ſcripta, quæ breuiter nunc recenſebimus. Primo quidem loco dicemus de eiusdem topographia Romana. Prodiit hæc cum aliis eiusdem argumenti ſcriptis hoc titulo ornata: *Onuphrii Panuinii, Bartholomæi Marliani, Petri Victoris, Iani Iacobi Boiſſardi topographia Romæ cum tabulis geographicis, imaginibus antiquæ & nouæ vrbis, inſcriptionibus, marmo-*

moribus, ædificiis, ſepulcris & quidquid eſt a veneranda antiquitate magna diligentia æri inciſis. Francofurti in bibliopolio Bryano, apud Matthæum Merianum 1627 f. Generalis hic eſt titulus, omni operi præfixus, quod etiam plures aliorum tractatus continet, qui tamen a Boiſſardo congeſti. Altera quidem hæc editio eſt primæ & ſecundæ partis, poſt mortem & Boiſſardi & de Bry edita, cum prioris pars I. & II. anno 1597 prodiiſſet, Reliquæ partes vnica tantum vice editæ: Tertia quidem anno 1597, IV, 1598, V, 1600. VI, 1602.

§. VIII. Ipſum opus primo loco continet topographiam Romanam a Boiſſardo compoſitam. Occaſionem qua illa fuerit edita, ipſis auctoris verbis in epiſtola dedicatoria ad Ioannem Comitem Palatinum trademus. *Cum ante aliquot annos Romæ viuerem*, inquit, *(vt diuerſos diuerſa iuuant, & trahit ſua quemque voluptas) collegi qua potui diligentia inſcriptiones antiquorum marmorum, quæ paſſim leguntur in ampliſſima vrbe. In quarum perluſtratione cum plurimum laboris ac temporis impendiſſem, innotui ſcholaſticis tam Gallis, quam Germanis, qui in celeberrimis Italiæ academiis litteris operam dabant, quique ad inuiſendam vrbem cateruatim Romam ſe quotannis conferebant. Hos dum animaduerterem occupatos adnotatione, & deſcriptione eorum, quæ videbant*

&

& admirabantur, vt eorum adiuuarem ſtudia, tractatulum edidi, quo vnusquisque inſtitui poſſet & doceri, qua ratione & methodo poſſet ſine tanta difficultate ea disquirere & perluſtrare, quæ in tam ampla vrbe tam publice quam priuatim ſpectantur notatu digna. Eum libellum lætatus ſum placuiſſe, & cum plauſu exceptum eſſe: legique cum delectatione & fructu. Qui & hodie cum multis viris litteratis probari videam, illum tranſcribere & in lucem emittere ſtatui. Ideo quoque in topographiæ introitu commemorat, quod in eorum vtilitatem ſit conſcripta, qui antiquitatum viſendarum cauſſa Romam vrbem adeunt, quo huius ſcripti ope ſingula melius poſſint perluſtrare.

§. IX. Diſtinxit hanc ſuam topographiam in dies quatuor quibus poſſe perluſtrari totam vrbem putat. Viatorem autem per Hetruriam Romam venientem, per Vaticani portam caſtello Sancti Angeli conterminam ducit. Ab iſta, opera Romanorum & antiquitatis rudera, templa, ſtatuas, arcus triumphales, portas, palatia & quæ alia magnifica perluſtrare incipit, vsque ad portam Oſtienſem, in qua primum diem claudit. Secundum diem ab Aelio ponte incipit, & quæ intermedia conſiderat ad Coliſæum vsque. Tertium diem a Tibertina platea incipit atque ad templum Pacis deſinit.

nit. Quartum a Tiberi ad Quirinalem collem vsque extendit, & ſic omnem deſcriptionem vrbis concludit. Breuis quidem eſt libellus, qui non quidem operum deſcriptionem continet, ſed tantum ſitum & ordinem, vt iis, qui Romam viſendi cauſſa adeunt, non poſſit non eſſe adiumento. Licet, vti fieri aſſolet, multa interim fuerint immutata, vt operæ pretium eſſet, ſi quis ex recentioribus antiquariis hanc Boiſſardi topographiam emendaret, adque ſtatum hodiernum dirigeret, quod peregrinantibus admodum poſſit eſſe proficuum.

§. X. Subſequuntur nunc in parte prima aliorum topographiæ non minus vtiles. Prima quidem eſt Onuphrii Panuinii Veronenſis, eremitæ Auguſtiniani, deſcriptio quatuordecim regionum vrbis, prout ab Auguſto imperatore diuiſa, ex Sexto Rufo, Publio Victore aliisque collecta, quæ opera & ædificia Romanorum ſecundum regiones ſuas recenſet, cui adnexa eſt tribuum vrbis Romæ breuis deſcriptio. Subſequitur Publii Victoris (quem in titulo male Petrum vocauerat de Bry) de regionibus vrbis Romæ liber, quem alias Sexto Ruffo attribuit Philander. * Ex collatione tamen tractatuum, quorum vterque in tomo quinto theſauri Græ-

* *in Vitruuii lib. VII, III.*

Græuiani continetur, patebit, diuerſos eſſe eos, & a ſe inuicem diſcrepantes.

§. XI. Altera pars topographiam vrbis Romæ continet Ioannis Baptiſtæ Marliani patritii Mediolanenſis, licet alio ordine hic exhibeatur, ac olim per Ioannem Oporinum edita fuit Baſileæ 1550, f: & nunc partem facit Tomi quinti Theſauri Græuiani, quibus Theodorus de Bry figuras addidit vrbis Romæ XIV tabulis comprehenſas, ſecundum totidem regiones ab Auguſto Imperatore factas, breui vbique adiecta deſcriptione. Qui tandem generalem atque perfectam vrbis Romæ imaginem ſubiicit, eamque ſatis nitidam, licet perfectior ſit Ioannis Baptiſtæ Faldæ tabula topographica, Sexto tomo Theſauri Græuiani præmiſſa. Subiicit inde alias figuras, Circi, inſulæ Tiberinæ, lupæ æneæ capitolinæ, ſepulcri Bacchi ex porphyrite ſarcophagi, feſti Priapi, fori Romani, Marforii, caſtelli Sti Angeli, Pasquini, Laocoontis, thermarum, lauacrorum, vaſorum inſtrumentorumque ſacrificalium Pyramidumque, breui vbique adiecta deſcriptione.

§. XII. Tertiæ parti præmiſſa eſt breuis diſſertatio de antiquæ vrbis Romæ ſitu & origine, præcipuisque eius ruinis & reliquiis, quæ in hodiernam vsque diem ſuperſunt: in qua generaliora quædam breuiter tractat, de

cir-

circis, aquæductibus, theatris, obeliſcis & ſimilibus ſtructuris magnificis. Et cum in marmoribus antiquis littera ſæpe vocem faciat, huic deſcriptioni ſubiicit Valerii Probi Grammatici veteris de notis antiquarum litterarum librum breuem quidem, ſed ad intelligenda antiquitatis monumenta non inutilem. Quibus dein vel centum inſcriptiones veterum Romanorum ſubiiciuntur.

§. XIII. Quartæ parti vti ex initio operis quam facile patet, præmittitur de funeribus & modo ſepeliendi apud antiquos tractatio ab ipſo Boiſſardo compoſita, ad melius intelligendas inſcriptiones quæ in eodem tomo continentur potisſimum ſepulcrales. In qua primum quidem ſepeliendi neceſſitatem omnibus gentibus fuiſſe communem probat, cui ſubiicit præcipuas funerum apud gentes cærimonias, quas conſiſtere dicit in lotionibus, conditura, pompa funebri, pullis veſtibus, ſepultura & parentationibus; & more comburendorum cadauerum, tum apud Græcos quam latinos communi, tandem cum funerum apud Romanos diuerſitate & ſepulcrorum nominibus diuerſis, concludit. Breuem inde de apotheoſi tractationem ſubiicit, quam Romanos a Græcis hauſiſſe dicit. Subſequuntur hæc tabulæ centum quadraginta nouem, quæ

quæ varia antiquitatis marmora cum ſuis inſcriptionibus, multasque Deorum ſtatuas præferunt. Præferendum in hoc eſt operi Gruteriano & reliquis quæ edita ſunt, quæ ſola inſcriptionum verba tradunt, cum iſta marmora inciſa varias ſæpe contineant figuras atque ornamenta, quæ multas antiquitatum partes alias illuſtrent. Singulare in hocce tomo eſt, quod varia veſtimentorum Romanorum genera contineat. Videmus ibi togas Romanas cum calceis togæ propriis, pænulas, pallia, ſaga, paludamenta & caligas, & quæ mulierum ſunt ornamenta: pallas, ſtolas, veſtimenta manicata, gauſapina vel fœminarum velata capita, faſciis involuta & capillis cincinnatis atque ordine diſpoſitis & compoſitis in ſtaticne comis, vti Ouidius loquitur, videmus, ſumma habitus elegantia expreſſa. Taceo Deorum Dearumque ſtatuas: Mineruæ, Herculis Muſagetis, & Placidi, Mercurii, Iouis, matris Deum, Termini, Panis, Veneris, Iunonis, Spei & elegantisſimam Dianæ Epheſiæ. *Sic & marmora adducuntur quæ libidinoſorum conuiuii figuram ** exhibent, & quæ nitide expreſſa in monumento M. Cœlii Dionyſii lictoris faſcium figura. * Singula alia antiquitatum monumenta & inſcriptionum ſolen-

*p. 118. **p. 126, & 145. *p. 146.

lennia hic recenſere nimis longum foret.

§. XIV. Quinta pars antiquitatum Marmora continet multa, atque inter hæc aliquot ſtatuas Auguſtarum præſertim. Obſervandus præ cæteris eſt ſingularis capitis ornatus Iuliæ Proculiæ ** coma intorta & arte mulieribus alias ſolenni, criſpa, eodem fere more quo vti ſolebant, annis abhinc aliquot, fœminæ noſtri temporis.

§. XV. Sexta pars antiquitatum præmiſſum habet Lilii Gregorii Gyraldi ſingularem librum de ſepulcris & vario ſepeliendi ritu, qui tum inter opera eius alias continetur, tum ſeparatim prodiit cum Io. Faes animaduerſionibus. Subſequuntur variæ inſcriptiones potisſimam partem ſepulcrales, quibus intermixtæ ſunt variæ ſtatuæ, vtpote Canopi, Nympharum, Syluani, Larum, Priapi, matris Deum magnæ, Cereris, Prouidentiæ, Iouis cum Ganymede, fulmine triſulco & aquila, Anubis, Genii, Solis, Herculis & Neptuni. Singula magno nitore & induſtria, integra quoque fide, prout vel in pugillaribus ſuis adnotauerat Boiſſardus, vel ab amicis ad eundem fuerant transmiſſa, expreſſa ſunt. Commendandum ergo eſt opus, ex quo multa ad Romanorum antiquitates ſingularia hauriri poterunt. Sumtuo-

** *p. 57.*

ſum tamen eſt ob tabellarum æneārum copiam & hodienum quoque rarum. Dolendum quoque, quod indicibus ad eiusmodi res tamen maxime neceſſariis deſtituatur, quibus tamen præualent opus & Gruterianum & Reineſianum.

§. XVI. Præter hoc autem inſcriptionum opus adlaborauit & aliud ad antiquitates Romanas non minus vtile, de *genealogia & imaginibus Deorum*, cuius ſæpius in ſcriptis ſuis facit mentionem. Primum quidem illud in dedicatoria epiſtola ad Ioannem Caſimirum Comitem Palatinum Rheni primæ parti antiquitatum præfixa, promittit his verbis: *Si Deus mihi dies vitæ longioris proroget, abſoluam tractatum, qui iam fere ad finem perductus eſt: in quo ſtatuas deorum antiquorum propono cum ſingulorum elogiis: quibus eſt adiuncta ampliſſima omnium genealogia, imaginesque ſacerdotum & ſacrificiorum, habitusque virorum & mulierum: quæ omnia ex tabulis & marmoribus antiquis excepi: & opus abſolutum Tuæ Celſitudini conſecrabo.* Idem agit in præfatione tertiæ parti antiquitatum præmiſſa, dum ait: *ea ſi laudentur, & a benignis lectoribus æqua fronte ſuſcipiantur, ſubiiciemus locupletiſſimam Deorum genealogiam & eorum ſimulacra; qualia ab antiquitate marmoribus expreſſa ſeruantur tam Romæ quam in aliis Italiæ vr-*

vrbibus, quibus addentur ſingulorum vitæ & origines, & ne quid in his lector deſideret, modum ſacrificandi, inſtrumenta ſacrificiorum, ſacerdotumque habitus exprimitur. In alio vero de diuinatione tractatu illud iam tanquam elaboratum adducit: Sic enim loquitur: * *de genio diffuſe ſatis tractaui eo libro, quem de genealogia & imaginibus Deorum conſcripſi tribus tomis illuſtriſſimo Principi Ioanni Comiti Palatino* [cum interea temporis Ioannes Caſimirus fuerit mortuus] *Ducique Bauariæ dedicatis.* Et alio loco ** ad ipſum Principem tranſmiſſos hos libros dicit, vbi de Arunte: *pete reliqua ex genealogia Deorum ad Bipontinum principem miſſa: in qua longo ordine deſcripſi eos qui apud Hetruſcos Imperium tenuerunt.* De ſacerdotum quoque collegiis atque ordinibus apud Romanos latius ſe in dicto tractatu egiſſe ait. Sed licet penitus elaboratum fuerit opus, in manuſcripto tamen adhuc latet, & ſine dubio in bibliothecis Palatinis adſeruatur.

§. XVII. In iſto autem quod ſupra recenſuimus inſcriptionum opere, Romæ tantum a ſe repertas inſcriptiones exhibet: in præfatione vero quartæ parti præmiſſa, promittit & librum peculiarem, comprehenſurus in eo nonnulla, quæ in Italia, ora Illyrici, in

 Sti-

* *cap. V. III. p. m, 62.* ** *p. m. 301.*

Stiria, Germania & Gallia congeſſerat. Quibus & ſe adiungere velle dicit aliquot litteratorum & illuſtrium virorum ſepulcra: vt Pontani, Decii, Actii, Dantis, Ficini & aliorum qui ſcriptis ſuis celebres: quod opus adfectum quidem fuiſſe putamus, nondum autem elaboratum. Induſtrius ſane vir fuit, nulli labori, nullis etiam ſumtibus parcens, quo eruditis commodum per ſcripta adſeferat, dignus ergo, cuius memoria conſeruētur.

OBSERVATIO II.

De RELIQVIS BOISSARDI SCRIPTIS.

§. I. B*Oiſſardi tractatus de diuinatione quando editus.* §. II. *Alius eſt ab eo, quem de Diis promiſerat.* §. III. *Diuinationem quomodo diſtinguat, eamque vel Deo vel diabolo adſcribit.* §. IV. *Triplices effectus vel a Deo, vel a natura, vel a diabolo.* §. V. *Qua ratione rerum fata per aſtra regantur.* §. VI. *Sibyllina oracula, quæ ſuperſunt, ſuppoſititia.* §. VII. *Oracula vnde orta, & variæ magiæ ſpecies.* §. VIII. *Vlterior recenſio tractatus de diuinatione, vbi agitur de magiæ differentiis, animarum euocationibus & incantationibus.* §. IX. *Breuis recenſio Deorum fatidicorum & celebriorum vatum.* §. X. *Sibyllarum duo-*

duodecim adducit Boiſſardus. §. XI. *Vatum celebriorum recenſio.* §. XII. *Breue de hoc Boiſſardi libro iudicium.* §. XIII. *De eiusdem libro de vita & conibus Sultanorum agitur.* §. XIV. *Rationem quam in hoc ſcripto ſeruet.* §. XV. *Scanderbegi vitam qui ſcripſerint.* §. XVI. *Recenſio dicti tractatus.* §. XVII. *Mameluci qui dicantur.* §. XVIII. *Continuatio recenſionis dicti tractatus.* §. XIX. *iudicium de hoc libro* §. XX. *Boiſſardi icones virorum illuſtrium recenſentur.* §. XXI. *quod opus poſtea ſub titulo bibliothecae chalcographicae prodiit*, §. XXII. *Alia ſcripta quae ediderit, referuntur.*

§. I.

RE.cenſuimus ſuperiori obſeruatione Iani Iacobi Boiſſardi opus inſcriptionum; pergimus nunc ad alia ſcripta ab eodem edita. Rariſſimus eiusdem eſt tractatus de diuinatione & praeſtigiis magicis, qui prodiit Hanouiae 1611,4 & Oppenheimii 1615, f. Poſthumum ſcriptum eſt, quod abſolutum quidem reliquit Boiſſardus, imprimendi tamen curam poſt ipſius mortem demum ſuſcepit Ioannes Theodorus de Bry iunior, patria Argentinenſis, ciuis vero Oppenheimenſis, ſculptor ſui temporis celebris, qui

partus huius iam maturi miſertus, eundem in lucem protraxit publicam.

§. II. Errat tamen in hoc de Bry, quod huncce tractatum eundem eſſe velit, cum eo quem de diis horumque genealogia Boiſſardus promiſerat. Praeterquam enim, quod, ſi pauca Iouis & Apollinis oracula excipias, de diis nihil habeat, nec de ſacerdotiis, de quibus tamen in eodem tractatu agere promiſerat, argumentum ſane certiſſimum erit, plane eſſe diuerſos, cum in hoc ipſo de diuinatione libro ad illum de diis, * repetitis vicibus ſe referat, vti ſuperiori obſeruatione fuit demonſtratum.

§. III. Initium operis facit auctor, vt originem doceat & diuerſitatem diuinationis, quam vel artificioſam eſſe dicit, cum ex medicina, meteoris & phyſiognomia varias eliciant praedictiones; vel popularem & plebeiam, quam ex tempeſtate & certis diebus ruſtici ſumant: vel denique diabolicam, ad quam refert omnia oracula, quae per enthuſiaſmum redduntur. Omnia ita vatum vel oraculorum reſponſa ſine haeſitatione diabolo adſcribit, quem eodem tempore, quo per prophetas ſuos Iſraëlitarum populo reſponſa dederit Deus, per Phoebades quoque, Sibyllas aliosque fatidicos gentibus oracula edidiſſe, ait. Mulieres tamen iſtas, Phoe-

* *Et cap. VIII. p. m 62. & p. m. 301.*

Phoebades & Sibyllas medium quaſi locum ſortiri dicit, inter veros Dei prophetas & falſa daemonum oracula; cum mulieres iſtae multa habuerint commercia cum Hebraeis, tam in Aegypto quam in Palaeſtina, atque ex ſacrarum litterarum lectione multa didicerint, quae ad vaticinia pertinerent, ita ut fatidico ſpiritu correptae multa pronuntiauerint de poenitentia, vitae emendatione & venturo Meſſia.

§. IV. Licet in ſingulis hiſce Boiſſardo non plane poſſim adſentiri. Non enim omnia, quae diuina non ſunt, diabolo adſcribenda, ne maiores eidem tribuamus vires, quam conceſſae. Triplices enim rerum effectus agnoſcimus, vel a Deo, vel a natura, vel a diabolo. Sacras quidem prophetias diuinitus eſſe inſpiratas nullum eſt dubium. Phoebadum & Sibyllarum vaticinia plerunque a natura: magorum incantamenta a natura partim, partim & a diabolo; cum & hic ad praeſtigia ſua naturalibus vtatur modis.

§. V. Genius enim humanus vbi a curis conſuetis abſtrahitur, vnicae rei intentus, aſtrorum perueſtigat myſteria, ex quibus originem trahit, rerum indagat fata, quae per aſtra reguntur. Nec tamen credendum, quaſi abſolute regant aſtra, & Stoicam impo-

 nant

nant neceſſitatem, quod ſecundum naturam concedendum quidem, ob virtutem diuinitus inditam, non vero prout Deo creatori ſunt ſubiecta, cum Deus aſtrorum effectibus pro nutu frenum poſſit iniicere, ita vt fata quae aſtra minantur, a piis per preces vel auerti plane, vel ſaltim minui poſſint; ab impiis ob malitiam vel augeri vel etiam praecipitari. Sed hoc alio loco rationibus firmabitur & exemplis.

§. VI. Alterum in quo Boiſſardo adſentiri haut poſſum, eſt de Sibyllis, quas ab Hebraeis multa hauſiſſe dicit, quae in ſua transtulerint vaticinia. Ex Sibyllinis enim, quae extant, oraculis, nihil plane licet argumentari, cum ab iis, quibus Romani vſi, quae teſte Liuio concremata ſunt, plane ſint aliena, & vel a Chriſtianis pia fraude ad conuincendas gentes conficta, vel ſi aliquae ex gentibus reliquiae, a Chriſtianis tamen * interpolata, vti alio loco demonſtrauimus.

§. VII. A diuinatione auctor ſe vertit ad oracula, quae omnia ex daemonis inſtinctu prolata dicit, licet & nos quaedam a natura vel hominum fraude profecta putemus. Oſtendit inde oraculorum originem & loca varia, vbi olim edita. Capite quinto diuerſas

* *Syntagmate antiquit. Roman. de ritibus ſacris cap. VI. p. m. 258.*

ſas magiae ſpecies enumerat & breuiter explicat, quid lecanomantia, gaſtromantia, catoptromantia, cryſtallomantia, dactyliomantia, & quae alia praeſtigiarum inſanies, quae a Peucero alias explicata quoque nouimus ſingula.

§. VIII. Propius inde pergit ad propoſitum, atque ſingulari ſectione magiam, magica praeſtigia & impoſturas examinat, cuius primum tradit originem, quam ad Zoroaſtrem cum aliis refert. Inde breuem tractatus magici inſcripti Arbatel recenſionem exhibet, quae tamen omnia tanquam impia & deteſtanda reiicit. Secundo capite ordines explicat angelorum & ſpirituum, prout a philoſophiae Platonicae ſectatoribus, Porphyrio, Iamblicho aliisque traduntur. Capite tertio magiae diuiſionem duplicem, prout a philoſophis fit, refert; diuinam, quae creaturis lucis communicetur; & aliam, quae a creaturis tenebrarum proueniat, ad quam etiam necromantiam ſeu manium euocationem refert. Capite quarto alias magiae ſpecies adducit, vt pharmaciam, quae circa philtra atque potiones verſatur, incantationes ex baptizato lapide Calamita, ex lauro, vel cereis imaginibus incantatis, nodum ligulae, aliaque quibus, vel ſpiritus euocare, vel hominibus nocere ſolent. Caput quin-

tum agit de phylacteriis, characteribus & incantationibus vel morborum ſanationibus per verba, de faſcinatione, defixione & ventorum cohibitione. Capite ſexto agit de animarum euocationibus, hominum in varias animalium ſpecies efformatione, amuletis & magis veterum, qui expeditionibus bellicis interfuere. Capite ſeptimo varia exempla magorum veterum apud Iudaeos maxime & Chriſtianos adducit, quorum ſemper ſcopum fuiſſe dicit, vt homines a vero Dei cultu auerterent, de incubis etiam & ſuccubis. Capite octauo de geniis prolixe agit, & horum adiunctis, laribus, lemuribus, penatibus & manibus. Inde de raptu violento, quo ſe in loca longe diſſita deferri credant, & late de Pilapiorum aliarumque gentium ſeptentrionalium magia ediſſerit. Capite nono varia exempla raptus violenti magorum adducit. Capite decimo de ſpirituum agit differentia, quorum ex Pſello ſex facit ſpecies: igneos, aëreos, terrenos, aqueos, habitantes ſpecus, infernos. Spirituum quoque adparitio quomodo fiat, & qua ratione corpora ſibi adſciſcant, docet, huiusque rei varia adducit exempla. Capite vndecimo de magis ſeruatoris agit, *Saluadori* qui in Italia olim, & virtutem ſe diuinam habere adſerebant.

§. IX. Prae-

§. IX. Præmiſſis hiſce tanquam præliminaribus, ipſam deorum fatidicorum, Phoebadum, vatum & Sibyllarum illuſtrium hiſtoriam adgreditur. Primum facit Iouem p. 88.
Dodonaeum, cuius oraculum prope Dodonem & varias ſortes eius vi editas deſcribit. p. 93.
Alterum facit Iouem Ammonem, de cuius tum nomine, tum oraculo & ſortibus editis agit. Licet in fine adnectat, paullo ante aduentum Chriſti ſeruatoris obmutuiſſe gentium oracula, cui vero adſerto iam dudum oraculorum exemplis variis poſt Chriſti tempora adductis, contradixit Antonius van Dalen. Tertiam facit Themidem, quam p. 97.
& Delphis oraculum edidiſſe ex Orpheo adducit, licet monita potius de vitae integritate & ſeruanda aequitate pro cultu deae apud gentes eam edidiſſe addat. In quar- p. 106
to ſeu Apolline Pythio prolixior eſt, quia fons quaſi & fundamentum eſt oraculorum apud gentes. Quare & de origine oraculi Delphici agit, & varia exempla ex hiſtoriis, graecis maxime, de conſulto hoc oraculo atque editis reſponſis adducit. Quintus eſt p. 124.
Trophonius Lebadius, cuius antrum in Lebadia & oracula data deſcribit. Sextus eſt p. 127.
Serapis, Aegyptiorum Pantheus, cuius templa, oracula & cultum deſcribit. Subſequuntur Paliſci, Iouis & Thaliae filii, inter

deos

p.136. deos fatidicos ab antiquis relati. Hos exci-
pit Branchus Apollinis Didymaei filius, ipſe
inter deos relatus, atque Branchidibus po-
p.140. pulis cultus. Mercurius Triſmegiſtus, quem
ſubiicit, Aegyptiorum fuit philoſophus &
rex, cuius vaticinia de Deo triuno & Chriſto
varia adducit. Sed cum de eiusdem ſcrip-
torum veritate non promiſcue ſit ſentien-
dum, de eo dicetur alio loco pluribus. Di-
p.148. uerſarum formarum capax erat Proteus,
Oceani & Tethyos filius, quem non minus
certa dediſſe oracula putabant veteres ac
p.151. Apollinem. Carmenta Mercurii pellex
erat, fatidica mulier apud Romanos habita,
quae fata nouiter natis caneret. Graecis,
quae Apollinis oracula carmine redderet.
Telemus Neptuni habebatur & Eurymae
nymphae filius, vnus ex Cyclopibus, ab Apol-
line ob pietatis ſtudium diuinandi peritia
p.156. praeditus. Iapyx Iaſii fuit filius, vates &
citharoedus excellens, a quo Iapygia pars
iſta Italiae dicta, quae in Cherroneſi formam
p.158. redacta. Tireſias Thebanus Iunonis ira ob
iudicium nimis leue oculis orbatus, ab Ioue
vero diuinandi peritia donatus, plura edidit
p.161. vaticinia. Idmon Apollinis dicebatur &
Aſteries filius, a patre diuinandi peritiam
p.163. adeptus. Nobilis haruſpex erat Tages,
quem ex genio natum adfirmabant & He-
tru-

truriae populos haruſpicinam docuiſſe, quem etiam Romani fuere admirati. Amphiaraus vates inter Graecos habebatur ex- p.169. cellentiſſimus, cui diuinos habuere honores, templumque extruxere Oropii in Attica, ad quod ex vniuerſa Graecia conuentus erat maximus eorum, qui oracula poſcebant, quae per ſomnia fiebant. Thyodamas Melam- p.174. podis filius cum patre ſuo auium voces intellexiſſe & cum iis collocutus eſſe dicebatur. Mopſus Apollinis filius diuinandi artem di- p.177. cebatur edoctus. Calchas Theſtoris filius ex p.180. Troiana alias hiſtoria notus eſt Graecorum ductor & augur. Helenus, Caſſandra & p.182. Laocoon Priami & Hecubae liberi, monitus quoque diuinos edidiſſe dicebantur. Polyxo Lemnia erat mulier fatidica, Apollinis p.188. ſacerdos, quae oracula reddebat ſciſcitantibus. Hirtia Seſoſtris Aegyptiorum regis fi- p.191. lia, fatidica habebatur, atque Apollinis miniſterio dedita. Prylis Mercurii erat filius p.193. ab patre eloquentia, ab Apolline diuinatione praeditus, cuius inſtinctu equum Troianum fabrefactum fabulabantur.

§. X. Pergit inde auctor noſter ad pleni- p.196. orem tractationem de Sibyllis, vbi praemittit quae Platonis & Romanorum quorundam veterum, Iuſtini etiam martyris, Auguſtini aliorumque ſententia fuerit de Sibyllis. Poſt haec

haec duodecim adducit Sibyllas patria di-
p.198. uerſas: Delphicam, Erythraeam, Cumae-
am, Cumanam, Perſicam, Libycam, Samiam, Helleſpontiacam, Phrygiam, Tiburtinam, Epiroticam & Aegyptiam. Singularum deſcribit ortum, patriam & fata, vaticinia quoque quae vel ex ſcriptoribus hauſit, vel ex oraculis, quae adhuc dum habemus reliqua, eaque adducit & quae de iis hiſtorici memo-
p.289. rant, declarat. Praeter has tamen Phoebades adhuc binas quae ſpiritu quodam adflatae vaticinatae fuerant, recenſet, Colophoniam Lampuſiam, & Theſſalicam Mantonem.

§. XI. Vltimo loco de philoſophis atque vatibus agit, quos omnis celebrat antiquitas.
p.293. Primum ex hiſce facit Pythagoram, cuius varia tum inſtituta, tum miraculoſa recenſet. Sed cum magiae eundem inculpet, eum contra Boiſſardi iniurias in apologia ſua defendit Naudaeus. * Alter eſt Aruns, celebris apud Tuſcos augur, qui auguralem diſciplinam euexit maxime, qua etiam occa-
p.300. ſione de ipſa hac diſciplina ediſſerit pluribus. Tertius eſt Aſylas augur aeque apud Tuſcos celebris, ſub quo agit non de diffe-
ren-

p.310. * titulus libri eſt; *apologie pour tous les grands perſonnages, qui ont êt é fauſſement ſoupconnés de Magie, à la Haye 1679* agit de Pythagora *cap. X, p. m.* 171)

rentiis ſolum hoſtiarum & ſacrificiorum variis, ſed & de ſacerdotum apud Romanos ordinibus: cui dein adnectit ipſum contemplandi viſcera atque inſpiciendi exta morem. Quartus eſt Olenus Calenus, quem p. 317.
inter praecipuos Hetruriae vates atque haruſpices referunt ſcriptores priſci. Quin- p. 320.
tus eſt Spurina, augurandi ſcientia clarus Iulii Caeſaris tempore, qui & ipſi Caeſari mortem praedixit; vbi ſimul agit de reditibus imperii Romani, quod olim fuit, & ſeparatim regnorum hodiernorum, quae olim Romanorum erant prouinciae, reditus dinumerat. Sextus eſt Apollonius Tyanaeus, cuius vitam & fata inter omnes optime deſcribit. Plenius tamen de eadem, eiusdemque philoſophia & inſtitutis agit Philoſtratus Lemnius. Vltimus tandem eſt Iamblichus Chalcidenſis, de cuius vita & ſcriptis breuiter agit. Subnectit epiphonematis loco miracula haecce a magis daemonum ope fuiſſe edita & aliquot exempla magorum circa prima noui foederis tempora adducit.

§. XII. Vt & de hoc tractatu dicam, quid mihi videatur, egregia praeſtitit Boiſſardus, tum in adducendis variis diuinationum ſpeciebus & praeſtigiorum magicorum atque vaticiniorum exemplis, tum & in deorum fati-

fatidicorum, Sibyllarum atque Phoebadum, vatum item celebriorum hiſtoria, immo & exhibendo loca in quibus olim oracula fuere edita. In ſingulis hiſce laudem meretur noſter. Nimium tamen ſaepe aliorum adſcribit fidei, vt pro praeſtigiis magicis aliqua habeat, quae vel perperam ab aliis intellecta, vel fuere naturalia. Telam quoque quam exorſus erat, citius quandoque abrumpit, nec ſingula prout neceſſe eſſet, late ſatis deducit.

§. XIII. Reſtant nunc alia eius ſcripta, quae breuiter recenſebimus. Eiusdem enim ſunt vitae & icones Sultanorum Turcicorum, Principum Perſarum, aliorumque illuſtrium Heroum Heroinarumque ab Osmanne vsque ad Mahometem II ad viuum expreſſae & a Io. Iac. Boiſſardo illuſtratae, in aes inciſae per Theodorum de Bry, Francofurti ad Moenum 1596.

§. XIV. Rationem in hoc ſcripto talem ſeruat auctor, vt iconem primo exhibeat, dein breuem addat vitae deſcriptionem. Icones autem ſumſiſſe ſe ait ex antiquis metallis, quae ex Conſtantinopoli Imp. Ferdinando oblata. Primum quidem aliquot Turcarum adducit Imperatores: Osmanem, qui Ottmannidarum imperio nomen dedit: Baiazethem I & II, Solymannum, Muſam, Mahume-

humetem I & II, Amuratem, quorum facta breuiter deſcribit.

§. XV. Inde Georgii Caſtriotae, Scanderbegi alias dicti vitam factaque refert heroica, vxoremque eius Donicem ſubiungit, fratrisque filium Amaſem Caſtriotam, fidum in bellicis expeditionibus Achatem. Qui tamen inſignis huius herois & Turcarum victoris vitam plenius deſiderat, Marinum Barletium adeat, qui de vita, moribus & rebus geſtis eiusdem libris XIII egit, ſingulari edito tractatu Argentorati 1537 f. & qui gallico idiomate de eiusdem vita & rebus geſtis prodiit tractatus Iacobi Lauardini Domini de Pleſſis, Pariſiis 1597. 8

§. XVI. Subiungit dein varios viros inſignes, quorum nomina decantant hiſtoriae, non quidem ob facta ſemper egregia, ſed & audacia. Adducit ita Tanuſam Thopium, Moſachum Golemium, vtrosque Scanderbegi adſeclas. Torlacem Deruiſium qui Baiazethem Turcarum Imperatorem occidere conatus fuerat, non vero perfecit. Dein Teckel Schachoculin, quem prophetam habuere ſui: Iſmaelem Sophi regem Perſarum, Muſtapham Baſſa, aſtutum hominem & rebellem. Sinan Baſſa, Selymum Othmannum Baiazethis filium, Campſonem Gaurum Aegypti Syriaeque Sultanum, To-

mombeium, Orchamum cum vxore Salomache.

§. XVII. Qui quoniam Mamelucorum Sultani fuerunt, latius paullo explicat, quinam ſint Mameluci. * Quos eſſe dicit populos Getas, Zinchios, Baſtarnas ad Euxinum Pontum circa Mæotim paludem habitantes, qui vno nomine Circaſſi dicebantur a Cercicis populis, qui ad Colchos vergunt. *Hos* inquit, *Valachi ſiue Myſi ad Danubium ſiti & Tartari Praecopienſes Tauricam Cherſoneſum incolentes, Padoliique vicini, Sarmatae & Roxolani, quoties per occaſionem poſſunt, captos Alexandriam quotannis venales abducunt ad Sultanos Cairi: qui mancipia haec tenera adhuc aetate curat ſumma diligentia nutriri & inſtitui militaribus omnibus exercitationibus: cumque adoleuerunt, prout inueniuntur idonei & rerum maiorum capaces, euehuntur ad diuerſos bonorum gradus, in militia potiſſimum. Horumque virtute & viribus omnem ſpem conſeruandi regem reponit Sultanus. Quemadmodum Principes Othmannici idem factitant de Chriſtianorum filiis maſculis.* Mameluci ergo Aegyptiorum Sultanis iidem ſunt ac Turcarum Ianizari.

§. XVIII. Pergit dein ad alios & quidem exhibet Iunum Baſſam Perſici exercitus ducem, cum vxore Mantone. Dein Solimannum

* *p.* 158.

num qui Budam occupauit, Viennam obſedit, Vngariam deuaſtauit, Italiam terruit & foedera fregit: cuius hiſtoriam per annorum ſeriem prolixius deducit, eiusque addit vxorem Roſſam. Subſequitur Ibrahimus Baſſa Albanus, poſt vero ſummus aulae Turcicae miniſter factus. Aſſambegus pirata decantatus cum Tamira vxore; Dauid Abyſſinus, Sinan Coeſut-archipirata, Solimannus Baſſa, Lutzis Baſſa, aliis Luſtibeius dictus, Horuccius Barbaroſſa pirata, cum fratre Chairadine, Muleaſſes Tunetanorum rex, Dorax Abuſaidas Alarbæus princeps, cum Cleone vxore, Tammas Sophi, cum Coraſi vxore, Vlamas Begus Perſa, Olyndus Arabs cum Medabe vxore, Selymus II Solymanni filius cum Murate III huius filio, & Muſtaphas denique Baſſa. Quorum ſingulorum vitam geſta & fata ex hiſtoriis deſumta breuiter deſcribit.

§. XIX. Lucem ergo in hiſtoriis Turcicis præſtat hoc ſcriptum non minimam, dum praecipuos duces bellicos illuſtret. Figurae quae additae ſummo nitore fuere expreſſae exornataeque in margine variis animantium figuris artis inſignis, prout in manu exaratis codicibus variegatis coloribus pictis, alias conſpicitur.

§. XX. Aliud eiusdem opus eſt quod in-

ſcribitur Bibliotheca in quinque partes diſtincta, in qua virorum doctrina illuſtrium vitae exhibentur, adiectis; eonibus, cuius pars prima Francofurti ad Moenum prodiit 1597. 4. altera 1598, tertia 1598, quarta 1599, & quinta 1628. Effigies exhibet virorum doctorum, quae tamen vti eruditi iudicant, ad viuum factae non ſunt, cum breui addita vitae fatorumque deſcriptione. Et licet quidem circa eorum ſcripta non tam ſollicitus ſit, ſingularia tamen habet circa vitae fata, quae alibi haut treperiuntur.

§. XXI. Prodiit poſt haec idem opus ſub titulo Bibliotheca chalcographica illuſtrium virtute atque eruditione in tota Europa virorum, Francofurti 1650. 4. Quae ſolas effigies virorum doctorum exhibet, ſine vitae deſcriptione, additis tamen ſub imaginibus diſtichis, quæ, iudice Halleruordio, in bibliotheca ſua curioſa, raro arguta, vt plurimum inſipida. Sextam huic bibliothecae partem adie cit Sebaſtianus Furckius, ſeptimam octauam & nonam vero Clemens Ammonius iunior, Ioannis Theodori de Bry gener, qui & in praefatione ſeptimae partis ſeu ſecundae continuationis ex his omnibus perfectum aliquod opus promittit ſecundum cuiusque facultatis ſeriem concinnatum, in quo exhibiturus ſit omnes omnium aetatum omni-

omniumque facultatum viros, ſapientia, prudentia atque litteris conſpicuos, ad viuam expreſſos, cum vitarum deſcriptionibus & eorundem lucubrationibus, ad quam rem opem lectorum implorat, ſed vel fatum vel alia quaeque praeuertere propoſitum.

§. XXII. Edidit praeter haec Theatrum vitae humanae, Francofurti 1596. 4. Parnaſſum cum imaginibus Muſarum Francofurti 1601. f. Emblemata per Theodorum de Bry ſculpta Francofurti 1593. 4. Poëmata, epigrammata, elegias, epiſtolas. Baſileae 1574. 8. Metis 1589. 1591. 8. Quae alias eius carmina tomo primo deliciarum poëtarum Gallorum inſerta. Sed cum illa nobis iam non ſint ad manus, alio loco & tempore de iis dicendi dabitur occaſio.

OBSERVATIO III.

MVSAE TRES. DE IIS LOCVS AVGVSTINI ET PLVTARCHI. POESIS PRO-GRAMMATICA.

SVMMARIA.

Variatio veterum de numero Muſarum, §. I. *aliis nouem, aliis tres Muſas facientibus* §. II. *Locus Auguſtini contra numerum nouenarium* §. III. IV. *&* *quomodo tres fabri ternas formauerint* §. V. VI. *Ratio ternarii numeri Muſa-*

 rum

rum ex Auguſtino §. VII. *paulo aliter explicata a Varrone: ab utroque tamen ex natura ſoni & Muſices* §. IIX. *Alii in aſſignando numero ternario ad Aſtronomiam, alii ad totum circulum diſciplinarum reſpiciunt* §. IX. *Vltima ſententia loco Plutarchi declaratur, ſimul aliam rationem docentis cur ex tribus nouem ſint factae.* §. X. XI. *Iudicium de hac doctrina Plutarchi* §. XII. XII. XIV. *Poeſis pro Grammatica* §. XV. *Tres partes Rhetoricae ſecundum Stoicos* §. XVI. *Pars demonſtratiua Rhetorices an prima, an ultima?* §. XVII. *Gyraldi opinio reiicitur ſeptem Muſas in ſeptem artibus liberalibus quaerentis* §. XIIX. *Computatio nouem Muſarum Plutarchi emendata* §. XIX. XX. XXI. *Nouenarius Muſarum numerus aptatus ad hodiernas nouem diſciplinas Philoſophicas.* §. XXII. XXIII.

§. I.

CIrca Muſarum numerum adeo fuit mirifice variatum a veteribus, ut hanc ſententiarum diſcordiam grauiter Gentibus obiiciat Arnobius *lib. III. p. m. 121.* plura vide apud Gyraldum *Syntagm. 7. f. m. 251. & peculiari de Muſis Syntagmate f. 531. 532.*

§. II. Quanquam autem inualuit ſententia, quae nouem Muſas eſſe crederet, autoribus Heſiodo, Homero & Orpheo, *Gyraldus*

f. 251.

f.251. lin.18. quem numerum & Ægyptiis hic placuiſſe docet Voſſius *lib. I.de Idololat. cap.27. p.205.* Sciendum tamen antiquioribus tantum tres fuiſſe habitas.

§. III. Qua vero ratione factum ſit, ut hae ternae multiplicarentur in nouenas, aliter ex Varrone expoſuit Auguſtinus, aliter apud Plutarchum diſſerit Lamprias.

§. IV. Auguſtini verba ſunt, quibus *lib.II. de doctr. Chriſt. cap.* 17. inchoat, *Tom. III. op. f. 31.32. Non audiendi ſunt errores ſuperſtitionum gentilium, qui nomen* [lege *nouem*, quomodo & Gyraldus citat *f.531.*) *Muſas Iouis & Memoriae filias eſſe finxerunt. Refellit eos Varro, quo neſcio utrum apud eos quisquam talium rerum doctior vel curioſior eſſe poſſit.* Hic neſcio quis ad marginem ſummam huius capitis ita expresſit: *Poetarum fabulas non interpretandas allegorice.* Inepta gloſſa: Non enim hoc vult Auguſtinus, ſed tantum, Muſas cenſendas eſſe numero, non vt vulgo ſolet, novenario, ſed ternario. Planum hoc facient ſequentia.

§. V. Nam ſic de Varrone pergit: *Dicit enim ciuitatem neſcio quam, non enim nomen recolo* (Sicyonem fuiſſe docet *Gyraldus f.532.*) *locaſſe apud tres artifices terna ſimulacra Muſarum, quae in templo Apollinis dono poneret, ut quisquis artificum pulchriora formaſſet, ab illo potiſſimum electa emeret. Itaque contigiſſe, ut ope-*

ra ſua quoque illi artifices aeque pulchre explicarent, & placuiſſe ciuitati omnes nouem: atque emtas eſſe, ut in Apollinis templo dedicarentur: quibus poſtea dicit Heſiodum Poëtam impoſuiſſe vocabula. Non ergo Iupiter nouem Muſas genuit, ſed tres fabri ternas creauerunt.

§. VI. Ergo ſi Auguſtinum ex Varrone ſequimur, nouem Muſas caſus peperit, cum videlicet eueniſſet forte, ut aeque perfecta eſſent ſingulorum artificum illorum trium opera. E quibus ſi unus reliquos duos artificio viciſſet, tres Muſae remanſurae erant, ſin forte duo palmam ſibi ambiguam feciſſent, tertio plane ſuperato, ſex Muſas eramus habituri. Iure igitur tres tantum Muſas numerari vult Auguſtinus. Rationem ternarii ſic expedit.

§. VII. *Tres autem*, inquit, *non propterea ciuitas illa locauerat, quia in ſomnis eas viderat, aut tot ſe cuiusquam illorum oculis demonſtrauerant, ſed quia facile erat animaduertere, omnem ſonum, qui materies cantilenarum eſt, triformem eſſe natura. Aut enim editur voce ſicut eorum eſt, qui faucibus ſine organo canunt, aut flatu, ſicut tubarum & tibiarum, aut pulſu, ſicut in cithara & tympanis & quibuslibet aliis, quae percutiendo canora ſunt.*

§. IIX. Ternarii numeri rationem ex Varrone Seruius in VII. Eclogam Virgilii ſic expedit

pedit aduerſum: *Nymphae noſter amor f. m. 30. Varro tres tantum Muſas eſſe commemorat, unam quae ex aquae naſcitur motu: alteram quam aëris icti efficit ſonus; tertiam, quae mera tantum voce conſiſtit.* Quod Auguſtinus ab his paululum diſcedit, vel inde factum, quod Varronem ex memoria tantum citaret, ut e §. 5. intelligitur, vel eius diuiſionem ſoni corrigere vellet.

§. IX. Interim obſerua; Varronem cum Auguſtino rationem certi Muſarum numeri e doctrina Muſica reddidiſſe. Quod & alii aliter fecerunt. Sed alii in hac quaeſtione ad Aſtronomicas rationes confugerunt; alii ex vniuerſo ſcientiarum circulo depromendas ſibi eas crediderunt. Nimirum prout quisque exiſtimauerit illam de Muſis fabulam Poeticam pertinere vel ad ſolam artem Muſicam, vel ad Aſtronomiam, vel ad totum humanarum diſciplinarum coetum.

§. X. Atque haec ultima ratio placuit Lampriae, qui *apud Plutarchum IX. Sympoſ. q. 4. p. m. 311. Tom. 3. Moral.* rationem exhibiturus, cur e tribus nouem factae ſint, ita diſſerit: Antiqui tres agnoſcebant Muſas. *Cauſa fuit, non, quam non nulli afferunt, quod cantus genera tria ſint, diatonon nempe, chromaticum, & enharmonium: neque termini intervalla continentes, ima nimirum, media, & ſumma chorda*

 (νήτη,

(νήτη, μέση, ὑπάτη) *Sane Delphi Muſas ſic appellarunt, non recte uni ſcientiae, aut portioni potius ſcientiae, muſicae inquam harmonicae id nomen accommodantes. Enimuero priſci, ut mea fert opinio, cum obſeruaſſent, omnes ſcientias & artes, quae ratione & ſermone abſoluuntur,* (ἁπάσας διὰ λόγου παραινομένας ἐπιστήμας καὶ τέχνας) *in tribus verſari generibus, philoſophico, oratorio, & mathematico* (φιλοσόφῳ, ῥητορικῷ, Μαθηματικῷ) *dona haec fecerunt trium Dearum, quas Muſas dixerunt. Poſt ſub aetatem Heſiodi, cum iam facultates iſtae latius ſe proferrent, in partes ſeu formas cum diuiderent, animaduerterunt, unamquamque tria in ſe continere diſcrimina. Scilicet ineſſe in Mathematica Muſicam, Arithmeticam, Geometriam: in philoſophia diſſerendi vim, morum & vitae rationem, naturae conſiderationem* (τὸ λογικὸν, καὶ τὸ ἠθικὸν, καὶ τὸ φυσικὸν) *in oratoria primum exornationis conſtitiſſe, deinde conſultationis, ultimo iudicialem facultatem* (τὸ ἐγκωμιαστικὸν, τὸ συμβουλευτικὸν, τὸ δικανικὸν.) *Quorum omnium cum cenſerent nihil Deo, Muſa, meliorique principio & praeſide carere, bona ratione totidem Muſas, non fecerunt, ſed agnouerunt. Non enim puto a poetis me & Aſtrologis reprehenſum iri, quod earum artes omiſerim: cum nobiſcum hoc ſciant, aſtrologiam Geometriae, poeticam Muſicae eſſe adiunctam.*

§. XI. Summa eſt: rationem ternarii nume-

meri, quo veteres initio Muſas concluſerunt, non ab ſola Muſica eſſe repetendam, ſed a toto diſciplinarum coetu. Has vero tribus generibus comprehendi, philoſophia, rhetorica, matheſi. Quamlibet harum iterum circa Heſiodi tempora trifariam ſecari coepiſſe, ut uniuerſae emergerent nouem. Hanc erga cauſam eſſe, cur ipſae quoque Muſae, quae tres olim fuerint, poſtea nouem ſint agnitae.

§. XII. Vt melius omnia intelligantur, ſciendum aeuo Plutarchi aliud fuiſſe artes liberales, aliud fuiſſe philoſophiam, fere ut apud nos hodie diſciplinas alias inſtrumentales vocamus, alias reales. Liberales artes numerabantur ſex: Grammatica, Rhetorica, Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Muſica. Philoſophia diuidebatur in Logicam, Ethicam, Phyſicam. Si numerum omnium ineas, prodibant diſciplinae nouem. Haec a nobis copioſius deducta ſunt in programmate Baccal. Ann. 1663. menſis Iulii (quod iam eſt programma 34. in diſſertationibus B. Iacob. Thomaſii coniunctim editis p. 368. ſeqq.

§. XIII. Iam cum Muſas nouem conſtaret olim tres tantum fuiſſe, voluit Lamprias ſimiliter nouem quas dixi diſciplinas praediuidere in tria genera, & ita quidem, ut aequa-

quali modo ſubdiuiderentur ſingulae in alias ternas.

§. XIV. Ac de philoſophia quidem ipſa res erat facillima. Diuidebant eam eo ſeculo in logicam, phyſicam, ethicam. Sex illae vero liberales artes, quoniam quatuor erant mathematicae, rationabiles vero ut Auguſtinus II. de ord. c. 13. appellat, non niſi duae, Gramatica videlicet & Rhetorica, non commode patiebantur diuiſionem aequalem.

§. XV. Quid hic ageret Lamprias? Tentauit aliquod facinus. Grammaticam ſub Poeſeos vocabulo Muſicae agglutinauit, Aſtronomiam Geometriae: Rhetoricam vero ſecuit pro numero, quem habent cauſarum genera, in tres diſciplinas, demonſtratiuam, deliberatiuam & iudicialem. Atque ſic prodierunt ter tres diſciplinae: ſub Rhetoricae vocabulo, demonſtratiua, deliberatiua, iudicialis; ſub Matheſeos, Arithmetica, Geometria, Muſica; ſub philoſophiae Logica, Ethica, Phyſica.

§. XVI. Dixi Lampriæ, vocabulo poeſeos venire Grammaticam. Non infrequens olim hoc fuit, vt Poeſin ad Grammaticam referrent, vel in artibus nominarent pro Grammatica. Seneca Epiſt. 88. quæ de artibus liberalibus tractat, p. 511. *Grammaticus circa curam ſermonis verſatur, & ſi latius euaga-*

gari vult, circa hiſtorias: iam, vt longiſſime fines ſuos proferat, circa carmina. Cumque alii Grammaticos ac Rhetores iungere ſoleant, Syneſius in Dione vix aliis copulat Rhetores quam Poëtis, & Rhetoricam Poëſi. Vide ipſum *f. m. 23. 25. 28. 31. 32.* Hinc & illud Horatii intelliges *lib. II. Epiſt. I. v. 126. Os tenerum pueri balbumque Poeta figurat.* Conf. & Saresber. *lib. I. Metalog. c. 17.* Sane quisquis eſt, qui Cebetis Thebani nomine Tabulam ſcripſit, aperte *p. m. 50.* Poetas loco Grammaticorum nominat, magiſtros artium liberalium ſic enumerans: Ποιηταὶ, Ῥήτορες, Διαλεκτικοὶ, Μȣσικοὶ, Ἀριθμητικοὶ, Γεωμέτραι, Ἀςρόλογοι.

§. XVII. Quod autem Rhetoricam Lamprias tripertitam fecit, in eo ſecutus videtur doctrinam Stoicorum, de quibus Laertius *in Zenone p. m. 331.* τὴν μὲν ῥητορικὴν, αὐτὴν εἶναι λέγȣσι τριμερῆ, τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς εἶναι συμβȣλευτικὸν, τὸ δὲ δικανικὸν, τὸ δὲ ἐγκωμιαςικόν.

§. XIIX. Quo loco obiter obſerua, rectius apud Laertium demonſtratiuam Rhetorices partem cœteris duabus poſtponi, quam apud Plutarchum anteponi. Conſtat ſiquidem, genus cauſae demonſtratiuum reliquis iam antea inuentis & excultis acceſſiſſe.

§. XIX. Cœterum de tota Lampriae iſtius in-

inuentione ſic iudico, rectius quidem ipſum nouem Muſas totidem diſciplinis applicuiſſe, quam Gyraldum *f.532.* ſeptem Muſas ſeptem artibus liberalibus: veteres enim non ſeptem ſed ſex artes eas habuiſſe dictum eſt §. *XII.* veruntamen in ipſa partium explicatione admodum violenter eſſe verſatum.

§. XX. Etenim non debebat Grammaticen atque Aſtrologiam ita praeterire, quae certe apud priſcos numerum augebant. Nam debebat ex una Rhetorica, qualis erat antiquis, tres facere Muſas.

§. XXI. Rectius fortaſſe conſulturus fuiſſet expoſitioni ſuae, ſi Muſicam a Mathematicis artibus auulſam (quomodo & apud Laertium Diogenes Muſicos a Mathematicis ſeparat *p. m. 231. ed. latin.*) Grammaticae iunxiſſet, inque numerum adeo rationabilium artium recepiſſet. Nam ſi Quin tilianocredimus lib. I. c. 16. p. 70. *Grammatica quondam ac Muſica iunctae fuerunt: ſiquidem Architas atque Ariſtoxenus etiam ſubiectam Grammaticen Muſicae putauerunt, & eosdem utriusque rei praeceptores fuiſſe, cum Sophron oſtendit-tum Eupolis.* Ita prodibunt tres diſciplinae rationabiles: Grammatica, Muſica, Rhetorica; tres Mathematicae, Arithmetica, Geometria, Aſtrologia; tres philoſophicae, Logica, Phyſica, Ethica.

§. XXII.

§. XXII. Non dico voluiſſe hoc ipſum veteres, qui tres vel nouem Muſas numerauerunt (nam & hoc ipſum dubitari poteſt, an non rectius Varro aliique Muſas ad ſolam Muſicen, quam Plutarchus cum aliis ad Encyclopaediam totam accomodauerint) dico tantum ἐπιμύθιον huius fabulae rationibus veterum hunc in modum magis, quam qui eſt apud Plutarchum, congruum fore.

§. XXIII. Quod ſi quis aptare haec velit ad aeui noſtri morem, quo nouem illas diſciplinas paulo aliter partimur, quam factum fuit a veteribus, ita dicet: in primo ternione comparere tres inſtrumentales diſciplinas, Grammaticam, Logicam, Rhetoricam; in ſecundo tres partes philoſophiae theoreticae, Phyſicam, Metaphyſicam (quae ſic in illis nouem plane medium, atque adeo eximium occupat locum) & Matheſin; in tertio tres partes (ſinamus enim in fabulae gratiam plures duabus eſſe) philoſophiae practicae, Ethicen, Oeconomicen, Politicen.

§. XXIV. Sed quomodo nouem his diſciplinis aptabimus recepta Muſarum nomina? Solet pingi Grammatice cum claui. Sit ergo: *Clio*, κλεὶς enim clauis eſt, & κλείω non modo celebrandi ſignificationem habet,

bet, ſed etiam claudendi. Rhetorica bene dicendi ars eſt. Sit ergo *Calliope*. In phyſicam non male quadrabit nomen *Thaliae*, & in Metaphyſicam *Vranies*: agit enim illa de corporibus eiusmodi, quorum eſt florere; & haec de rebus coeleſtibus, h. e. diuinis. Matheſin ex multitudine ſcientiarum mathematicarum ſibi vendicat *Polymnia*; Oeconomicen ex amore coniugali *Erato*. Reſtat ut reliqua Muſarum nomina partiamur in Logicam, Ethicam, Politicam. Dabimus igitur Logicae *Melpomenen*, Ethicae, *Euterpen*, *Politicae Terpſichoren*.

OBSERVATIO IV.

INDIGETES. BENEDICTIO PER TRES DIGITOS. CONFESSIO S. TRINITATIS APVD IVDAEOS. SVPERSTITIO CARPENDI PER TRES DIGITOS.

SVMMARIA.

Indigetes homines in Deos relati §. I. *Vocis deriuatio varia.* §. II. *Veroſimilior à voce indu & cito* §. III. *Alia Reuchlini* §. IV. *Ritus Iudaeorum benedicendi per tres digitos in confeſſionem S. Trinitatis.* §. V. *& Romanorum bona imprecandi per tres digitos, hinc ex III. digitare tantum*

tum eſſe indigitare §. VI. *Refutatur conjectura Reuchlini* §. VII. vsque ad §. XIV. *Superſtitio carpendi per tres digitos.* §. XI. XII. XIII. *Meletius digitis confeſſionem de Trinitate & Vnitate diuina edens* §. XV. *Fabula ſimilis Accurſii* §. *XVI.*

§. I.

INdigetes vocabantur Romanis, qui ex hominibus propter eximias belli & pacis artes ac benemerita inter Deos erant relati. *Vid. Dav. Maierum p. 5. Tranſenna Theol. Kipping. p. 2. & 3. Antiq. Rom.* & alios paſſim.

§. II. Vnde nomen ipſis & verbo indigitandi, a quo porro indigitamenta, varie certant Grammatici. Conſule ſcriptores etymologos, Fungerum, Becmannum, Martinium, Voſſium: quem & inſpice *de vitiis ſermonis p. 155.* item Roſinum *II. Antiq. Rom. c. 17.*

§. III. Illi, vt opinor, optime qui indigitare priſcis idem fuiſſe dicunt, quod inuocare: a præpoſitione obſoleta indu pro in, (cuius veſtigia ſatis expreſſa ſunt in vocibus indupe- rator, induſtrius, indigena) & verbo cito, quod eſt voco. Hinc enim *indicito*, ex quo poſtea mutatione vnius literæ factum *indigito.* Ergo indigetes erant, qui meruiſſent poſt mortem inuocari pro Diis: & *indigitamen-*

menta libri Pontificum, ſeu *ἱερατικὰ βιβλία*, qui ſcilicet, vt Seruius ait Wowerio *c. 12. Polym. p. m. 94.* citatus, *& nomina Deorum, & rationem ipſorum numinum* continerent. Approbat hæc ſe originatio Voſſio etiam *libro I. de Orig. Idol. c. 12. p. 85. 86.*

§. IV. Noua plane, & omnibus quos viderim Etymologis indicta eſt etymologia doctisſimi Ioannis Reuchlini, argutior ea quidem quam verior, ſed ipſius raritatis merito adſcribenda hic nobis. Exiſtimat ille, imperitia legentium factum fuiſſe, vt quod eſſet veteribus vocabulum *trigidare*, atque ſcriberetur hunc in modum *III. digitare* (quomodo III. COS. eſt tertium Conſul) pro eo legeretur *indigitare.*

§. V. Sed quam rationem, inquies, huius profert etymologiæ? Audi fabulam non pasſim vulgatam, & *ex Epiſtolis ad Reuchlinum ſcriptis, & a Thoma Anshelmo Haganoæ A. 1519.* editis repetendam. Scripſerat Reuchlinus ad Petrum Galatinum, priſcos Romanorum, tribus erectis digitis reliquisque duobus in palmam depresſis, hominum multitudini benedictionem tribuere ſolitos. Reſpondet Galatinus nusquam id ſe legiſſe: apud Hebræos duntaxat id factitatum comperiſſe. *Nam,* inquit p. m. 105. *cum ſummus Sacerdos po-*

pu-

pulo benedicens hæc ex Dei præcepto diceret יברכך יהוה *&c. ambas manus ante faciem ſuam protenſas tenebat. Quum vero nomen Dei tetragrammaton proferebat, tres mox vtriusque manus digitos, pollicem ſcilicet, indicem & medium altius erigebat, reliquos duos in palmam depreſſos habens, & ſic nomine illo prolato tres ſtatim eiusdem digitos inſimul vniebat, vt veteres Thalmudiſtæ tradiderunt. Quod nullam aliam ob rem inſtitutum eſt, niſi vt diuinarum perſonarum Trinitatem diuinæque naturæ vnitatem per nomen illud deſignari palam oſtenderetur.*

§. VI. Reſpondet Reuchlinus *p. m. 106.* non multum referre, ſintne ab Hebræis digiti an a Romanis leuati. Poſt aliqua multa interpoſita ſic pergit: *Quas nunc credimus benedictiones, eæ Romanis vota, & imprecationes fuerunt, non diræ ſed diuinæ bonitatis inuocationes, quæ indigitamenta nuncupantur. Vnde indigitare idem eſt, quod imprecari, Feſto Pompeio autore. Vtque in ſacris Romanorum ſcriptum legitur* (habes hoc apud Macrob. *I. Saturn. 17. p.m. 253.*) *Virgines Veſtales ita indigitant: Apollo Pæan. Et Cornelius Labeo aſſeruit, Maiam eandem & Bonam, Faunamque & Fatuam Pontificum libris indigitari. Quo inſinuatur, non tota palma, verum vna diſcretis digitis ſacerdotales imprecationes fieri. Tribus autem tantum*

 nu-

numero nec vltra: qui numerus apud Pythagoraeos in ſacris Deorum praeualuit, & ritui ſubſcribit eidem in libro coeli Ariſtoteles. Vnde arcanum hoc eſſe, dum per te licet, opinabimur, quod in illorum Pontificum diſciplinis verbum digitare tribus lineolis praeſcriptum erat. Idque poſtea prophani, & eiusmodi ſacris non initiati, quippe neſcientes legerunt indigitare, pro III digitare, h.e. tridigitare, quod aeque potuiſſent vt triplicare, triſulcare, tripertiri, & eius forma caetera. Veteres ſane ter Conſulem tribus lineolis propoſitis ita III. COS. notarunt. Sed nos multitudinem ſequuti dicimus indigitare, tribus digitis bona precari h. e. benedicere. Quem morem & ab Hebraeis Pythagorai, & a Pythagoraeis Romani recipere potuerunt, & nos a Romanis, iuxta oraculum Apollinis Pythii, quo inſtitutum erat, religiones teneri, quae eſſent in more maiorum, & ex moribus eum qui eſſet optimus. Vnde, vt ſimia homines, ſic Maga illa quondam apud Ouidium Sacerdotes Romanos imitari conatur:

Et digitis tria thura tribus ſub limina ponit.

Hactenus Reuchlinus.

§. VII. Satis apparet Viro alioqui doctiſſimo natum eſſe hoc etymon ex perſuaſione, quod Romani ſacerdotes populo proſpera imprecaturi tres digitos erexerint. Hunc morem ab Hebraeis putat ad Romanos tandem

dem tranſiiſſe: Sed hæc mera eſt coniectura, quæ firmiora deſiderat argumenta.

§. IIX. Nam quod Feſtus p. m. 128. *indigitare* exponit *imprecari*: in eo probatur mihi Martini iudicium qui *f.m. 1261.* imprecari accipit pro inuocare. Atque hoc ipſum confirmant reliqui loci a Reuchlino aduocati.

§. IX. Neque indigitamenta ſunt inuocationes diuinæ bonitatis, ſed libri pontificiales, vt dictum §. 3. de quibus & Laurembergium adi *in antiquario p. 226.*

§. X. Fac tamen in vocabulo indigitandi & indigitamenti eſſe ſenſum illum, quem vult Reuchlinus, benedictionis: nondum probatum eſt, tribus hoc digitis factum eſſe a Romanorum perinde vt Hebræorum ſacerdotibus. Quanquam enim numerus ternarius paſſim habeatur, etiam gentilibus ſacer: mirum ſit tamen, ſi tres digitos erexerint Romani bene populo precantes: nullum ea de re proferri poſſe clarum e ſcriptoribus teſtimonium.

§. XI. Nam quod apud Ouidium maga tribus digitis totidem thura ſub limine ponit: in eo ſuperſtitionem quidem agnoſco trium digitorum: ſed nondum inuenio ritum ſacerdotis benedicentis.

§. XII. Tangit alioqui ſuperſtitionem illam & Plinius *lib. XIX. c. 8. f. m. 301. Sunt qui*

plantam in transferendo alga ſubdita pediculo, nitroue trito, quod tribus digitis capiatur, celeriorem ad maturitatem fieri putent. Et *lib. XXIV. c. 10. f. 355. Ambo proſunt Dyſentericis & ſolutionibus ventris in vino auſtero ternis digitis flore capta.* Qua de re videndus eſt Ioſephus Scaliger *lib. I. Epiſt. 18. p. 112.*

§. XIII. Paulo propius a re præſente abeſt ritus, cuius Reuchlino in mentem tamen hic non venit, tribus digitis ſacrificii ergo thura iniiciendi aris, (quanquam Hieronymus hic duos tantum digitulos memorat, citatus Herald. comment. in Apolog. Tertull. p. 63.) ſed neque hic audio benedictionem populo fieri tribus erectis digitis.

§. XIV. Denique nec illud valde probabile eſt, morem erectione trium digitorum populo benedicendi Chriſtianos hauſiſſe a Romanis gentilibus, de Romanis enim gentilibus adhuc res plane incerta. Veroſimilius vel a Rabbinis hoc mutuatos, vel etiam vltro excogitauiſſe, vt confesſio Sacræ Trinitatis etiam ſic in oculos incurreret, quomodo &, dum hoc modo ſimul crux effingitur motu digitorum, id haud dubie pertinet ad confesſionem crucifixi: quæ quidem accipi a Rabbinis non potuit.

§. XV. Hoc loco non poſſum quin adſcribam hiſtoriam memorabilem de Meletio Epi-

piſcopo, qui & ipſe tribus digitis, cum os ipſi occluſum eſt, uſus eſt ad profeſſionem fidei orthodoxæ. Memorat enim Sozomenus *lib. IV. hiſt. Eccleſ. c. 27. f. 505.* Arianos eum cum ſuæ opinionis eſſe exiſtimaſſent, eccleſiæ Antiochenæ præfeciſſe. Verum ipſe pro concione Filium eiusdem cum Patre ſubſtantiæ palam aſſeruit. Aiunt ergo Archidiaconum illius Cleri, dum adhuc concionaretur ad eum accurriſſe, & manu admota eius os obturaſſe. Meletium vero manu multo euidentius quam voce ſententiam ſuam Populo indicaſſe. Nam primum tres tantum digitos palam, ut omnes viderent, extendiſſe: deinde eosdem rurſus compreſſiſſe uno ſolo porrecto. Nimirum ſignificare voluit, tres quidem eſſe in ſacra diuinitate perſonas, verum unicam eſſentiam.

§. XVI. Cæterum ad imitationem huius hiſtoriæ fabulam ſuam videtur confinxiſſe Accurſius *ad Titulum de Orig. Iuris*, quam & Frater Ioh. Pauli inſeruit libro Schimpff und Ernſt *p. m. 30.* ſumma eius eſt: Athenienſes, cum Romani per legatos ab ipſis leges peterent, hominem doctum miſiſſe Romam, qui prius nutu ſolo ac geſtibus diſputando exploraret, num hoc beneficio digni eſſent Romani. Hos re cognita morionem inſtruxiſſe, qui cum Athenienſe philoſopho igno-

tus congrederetur, vt ſiue victus is eſſet, nullo id cum dedecore fieret Romanorum, ſiue victor, etiam magno cum operæ pretio. Vbi alter in alterius conſpectum venit, Græcus ſublato uno digito, Deum unum eſſe ſignificauit: morio unius oculi effoſionem ſibi portendi ſuſpicans, duos erexit digitos, vt innueret, ſe vicem illam duobus eruendis repenſurum. Sed quia cum duobus, ut fieri ſolet, digitis, etiam tertius emicaret, Græcum hoc pro confeſſione ſacræ, in vnitate diuinæ eſſentiæ, Trinitatis habuiſſe, dignosque pronunciaſſe Romanos, quibus ſuas leges impertiretur natio Græca. Quis hoc commentum non rideat?

OBSERVATIO V.
TRIA VITIA: SVPERBIA, AVARITIA, LVXVRIA.

SVMMARIA.

Virtutes cardinales, vitia cardinalia. §. I. Communiter ſeptem vitia numerari, §. II. interdum etiam tria, ſuperbiam, Auaritiam Luxuriam, §. III. id eſt delectationes carnis, oculorum & cordis. §. IV. Vnde vulgaris verſiculus: Ambitioſus honor &c. §. V. Varia ſtudia hominum ſecundum illa tria vitia, §. VI.

VI. VII. cui addendum quartum virtuoſorum, §. VIII. Fundamentum ternarii vitiorum numeri pſeudoſummi boni tria genera. §. IX. Numerus iſte etiam aliis ſcriptoribus cognitus, §. X. Ariſtoteli, §. XI. Autori fragmentorum Pythagoreorum, §. XII. item Chriſtianis, §. XIII. Auguſtino huc trahenti maledictionem ſerpentis, Geneſ. 3. §. XIV. Radulpho Ardenti, explicanti tres tentationes Chriſti Matth. 4. §. XV. Eidem & Selneccero explicantibus tria genera ſe excuſantium a coena magna, §. XVI. Pleriſque interpretibus in expoſitione 1. Ioh. 2. §. XVII. & inter eos Henrico Herpf. §. XIIX. (Malitia pro ſuperbia §. XIX.) Alia claſſis Scriptorum Chriſtianorum, ad alios terniones iſta tria vitia applicantium, §. XX. Pontificiorum ſcilicet ad tres partes ſatisfactionis in pœnitentia, ieiunium, eleemoſynam, orationem, §. XXI. ad tria vota Monachorum, caſtitatis, paupertatis & obedientiæ, §. XXII. ad tres entis affectiones, vnitatem, veritatem, bonitatem. §. XXIII.

§. I.

MAgna quidem vt virtutum, ſic multo magis vitiorum eſt multitudo. Sed quemadmodum inter virtutes quædam habentur præcipuæ atque cardinales: ita

& inter vitia quædam aliquo veluti principatu cenſentur.

§. II. Ac ſolent quidem plerumque numerari ſeptem vitia capitalia, quorum initiales literæ hoc vocabulo : S. A. L. I. G. I. A. comprehenduntur, iuxta verſiculum quem recitat Antoninus Archiepiſcopus Florentinus in Confeſſionali p. 22. *Vt tibi ſit vita, ſemper* SALIGIA *vita.* Sunt autem hæc : Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Acedia. Vbi obiter moneo, interdum & pro his ſeptem octo numerari, idque modo non vno.

§. III. Veruntamen haud raro quoque tria tantum vitia quaſi cæterorum duces nominari ſolent, prima ſcilicet illa e ſeptem dictis, *Superbia, Auaritia, Luxuria.* E quibus ſuperbia cupiditas eſt honoris, Auaritia diuitiarum, & Luxuria voluptatum corporearum, cibi nempe, potus, ac rei venereæ. Nam luxuria hic & gulam complectitur.

§. IV. Et quia in eo conueniunt hæc omnia, quod ſint cupiditates quædam ſeu concupiſcentiæ, ideo Dauid de Auguſta *c. 7. de ſeptem proceſſibus religioſi p. 261.* ait per ea concupiſcibilitatem, (h. e. facultatem animæ ἐπιθυμητικὴν,) corrumpi, *per delectabilia* nempe *carni* (ſic loquitur) & *oculis* & *cordi*, id eſt, per voluptates, diuitias & honores.

§. V.

§. V. Differunt interim obiectis, quæ ſunt Honor, Opes, Voluptas corporis. Hæc tria nempe ab hominibus peruerſis ſubſtituuntur in locum ſummi boni, atque adeo diuino quodam cultu honorantur, iuxta diſtichon vulgare:

Ambitioſus honos, & opes, & fœda voluptas
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

§. *VI.* Sed cum fieri ſæpe ſoleat, vt ex tribus his bonis alterum alteri certa ratione ſit impedimento, (quomodo certe, qui voluptati ſunt dediti, vix poſſunt cumulandis nummis ſtudere;) ideo vix omnibus ſimul æquale ſtudium impertiri homines poſſunt.

§. VII. Quamobrem hinc naſcuntur ſtudiorum ſeu viuendi tria præcipue vituperabilia genera. Vnum eorum qui honori, alterum qui diuitiis, tertium qui voluptati maxime inhiant. Hæc tria vitæ genera 1. Nicom. 5. Ariſtoteli nominantur βίος πολιτικὸς χρηματιστὴς, & ἀπολαυστικός.

§. VIII. Quod ſi vitam addas eorum, qui ad verum tendunt bonum, h. e. virtutem, quatuor viuendi naſcentur genera, ea ipſa quæ Syneſius numerat *in Dione f. m. 21. quatuor proponent vitas felices, auaram, voluptuariam, ambitioſam & poſt omnes hilarem & virtuoſam.*

§. IX. Fundamentum ergo diuiſionis hu-

ius

ius, vitiorum puta principalium, in tres ſpecies, videtur eſſe triplex bonum, quod perperam pro ſummo habent, quorum corruptus eſt intellectus.

§. X. Cæterum notus fuit hic vitiorum capitalium ternio Scriptoribus non modo gentilibus, ſed etiam Chriſtianis. Intelligitur hoc iam quodammodo e §. *4. 7. 8.* Sed iam id clarius docebitur.

§. XI. E Gentilibus locus Ariſtotelis inſignis eſt *lib. IX. Nic. c. 8. p. m. 384. Qui in vitio ac probro habent* Φιλαυτίαν, *illi nominant ſui amantes, qui vbique ſibi potiorem lucri, voluptatis corporeæ & honoris attribuunt partem. Quid ita? quoniam vulgus iſta vt præcipua hominis bona appetit, in idque præcipuum ſtudium ponit: ideoque de iis vehementer dimicare homines inter ſeſe ſolent.*

§. XII. In *fragmentis quoque Pythagoreorum* Theages *p. 471. ed. Zwingeri* ait homines iniuſte agere *vel lucri vel voluptatis, vel gloriæ cauſa.* Quibus ſimilia Clinias habet *p. 475.* Tametſi vero ſpuria ſunt illa fragmenta, quicunque tamen ipſorum autor eſt, ethnicus videtur fuiſſe.

§. XIII. Quod ad Chriſtianos attinet ſcriptores, quia magna eorum eſt ſeges, partiemur eos in claſſes duas. Quarum prior erit eorum, qui dicta ſcripturæ ad illa tria vi-

tia

tia accommodant, poſterior eos amplectetur, qui ipſa hæc vitia ad alios quosdam applicant terniones. In ſcripturæ dictis obſeruabimus ordinem biblicum.

§. XIV. Primus ſcripturæ ſacræ locus eſt *Geneſ. 3. v. 14.* Vbi latina quidem vetus ſic habet: *Super pectus tuum gradieris & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Sed ſeptuagintaviralis non pectoris modo ſed & ventris mentionem facit: ἐπὶ τῷ ϛήθει σου, καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ, καὶ γῆν φάγῃ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου. Quod haud dubie traductum hinc eſt in verſionem eam, qua vſus eſt B. Auguſtinus. *Qui lib. II. de Geneſi contra Manichæos c. 17. Tom. I. oper. f. 841.* nomine pectoris *ſuperbiam* ait ſignificari, nomine ventris *carnale deſiderium*, in eo autem quod ſcriptum eſt, terram manducabis, *curioſitatem*, quæ tantum temporalia atque terrena penetrat. Vbi obſerua curioſitatis nomine auaritiam deſignari.

§. XV. Secundus locus eſt *Matthæi 4. v. 3. & ſeqq.* de tribus tentationibus Chriſti. Quas ad tria vitia ſic applicat Radulphus Ardens *homil. in Euang. Dominic. I. Quadrages. p. 246. 247. Diabolus in iisdem tribus* (puta de quibus ſcriptum eſt *1. Ioh. 2.*) *tentauerat & vicerat Adam. Tentauit & Chriſtum, ſed ab eo deuictus eſt. De gula quippe tentauit eum, cum dicit: Si filius*

filius Dei es, dicut lapides iſti panes fiant. *De cupiditate* (auaritiam intellige, ſic enim ſolent eam nominare ſcriptores vetuſti:] *tentauit Chriſtum, cum ei dixit, hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* *De vana gloria, ſiue de ſuperbia tentauit eum, cum dixit ei: ſi filius DEi es, mitte te deorſum.*

§. XVI. Tertius locus eſt *Lucæ 14.* in parabola de coena magna. Vbi tria ſe excuſantium genera ſic exponit Selneccerus P*art. III. poſtill. p.395.* *Qui agros emunt, ſunt ſuperbi. Qui boues emunt, ſunt auari. Qui tantum ex pruritu uxores ducunt, ſunt voluptuarii. Hæc ergo tria peccata, ſuperbia, auaritia & libido homines maxime detinent a Cœna Dei.* Vide & Radulph. Ardentem *homil. in Euang. Dominic. II. poſt Trinit. p.597.*

§. XVII. Quartus locus eſt *I. Ioh. 2. v. 16.* *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, non eſt ex patre, ſed ex mundo.* Vbi plerique omnes concupiſcentiam carnis de Luxuria, concupiſcentiam oculorum de auaritia interpretantur. Faciunt hoc inter alios Radulphus Ardens *locis* §. *15. & 16. deſignatis*, & e recentioribus Hugo Grotius *lib. II. de Iure Belli & pacis c. 20. 29. p. 307.* prope finem.

§. XIIX. E multis adſcribemus hic unum locum Henrici Herpf *ſerm. 56. de tempore qui*

eſt

eſt de ſeptem ſignaculorum apertione f.m.116. Apertio tertii ſigilli eſt manifeſtatio mundi huius ſenſibilis, in quo regnat cœcitas quæ maxime viget in luxurioſis. Eſt etiam locus, in quo regnat ſterilitas, quia terram lingunt, quantum ad auaros. Eſt tertio locus in quo regnat iniquitas, ſiue malitia fotrix iræ, rixæ, rancoris, prauæ diſpoſitionis, inuidiæ, Odii &c. quod proprie peccatum eſt diabolicum, ſumens ortum a radice ſuperbiæ. Ex his tribus mundus cognoſcitur, ut verificetur illud Iohannis in Canonica: Omne quod eſt in mundo, eſt concupiſcentia carnis, &c.

§. XIX. Obiter hic obſerua, pro ſuperbia hic ab Herpſio etiam nominari, *malitiam.* Quare hinc & illud interpretabimur Bernhardi *ſerm.39. in Canticum Tom. III. oper. f. 66. Magnus princeps ſpiritualis atque inuiſibilis Regis Ægypti profecto Malitia eſt, magnus Luxuria, magnus Auaritia.* Nam & hic Malitiam dixiſſe videtur pro ſuperbia.

§. XX. Tantum de prima claſſe. Ad ſecundam eos refero, qui tria hæc vitia ad alios quosdam applicant terniones. Vbi teſtor me hiſtoriam tantum velle recitare, iudicium aliis relinquere.

§. XXI. Primo notum eſt, quod Pontificii tres faciant partes pœnitentiæ, contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. Ex his ſatisfactionem rurſus diui-

diuidere ſolent in Orationem, ieiunium & eleemoſynam, quod vel e *Tom. I. Lat. Lutheri f. 58.* conſtat. Tria igitur hæc opera ſatisfactoria Bellarminus opponit tribus vitiis, apud B. Gerhardum *Tom. III. loc. Theol. p. 634.* ſic inquiens: *Omnia vitia reuocantur ad concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Ieiunium comprimit concupiſcentiam carnis, eleemoſyna concupiſcentiam oculorum, i. e. auaritiam, oratio ſuperbiam vitæ.*

§. XXII. *Secundo* nota quoque ſunt tria vota religioſorum in Papatu, votum nempe paupertatis, caſtitatis & obedientiæ. Hæc idem Bellarminus opponit tribus illis vitiis diuini amoris impedimentis, paupertatem nempe auaritiæ, caſtitatem luxuriæ, & obedientiam ſuperbiæ, ut intelliges e B. Hulſemanni *Manuali Conf. Aug. p. 601. & ſeqq.*

§. XXIII. Tertio denique notæ ſunt tres entis affectiones unitæ, Vnitas, veritas, bonitas. His ad Deum applicatis tria illa vitia opponit Io. Picus Mirandula *c. 10. de ente uno f. 169. his verbis: Admonere nos præſens diſputatio videtur, ut ſi beati eſſe volumus, beatiſſimum omnium imitemur Deum, vnitatem in nobis, veritatem bonitatemque poſſidentes. Vnitatis pacem turbat ambitio, & ſibi hærentem animum extra ſe rapit, & in diuerſa quaſi lacerum trahit atque diſcerpit. Veritatis ſplendorem & lucem in cœno, in*

caligine voluptatum quis non amittet? Bonitatem furaciſſima nobis furatur cupiditas, id eſt auaritia. Bonitatis enim peculiare hoc, communicare aliis quae poſſidet. Hæc ſunt illa tria, ſuperbia ſcilicet vitæ, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, quæ, ut ſcribit Iohannes, ex mundo ſunt, & non ſunt ex patre, quia ipſa unitas, ipſa veritas, ipſa bonitas eſt.

OBSERVATIO VI.
CVPIDITAS PRO AVARITIA.
SVMMARIA.

Connexio cum obſ. præced. §. I. Cupiditas pro Auaritia uſurpata verſioni Bibliorum veteri, §. II, Autori vitæ Iohannis Climaci, §. III. Petro Cluniacenſi §. IV, Meffreto, §. V. VI, Vincentio Bellouacenſi, §. VII. Iacobo a Vitriaco, §. IIX. Pelberto de Temeswar, §. IX. Scriptoribus variis Locorum communium §. X. Cupidum ab auaro ſeparat Saluianus, §. XI. contra voce cupidi auarum denotat Tibullus & Quintilianus §. XII. Coniectura cur vetus Bibliorum interpres cupiditatem pro auaritia poſuerit, §. XIII, XIV, quem poſtea ſecuti ſunt ſemibarbari ſcriptores Chriſtiani §. XV.

§. I.

Dixi *obſ. præced.* §. *15.* cupiditatem a ſcriptoribus uſurpari nonnunquam ſolere pro auaritia, quæ fuerit ſynecdoche generis pro ſpecie. Id tametſi iam e loco Pici Mirandulæ §. *ult. eiusd. obſ.* potuit intelligi, libet hic tamen pluribus confirmare. Pertinebit autem ad hunc locum etiam, cum cupidus ponitur pro auaro.

§. II. Inprimis huc facit verſio Bibliorum latina vetus *1. Tim. 6. v. 10. Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Vbi in græco eſt Φιλαργυρία.

§. III. Vita Iohannis Climaci per Danielem Monachum. *Cupiditatem vero (quam idolorum venerationem Apoſtolus eſſe definiuit,) miſericordia Dei rerumque exiguitate fortiſſime fortis iſte ſuperauit.* Auaritiam intelligi patet tum ex eo, quia prouocat ad locum Apoſtoli qui loquitur *Gal. 5. v. 5. Auarus qui eſt idolorum ſeruus,* tum quia Climaco vult tribuere pugnam contra omnia octo vitia capitalia, in quibus eſt auaritia, ad quam alias nulla periodus, ſi hanc excipias, quadrat: tum denique quia dicit hanc expugnatam eſſe exiguitate rerum, h. e. paupertate.

§. IV. Petrus Cluniacenſis *c. 28. de miraculis p. m. 127.* Carthuſianorum inſtituta perſequens.

quens: *Cupiditatem inſuper quæ radix malorum omnium dicitur, vel auaritiam, quae idolorum ſeruitus vocatur, ita radicitus auulſerunt, vt certos terminos iuxta locorum ſuorum fertilitatem aut ſterilitatem in circuitu cellarum ſuarum maiores minoresue praefigerent, extra quos etiamſi totus eis offerretur mundus, nec ſaltem quantum pes humanus occupat, terrae ſpatium acciperent.*

§. V. Meffret *in hortulo Reginae de tempore Serm. in Euang. Dom. tert. poſt Epiph. f. m. 76.* rationes redditurus cur auarus non poſſit impleri, ſecundam cauſam profert, *quia cupiditas eſt quaſi ignis ardens. Ignis augmentatur in infinitum: ſic cupiditas non extinguitur ex appoſitione diuitiarum.*

§. VI. Idem *Feria IV. poſt Laetare Serm. 2. f. m. 170. Quinta cæcitas eſt cupiditas: & haec homines ſimiles facit talpis. Sic cupidi, dum hic viuunt, ſemper habent mentalem coecitatem, fodientes ſicut talpa in terrenis. Conf. Obſ. praeced. §. 14.*

§. VII. Vincentius Bellouacenſis *lib. I. Spec. moral. diſt. 37. f. 290. 291.* ſtudium *cupidorum* vocat, eorum *qui concurrunt ad ſcientias lucratiuas, mercationes &c.*

§. VIII. Iacobus a Vitriaco *c. 8. hiſt. occidentalis p. m. 285. Ipſe malleus erat cupidorum, confundens non ſolum fœneratores, ſed & illos qui per auaritiam multa congregabant.*

§. IX. Notari quoque poteſt verſiculus de vere & apparenter abſtinentibus apud Pelbartum de Temeſwar *ſerm. VII. Quadrag. f. m. 233.*

Abſtinet aeger, egens, cupidus, gula, ſimia, virtus.

Vbi cupidus eſt auarus, qui ſcil. non vult expendere vti *d. l.* interpretatur Pelbartus.

§. X. Denique Scriptores locorum communium cupiditatem & auaritiam vſurpant fere promiſcue. Angelus de Clauaſio *in ſumma caſuum f. 56. cupiditas vide Auaritia.* Andreas Eborenſis *Tom. poſter. exemplor. memorab. p. m. 424.* agit de Auaritia; In indice tamen etiam cupiditatis titulum huc adhibet. Antonius Ampigallus *cap. 17. Bibliorum aureorum ſeu Loc. Comm. p. 39.* inſcribit *de auaritia & cupiditate terrena.* Thomas Hibernicus *in florib. Doctorum* cum de auaritia egiſſet, iubet etiam conſulere titulum cupiditatis, qui legitur *p.* 254. Idem facit Ioannes Faius in manipulo exemplorum quem vide *p. 62. & 142.* Conf. *defenſoris* vetuſtiſſimi Theologi *Scintillas ſiue locos communes c. 25. & 30.* quos tacito licet & Scriptoris & libri nomine inſeruit nuper differentiis inter politicem genuinam ac diabolicam Ioach. Paſtorius *p. 169. & ſeqq.* vbi de auaritia *p. 284.* & de cupiditate *pag. 269.* reperies.

§. XI.

§. XI. Fatendum interim fuiſſe etiam, qui cupidos ab auaris ſeiungerent. Saluian. Maſſilienſis *lib. IV. de gubern. Dei p. m. 137. Iniuſti ſunt barbari ; & nos hoc ſumus ; Avari ſunt barbari & nos hoc ſumus ; Infideles ſunt barbari & nos hoc ſumus ; Cupidi ſunt barbari & nos hoc ſumus ; Impudici ſunt barbari & nos hoc ſumus.*

§. XII. Viciſſim tamen cupidum pro auaro dixiſſe creditur Tibullus *lib. I. Eleg. diſticho penultimo* :

- - Vos ſigna tubaeque
Ite procul cupidis vulnera ferte viris.

Ita certe explicat Faber Buchnerianus *f. 282.* & fauet argumentum totius elegiae qua Tibullus negligentem ſe diuitiarum profitetur. Neque placet Gebhardo *ad h. l. p. 13. ſtupidis*, quod alii reponunt, qui & verba profert Quintiliani, in quibus ſimiliter cupidi milites videntur dicti pro auaris. Locus eſt *prope finem cap. I. l. XI. p. m. 618.* Vide & Elmenhorſtium *Indice Apuleiano voce cupidus.* Et Pricaeum *notis in l. IV. Metam. Apul.* locus eſt *in edit. Elmenh. p. 153. lin. 16.*

§. XIII. An ergo dicemus Tibulli & Quintiliani ſimiliumue autoritatem ſecutum vetuſtum Noui Teſtamenti interpretem, *Φιλαργυρίαν 1. Tim. 6, 10.* vertiſſe cupiditatem quod Pricaeo placuiſſe videtur. An potius, quia certe non admodum vſitatum fuit cupi-

dum pro auaro nominare (quam ob cauſam nec Laurentio Vallae *ad h. l. p. 204.* nec Eraſmo *f. 681.* interpres hic placet) ſuſpicabimur, graecam vocem cum vna Latina non poſſet, duabus reddidiſſe *cupiditatem nummorum* vel pecuniae; poſterius autem vocabulum forte culpa librarii omiſſum effeciſſe, vt ſequens aetas cupiditatem ſimpliciter pro auaritia libenter vſurparet?

§. XIV. Sane Bibliorum interpretem ſequi ſtuduiſſe putem Ambroſium Camaldulenſem, quando Diogenis Laertii illud de Diogene Cynico *p. m. 283.* τὴν φιλαργυρίαν εἶπε μητρόπολιν πάντων τῶν κακῶν, ita tranſtulit *p. m. 239. Cupiditatem arcem omnium malorum dixit.* Citat hoc praeter Fabrum in Lexico etiam Lycoſthenes *p. 94. apophthegmatum:* Et addit, non procul abludi a ſententia Salomonis (Pauli forſan voluit dicere) qui dixerit cupiditatem radicem malorum omnium.

§. XV. Quicquid ſit, hoc certe quidem confici putem poſſe, vt cupidus pro auaro, cupiditas pro auaritia ſimpliciter diceretur, ſolennius fuiſſe ſcriptoribus Latinis Chriſtianis, poſteaquam ita vetus Bibliorum interpres vel præiuit vel creditus eſt præiuiſſe, quam gentilibus vetuſtis, a quibus alias normam ſcribendi repetimus. Et confido in hanc

hanc ſententiam vel decuplo plures poſſe locos e barbaris vel ſemibarbaris autoribus proferri, quam ex iis, quorum caſtigatiſſima eſt latinitas.

OBSERVATIO VII.

SPECIMEN INDICIS EXPVRGATORII.

INdicis Librorum expurgandorum in ſtudioſorum gratiam confecti Tomus primus, in quo quinquaginta auctorum Libri prae ceteris deſiderati, emendantur. Per Fr. Io. Mariam Braſichellen, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, in vnum corpus redactus & publicae commoditati editus. Romae, ex typographia R. Cam. Apoſt. M. DC. VII. Superiorum permiſſu.

Authorum, quorum libri hoc priori tomo expurgantur, Catalogus.

A.

Albertus Argentinen. pag. 1.
Albertus Krantzius 2.
Amatus Luſitanus 12.
Analyſis ſeu reſolutio dialectica. 19.
Andreas Maſius 24.
Antonius de Rampilogis. 26.
Arnaldus de villa noua 36.

B.

Beatus Rhenanus. 37.
Benedictus Ariamontanus 39.
Biblia Roberti Stephani 46.
BibliothecaSanctorum patrum. 63.

C.

Candelabrum aureum 297.
Caroli Molinæi annotationes. 308.

D.

DidacusStella 406.

E.

Emanuel Sa. 414.
Epigrammatum flores. 443.

F.

Franciſcus Duarenus ibid.
Franciſci Georgii Problemata 446.
- - - Eiusd. harmonia mundi. 509.
Franciſci Hottomanni de verbis iuris 553.
Eiusd. inſtitutiones. 555.

G.

Geraldus Mercator. 556.
Guilielmus Grattarola. 557

H.

Hieronymus Cardanus de ſubtilitate. 559
Idem de varietate 580.

I.

Ianus Cornarius. 598.
Iannotius de Manetis. 601.
Ioh. Bodinus. ibid.

Ioan.

Ioannes Carion 604.
Ioh.Forſterius 610.
Ioh. Gulielmus Stuckius 626.
Ioh. Neuizanus 629.
Ioh. Oldemdorpius 637.
Ioh. Petrus de Ferrariis. 640.
Ioſias Simlerus 644.
Eiusd. Valleſiae deſcriptio. 645.

L.

Laurentii Schradaei Monumenta. 646.
Leopoldus Dichius 647.
Leonardus Fuchſius. fol. 648.
Leuinius Lemnius 652.
Ludouicus Caſteluetrius 653
Ludouicus Viues. 664.

M.

Martinus Martinez 667.
Matthaeus Weſenbecius 673.
Melchior Clingius 679.

P.

Petrus Crinitus 681.
Plato cum Serrano 682.
Polydorus Virgilius 685.
Sebaſtianus Munſterus 693.

T.

Theatrum vitae humanae 694.
Theophraſtus 723.
Theſaurus linguae ſanctae 724.

V.

Valeſius. 727.

X.

Xenophon. 729.

Regulae ex Romano Clementis VIII. Summi Pont. Indice librorum prohibitorum.

Reg. II.

Haereſiarcharum libri tam eorum &c.

Reg. V.

Libri illi, qui haereticorum auctorum opera &c.

Reg. VII.

Libri qui res laſciuas ſeu obſcœnas ex profeſſo &c.

Reg. VIII.

Libri quorum principale argumentum bonum eſt &c.

De Correctione librorum ex Indice Clementis VIII. Pont. Max.

§. 1. Habeant Epiſcopi & inquiſitores &c.

§. 2. Qui negotium ſuſceperit corrigendi &c.

§. 3. In libris autem Catholicorum recentiorum &c.

§. 4. In libris autem catholicorum veterum &c.

§. 5. Poſtquam Codex expurgatorius confectus fuerit &c.

Fr.

Fr. Ioh. Maria Braſichellenſis, ſacri palatii Apoſtolici Magiſter.

Pio ac ſtudioſo Lectori ſalutem.

Cum omnes homines publicis vtilitatibus, inter quas religionis cauſa praecipua eſt, inſeruire deceat, eo imprimis cogitationes ſuas dirigere debent ii, a quibus id commiſſi officii ratio depoſcit. Cum igitur nos (decimus iam labitur annus) ad regendum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſterium vocati eſſemus, inter caeteras huius officii curas intelleximus non poſtremum ſibi vendicare locum expurgationem librorum. Quapropter eo potiſſimum animum adiecimus, vt libri vitiatæ lectionis, qui ad praeſcriptum Regularum Sacri Indicis Romani expurgari queunt, caſtigarentur, talesq; reſtituerentur ſtudioſis, vt tuto, & in offenſe ab eis tractari poſſent. Horum autem cum ingens eſſet numerus, eos nunc noſtris cenſuris complexi ſumus, quos emendari vtilitatis publicæ magis intereſſe exiſtimauimus, quosque ſibi e manibus extorqueri grauius ferre homines animaduertimus, & quorum vt permitteretur facultas, pene quotidie a nobis efflagitabatur. Neque vero, qui ante nos muneri, quo fungimur, praefuerunt, eo quod huiusmodi negotium non confecerint, deſidiae, aut negligentiae ſunt accuſan-

ſan-

ſandi, imo magna iis eſt habenda gratia, quod laboribus, quos in hac re non contemnendos reliquerunt, tum proprios, tum ab vniuerſitatibus, & aliis viris doctis confectos, laborem noſtrum leuiorem multo, facilioremque reddiderunt. Itaque ipſorum induſtriae, quod inchoarunt, quod vero inchoata non perfecerunt, temporis eſt vel anguſtiae, vel importunitati tribuendum. Cæterum hoc labore ſuſcepto, & tuis (ni fallor) ſtudiis (amice lector) & noſtrae quieti magna ex parte conſuluimus. Certe non erit poſthac opus, huiusmodi libros habentibus, (quod ante non ſine ſtomacho facere coacti ſumus) auferre, ſi modo iis iuxta Cenſuras noſtras emendatis, quam incorrectis, vt antea pertinaciter vti maluerint. Si autem (quod imbecillitatis humanae memores euenire poſſe minime dubitamus) aliquæ errorum reliquiae, quae diligentiam noſtram effugerint, in huiusmodi libris remanſerint, pii, & Catholici lectoris officium erit, eas, prout neceſſe fuerit, reſecare. Quem propterea vt ad eosdem libros legendos non oſcitanter, ſed caute, & prudenter accedat, admonemus. Supereſt nunc, vt & quod datur hilari fronte ſuſcipias, & nos piis apud Deum precibus iuuare non graueris, quo facilius ſecundum Cenſura-

rum

rum Tomum, quem iam prae manibus habemus, celeriter emittere valeamus, Vale. Datum Romae ex Palatio Apoſtolico, anno ſalutis 1607.

Albertus Argentinenſis. pag. 1.

Ex Alberti Argentinenſ. chronico delenda ſunt ſequentia; Solet autem opus annecti Hiſtoriae Ottonis Epiſcopi Friſingenſis. Baſileae apud Petrum Pernam, 1569.

pag. 157. deleantur illa verba, *Dolis Cleri praevalentibus contra eum.*

pag. 158. deleatur titulus capituli, qui ſic habet, *De potentia, & ſuperbia Sedis Apoſtolicae, ac Praedicatorum, & Minorum.*

Deleatur etiam totum caput, quod incipit, *Poſt Fridericum &c.*

pag. 169. deleatur hiſtoria, ſeu potius ficticium commentum Bonifacio Papae VIII. impoſitum.

pag. 174. Narratur de quodam Concionatore, qui dicebatur venenum Imperatori propinaſſe, cum ei ſacram Communionem daret; quae quidem Hiſtoria tamquam falſa, & ſcandaloſa Sanctisſimum Euchariſtiae Sacramentum recipientibus, prorſus delenda eſt:

Igitur tollantur illa verba: *& in Aſſumptionis*

nis Virginis Mariae vigilia &c. vsque *illico diſceſſit.*

pag. 180. habetur cuiusdam ſomnium, qui ſanctam ſedem *ſtabulum immundiſſimum ſtercoribus plenum vocat.* Haec autem tanquam ſcandaloſa, & iniurioſa delenda
p. 2. ſunt ab illo verbo: *Pater ille, qui mihi monſtrauit*, vsque ad verbum: *Expurgate.*

pag. 187. De Clemente Papa VI. quaedam iniurioſa dicuntur, quae tanquam maligne prolata contra Pontificem alias a multis auctoribus commendatum, delenda ſunt, v. 3. *Hic ab Anteceſſoribus* &c. vsque *de Simonia deformans.*

pag. 192. vbi dicitur, *Nullum pro Imperatore habebunt, nec per Sedem Apoſtolicam probatum;* Mendoſa eſt lectio, & loco dictionis, *Nec* ponendum eſt, *Niſi.*

Albertus Krantzius.

Loca delenda in Hiſtoriis Alberti Krantzii.

Saxonia.

Francfurti ad Mœnum apud Andream Wechelum 1580.

Deleatur præfatio Nicolai Ciſneri ad Conſules, & Senatores Reipub. Amburgen. Incipit, *Hiſtoricos*, &c.

Lib. II.

pag. 29. c. 1. n. 40. dele, *De qua ipſi viderint*, & in

in margine, *Conſtantini donatio fabuloſa*.
pag. 32. c. 5. n. 20. dele notam marginalem, *Monachiſmus*.

Lib. III.

pag. 55. c. 1. n. 20. dele: *Nec dum enim, vsque poteſtatem*, incluſiue cum nota marginali, *Romani Pontificis* &c.
pag. 61. c. 3. n. 20. dele, *Baptizatus ad finem vitae*, vsque ad *fabuloſa creditur*, incluſiue.
pag. 65. c. 3. n. 1. dele notam marginalem, *Sacerdotium*, &c. p. 3.
pag. 67. c. 4. n. 10. dele, *Dicant igitur* vsque *poſtea vero quam*, cum nota marginali: *Papalis conſecratio*.

Lib. IV.

pag. 84. c. 10. n. 50, deleatur totum caput 10. & 11. cum nota marginali, *Leo Papa*, & alia, *Conſtantini donatio*.

Lib. V.

pag. 110. c. 8. n. 30. dele, *Quid enim hodie per diſpenſationem Apoſtolicam non obtinetur?* cum nota marginali, *Papæ laxiſſima*, &c.
p. 131. c. 37. n. 10. dele *Ex hac verborum*, vsque *ſæculares* incluſiue, cum nota marginali, *Papa*.
Ibidem n. 20. dele in margine, *facere mala*.
pag. 132. c. 39. n. 40. dele in margine *ſolvendi* &c.

Lib.

Lib. VI.

pag. 146. c. 16. n. 40. dele *Non confirmationis*, vsque *Rex ergo* excluſiue, cum nota marginali, *Annatæ* &c.

pag. 147. c. 16. n. 10. dele notam marginalem *Romani* &c.

pag. 151. c. 22. n. 50. dele notam marginalem *Lubicenſis Epiſcopus.*

pag. 167. c. 46. n. 50. dele notam marginalem, *Amant primas* &c.

pag. 168. c. eodem n. 10. dele notam marginalem, *vnius Monachi*, &c.

Ibidem c. 47. n. 50. dele marginalem notam *Imperator & Pontifex.*

pag. 171. c. 51. n. 10. dele. *Ad quem Imperator* vsque ad c. 52. cum nota marginali, *Pontifices.*

Lib. VII.

pag. 183. c. 14. n. 1. dele marginalem notum, *Habentes alimenta.*

p. 4. pag. 196. c 33. n. 30. dele marginalem notam, *Papæ & Imperatoris coniunctio.*

Lib. VIII.

pag. 211. c. 14. n. 30. dele *cum tanto*, vsque ad, *auerteret.*

pag. 215. c. 21. n. 30. dele, *facile donans*, vsque ad *ſequantur*, cum nota marginali, *Imperium a Papa.*

pag. 221. c. 28. n. 10. dele marginalem notam, *facultatum.*

pag.

pag. 223. c. 32. n. 1. dele marginalem notam, *Eccleſia* &c.

pag. 225. c. 36. n. 1. dele, *Vides Petre* &c. vsque *tuorum*.

Ibidem dele in margine. *Papa in Theatro* &c.

Ibidem n. 10. dele, *Tante ne* &c.

Ibidem n. 30. dele, *Reges Pontificem*.

Lib. IX.

pag. 230. c. 2. n. 1. dele, *Ita Tartarea* vsque ad *comparationem*, cum nota marginali, *Itali*, &c.

pag. 232. c. 5. n. 40. dele marginalem notam, *Coelibatus* &c.

pag. 234. c. 7. in fine capitis dele, *Ptolomaeus vero*, vsque ad, *praeualuerunt*, cum nota marginali, *Euchariſtia*.

pag. 236. c. 10. n. 10. dele, *quod ne cui nouum*, vsque ad *Iupiter*, cum nota marginali: *Virginis imaginem*.

pag. 240. c. 15. n. 1. dele, *Inter alia vero*, vsque ad *deſolabitur*, cum nota marginali, *Papæ nimia* &c.

pag. 249. c. 28. n. 30. dele, *Non ſine ſcandalo*, vsque ad *deſolabitur*, cum nota marginali, *Papa* &c.

Lib X.

pag. 261. c. 4. n. 10. dele, *Iam enim Itali*, vsque ad, *ſeueritatis*.

p. 5. pag. 265. c. 11. n. 40. dele notam marginalem, *Vrbani Papæ*.

pag. 266. cap. eodem n. 10. dele notam marginalem, *Epiſcopi Cardinales creati.*

Ibidem dele, *longam inde tragœdiam* vsque *Secretarius Apoſtolicus.*

pag. 282. c. 36. n,20. dele notam marginalem, *Conſueta aucupia* &c.

Lib. XI.

pag. 297. c 20. n.10. dele marginalem notam, *Concilium* &c. n. 40. dele aliam, *Concilii* &c.

pag. 305. c.30.n. 1. dele, *Sed aliquando* vsq; ad *diſſimulabat*, cum nota marginali, *Annatis.*

pag. 307. c. 33. n. 10. dele, *Iam conſpirantibus*, vsque ad, *Imperii*, cum marginali nota, *Papa*, &c.

Lib. XII.

pag. 310. c. 1. n. 40. dele in margine, *Papa*, &c.

pag. 311. c. 3. n. 40. dele marginalem notam, *Fatigatos*, &c.

pag. 327. c. 27. n.40. dele marginalem notam, *Qui dixit*, &c.

pag. 328. c. 28. n. 10. dele, *Iam mallet*, vsque ad *Barbitonſor.*

Lib. XIII.

pag. 339. c. 8. n. 20. dele marginalem notam, *Eccleſiaſticis* &c.

In Indice Saxoniae, dele *Pontificis* &c.

Me-

METROPOLIS.

Francofurti ad Moenum, ex officina Typographica Andreæ Wechelii 1576.

Deleatur Præfatio Io. Volphii ad Epiſcopum Herbipolitanum Franconiæ Ducem, &c.

Lib. I.

pag. 10. c. 10. n. 10. dele, *Sed illam*, vsque ad, *templo*, cum nota marginali, *Fabulas*, &c. p. 6.

pag. 18. c. 25. n. 40. dele marginalem notam, *In diuorum*, &c.

pag. 19. c. 26. n. 20. dele notam marginalem, *Pontifices* &c.

pag. 24. c. 34. n. 20. dele marginalem notam, *Inuidia* &c.

Lib II.

pag. 31. c. 1. n. 10. dele notam marginalem, *Hunc annorum* &c.

pag. 33. c. 1. n. 1. dele notam marginalem, *Multa in Martyrum* &c.

pag. 34. c. 1. n. 10. dele, *hic* (*vt Gratianus*) vsque ad, *quinto*, vna cum nota marginali, *falſa*. &c.

pag. 36. c. 1. n. 30. dele notam marginalem, *Imperatoris* &c.

pag. 53. c. 20. n. 30. dele notam marginalem, *Turpe* &c.

pag. 57. c. 29. n. 50. dele notam marginalem, *fuit olim* &c.

Lib. IV.

pag. 94. c. 10. n. 40. dele notám marginalem, *Deglutientes*, &c.

pag. 109. c. 33. n. 1. dele notam marginalem, *Qui excommunicati*, &c.

Lib. V.

pag. 119. c. 1. n. 20. dele notam marginalem, *Papa* &c.

pag. 129. c. 16. n. 40. dele, *Mortique*, vsque ad, *dicens*, quibus deletis adde, *Ibi diem clauſit extremum*, cum nota marginali, *Rudolphus*.

pag. 133. c. 21. n. 50. dele in nota marginali, *ſi non conficta*.

Lib. VI.

p. 7. pag. 149. c. 12. n. 40. dele notam marginalem *Krantzius*.

pag. 157. c. 27. n. 40. dele *ponebantur* &c. vsque *ad triumphandum* cum nota marginali, *quæ hodie*.

Lib. VII.

pag. 170. c. 1. n. 1. dele notam marginalem, *ſi Papa* &c.

pag. 174. c. 10. n. 50. dele marginalem notam *Eccleſiæ* &c.

pag. 193. c. 42. n. 10. dele, *cæteri fratres* &c. vsque ad, *vehementia*, & marginalem notam, *Monachis*.

Lib. IX.

pag. 253. c. 34. n. 30. dele marginalem notam. *Romæ* &c.

Lib. X.

pag. 281. c. 27. n. 10. dele marginalem notam, *vt in politia*, &c.

pag. 290. c. 45. n. 1. dele marginalem notam, *Eccleſiæ* &c,

Lib. XI.

pag. 293. c. 1. n. 1. dele marginalem notam, *Deus, & Sancti* &c.

pag. 297 c. 8. n. 40. dele marginalem notam, *Ioannis Huſſitæ*, &c.

pag. 198. c. 10. n. 5. dele, *& quam facile dedit*, &c. vsque, *expleri non poſſet*, dele etiam notam marginalem, *Papa Bonifacius* &c.

pag. 301. c. 15. n. 1. dele notam marginalem, *Chriſto neglecto* &c.

Ibidem n. 30. dele etiam notam marginalem, *Præceptum Chriſti*, &c.

p. 303. c. 19. n. 10. dele not. marg. *Pontifex* &c.

p. 305. c. 24. n. 20. dele notam marginalem: p: 8.
Chriſti verba, &c.

pag. 307. c. 28. n. 30. dele notam marginalem, *Bohemi* &c.

Lib. XII.

pag. 328. c. 15. n. 50. dele notam marginalem, *in Epiſcopis* &c.

pag. 329. c. 16. n. 20. dele notam marginalem *Nicolaus Pontzius* &c.

pag. 335. c. 29. n. 30. dele. *Solet enim Sedes* &c. vsque *interim*, cum nota marginali, *Aurum pro plumbo* &c.

In indice dele, *Romana Sedes.* &c.

DANIA.

Francofurti ad Mœnum apud Andream Wechelium 1575.

In frontiſpicio dele nomina hæreticorum, Io. Volphii & Iacobi Ziegleri; Tollatur præfatio Volphii ad Ludouicum Ducem Wirtembergenſem, quæ incipit, *In hoc noſtro conſilio.*

Lib. II.

pag. 85. c. 23. n. 10. dele notam marginalem, *puram religionem* &c.

Lib. V.

pag. 108. c. 18. n. 50. dele notam marginalem, *Martyr Chriſti* &c.

pag. 110. c. 20. n. 10. dele, *& vt verum* &c. vsque *circumferentur*, cum nota marginali, *Canones* &c.

pag. 112. c. 24. n. 40. dele notam marginis, *Pontificum* &c.

pag. 117. c. 33. n. 20. dele, *quid contulit*, vsque *magnificantibus*, cum nota marginali, *recte ſua, &c.*

Lib. VI.

p. 134. c. 12. n. 3. dele notam marginalem, *minaces* &c.

Lib. VII.

p. 9. pag. 160. c. 7. n. 10. dele, *cum regnum* &c. vsque, *poſſent*, cum nota marginali, *Eundem Regem eſſe.*

Lib. VIII.

pag. 192. c. 30. n. 1. dele not. marg. *Indulgentiarum* &c.

IN SVEVIA, ET NORVAGIA nihil animaduertimus corrigendum,

VVANDALIA.

Francofurti ex officina Typographica Andreæ Wechelii 1580.

Tollatur Epiſtola Impreſſoris ad Hubertum Languetum, quæ incipit *Cur hanc*, &c.

Lib. I.

pag. 5. c. 2. n. 2. dele in margine, *Non omnes Chriſtiani.*

Lib. II.

pag. 39. c. 23. n. 50. dele in margine, *Vos autem ſic.*

p. 40. c. 25. n. 40. dele in margine, *Hoc in Saxonum Epiſcopis.*

Lib. IV.

p. 84. c. 9. n. 20. dele in margine, *gratis* &c.

p. 87. c. 14. n. 10. dele in margine, *Pietatem* &c.

p. 90. c. 19. n. 10. dele in margine, *nil tale* &c.

p. 93. c. 23. n. 20. dele in marg. *& Romanenſes* &c.

p. 101. c. 38. n. 50. dele in marg. *non bene conſulitur* &c.

p. 102. c. 39. dele notas marginales, *Epiſcopi, & Epiſcoporum* &c.

Lib. VI.

p. 138. c. 18. n. 30. dele in margine, *Epiſcopus humanis hoſtiis* &c.

p.10 p. 141, c. 24. n. 40. dele, *cum de more*, vsque *nunciarentur*, & notam marginalem, *infecta*.

p. 147. c. 35. n. 20. dele in margine, *Excommunicationis* &c.

p. 148. c. 37. n. 20. dele in marg. *ſic traditionum* &c.

Lib. VII.

p. 152. c. 6. n. 20. dele in margine, *Papa* &c.

p. 159. c. 21. n. 20. dele in margine, *Italiæ Provincias* &c.

pag. 169. c. 40. n. 30. dele in margine, *Clerus iuris* &c.

pag. 171. c. 42. n. 10. dele in margine *poteſtne* &c.

pag. 176. c. 49. n. 1. dele in margine *Fratres mendicantes* &c.

pag. 179. c. vltimo in fine, dele notam marginalem, *Veneficium &c.*

pag. 179. c. vltimo in fine, dele notam marginalem, *Veneſicium* &c.

Lib. VIII.

pag. 180. c. 2. n. 1. dele duas notas marginales primas, *Iudica, & Cordati*, &c.

pag. 183. n. 10. dele notam marginalem, *Clerus* &c.

pag. 185. c. 10. n. 10. dele notam marginalem, *Papæ impiorum* &c.

Et

Et c. 11. n. 50. dele notam marg. *Papa* &c. & in textu, *iam omne*, vsque *abſtuliſſem.*

Lib. IX.

pag. 204. c. 2. n. 10. dele notam marginalem, *Papa* &c.

pag. 207. c. 8. n. 50. dele notam marg. *opes in Eccleſia* &c.

pag. 210. c. 11. n. 20. dele notam marg. *Auaritia* &c.

pag 219. c. 28. n. 20. dele notam marg. *Quis ex variis* &c. & n. 30. *Papa ordini* &c.

pag. 222. c. 30. n. 40. dele not. marg. *Dictatorium Papæ* &c.

Lib. X.

pag. 227. c. 2. n. 30. dele not. marg. *Calicis vſus* &c.

p. 237. c. 21. n. 10. dele not. marg. *Eccleſia Romana* &c. & n. 20. *Papatus &c.*

p. 238. c. 23. n. 50. dele notam marginalem, *ſe tueri* &c. p. II.

p. 240. c. 35. n. 50. dele notam marginalem, *Papa matrimonium.*

p. 242. c. 28. n. 30. dele notam marginalem, *at illi* &c.

Et n. 50. *ſibi magis* &c.

p. 245. c. 33. n. 1. dele not. marg. *at Catholici* &c.

pag. 248. c. 40. n. 50. dele not. marg. *Monachi* &c.

Lib. XI.

p. 252. c. 6. n. 10. dele not, marg. *Clerus Romanenſis* &c.

p. 254. c. 9. n. 1. dele notam marginalem, *Veſtro vero* &c. c. 10. n. 1. dele notam marginalem, *id eſt* &c.

p. 157. c. 17. n. 30. dele notam marginalem, *Imperii Patrimonium* &c.

p. 261. c. 23. n. 1. dele notas marginales, *nullas etiam* &c. &, *Papa Concilium* &c.

Et c. 24. n. 50. dele notam marg. *cum Pontificiis &c.*

p. 262. c. 26. n. 10. dele notam, *& Papa* &c. & n. 20. *caput Eccleſiæ* &c.

c. 27. n. 30. & 40. dele in textu, *Formidabat enim*, vsque *exemplares* incluſiue, cum nota marginali, *vnde* &c.

Lib. XII.

p. 275. c. 7. n. 40. dele marg. not. *ſed cur tandem* &c.

p. 282. c. 19. n. 40. dele marginalem notam, *Pontificium anathema* &c.

p. 258. c. 24. n. 40. dele not. marg. *Pontificis bruta* &c.

p. 290. c. 33. n. 1. dele notam in margine, *oves &c.*

Lib. XIII.

p. 293. c. 1. n. 1. dele marginalem notam, *Italis* &c.

pag.

p.295. c.5.n. 50. dele illa verba, *vt habeant*, vsque *ſuas* incluſiue, cum nota marginali, *Papa* &c.

pag. 297. c.8. n.30. dele notam marg. *Catholica &c.*

p. 302. c. 16. n. 3. dele not. marg. *non minus* &c.

p. 305. c. 22. n. 20. dele notam marginalem, *Papa cum Turco* &c.

Lib. XIV.

pag. 319. c. 6. n. 50. dele not. marg. P*apa impe-rium* &c. p.12.

p. 325. c. 17. n. 30. dele *facta, & infecta*, vsque *Sacerdotes*, incluſiue, cum nota marginali, hæc &c.

p. 330. c. 26. n. 1. dele not. marg. *Eccleſia eſt in Rep. &c.*

pag. 333. c. 31. n. 30. dele notam marg. *cur vero* &c.

pag. 336. c. 33. n. 10. dele not. marg. *Religionis* &c.

pag. 337. c. 34. n. 40. dele not. marg. *hac omnia* &c.

IN INDICE.

Dele *Eccleſia Catholica*, &c.

Dele *Eccleſia Romana* &c.

Literа P.

Dele ab illo verbo, P*apa gladium*, vsque ad illa, P*apa opes* &c, incluſiue.

Item

Item illa *Papa omnia nihil facit* &c.
Item P*apæ fulmina* &c.
Item P*apa errantem* &c.

Litera V.

Dele, *Veneficium Florentinorum ars*, &c.

Andreas Maſius.

Ex Andreæ Maſii Commentariis ad IoſueImperatoris Hiſtoriam Impreſſ. Antuerp. 1574.

pag. 30. lin. 20. deleantur hæc verba, *non igitur recte a Latino*, vsque ad exitum periodi incluſiue.

p. 31. lin. 15. delendum, *hæc verba*, *parum ergo plene* vsque ad illa excluſiue, *hæc enim ea ſola*.

p. 31. lin. 37. deleantur hæc verba, *illud converti*, vsque ad illa excluſiue, *& nihil vſitatius*.

p. 32. lin. 36. deleantur hæc verba, *neque vero hic*, vsque ad illa excluſiue *atque hanc iſtorum verborum*.

p. 43. lin. 19. deleantur hæc verba, *quod enim Latinus*, vsque ad illa excluſiue, *verum neque illud*.

p. 56, lin. 11. *vbi non ſatis conſiderate latinus videtur interpretatus eſſe*, deleatur, *quod ipſe ſentiret*, excluſiue *fuit ergo vt ego*.

p. 59.

p. 59 lin. 31. deleantur hæc verba, *at vero ſi ſacerdot.* vsq; ad illa excluſiue, *ceterum quanta ampliſſima.*

p. 66. lin. 6. del. *eſſe autem,* vsque ad illa excluſiue, *atqui aquas.*

p. 71. lin. 14. deleantur, hæc verba, *quare non ſatis recte,* vsque ad illa excluſiue, *cæterum perſonæ mutatio.*

p. 128. lin. 8. deleantur hæc verba, *qua fronte Catholica Eccleſia,* vsque ad illa excluſiue, *cæterum ponit nobis.*

p. 139. lin. 43. deleantur hæc verba, *nam furorem,* vsque ad illa excluſiue, *neque vero furor.*

p. 165. lin. 6. deleantur hæc verba, *ipſa enim quam dixi,* vsque ad illa excluſiue, *ſed enim D. Ambroſ.*

p. 227. lin. 9. deleantur hæc verba, *quare non recte latinus,* vsque ad illa excluſiue, *hac terra relicta.*

p. 229. lin. 14. deleantur hæc verba; *neque vero recte latinus,* vsque ad illa excluſiue *porro illud.*

p. 231. l. 34. deleantur hæc verba, *latinus neſcio qua fretus,* vsque ad illa excluſiue, *quare ego exiſtimare,*

p. 236. lin. 28. deleantur hæc verba, *latinus enim illic,* vsque ad illa excluſiue, *etiam vt demus illum.*

p. 241

p. 241. lin. 36. deleantur hæc verba, *non igitur recte a latino*, vsque ad illa excluſiue, *neque enim Leuitæ.*

p. 317. lin. 20. deleantur hæc verba, *neque enim ara niſi cui ſacrificantur dicari debet*, vsque ad illa excluſiue, *audiuerunt inquam.*

p. 318. lin. 20. deleantur hæc verba, *immo vllos omnium, qui gladio*, vsque ad illa excluſiue, *nam etiam noſtros.*

pag. 325. lin. 21. deleantur hæc verba, *non vt eam adoremus*, vsque ad illa excluſiue, *vt dum.*

p. 329. lin. 10. deleantur hæc verba, *quare non recte latinus*, vsque ad illa, *eritis igitur.*

p. 338. lin. 23. deleantur hæc verba, *habet quidem fateor*, vsque ad illa excluſiue, *ſed quando ſic loquuntur.*

p. 343. lin. 42. deleantur hæc verba, *ad ſolam enim vitæ.* vsque ad illa excluſiue, *neque enim ſolus.*

OBSERVATIO VIII.

De IVRE BELLI ET PACIS STATIBVS IMPERII VI SVPERIORITATIS COMPETENTE.

SVMMARIA.

AN ſtatus gaudeant iure belli tam offenſiui, quam defenſiui? §. I. *Reſpondetur, erga Conſta-*

ſtatum ſaltem licitum eſſe bellum defenſiuum, non offenſiuum, contra Limneum §. II. *Non obſtat, quod aliquando in legibus imperii prohibeantur iniuſta bella offenſiua. Bella defenſiua etiam ſunt, quando quis ab hoſte primum laceſſitus poſt aliquod tempus iniurias vlciſcitur.* §. III. *Bella mandatu Cæſaris contra proſcriptos geſta huc non pertinent.* §. IV. *A. B. c. 17. per ſecutam conſtitutionem pacis profanæ eſt abrogatum. Conceſſio belli offenſiui erga conſtatus tollit omnem iurisdictionem imperii. Per ducentos annos ſtatus contra ſtatus belligerantes perſuadere Imperio voluerunt, bellum ex ſua parte eſſe defenſiuum* §. V. *Quod vero bellum ſtatuum erga Reges exteros attinet, videndum ante omnia quodnam bellum ſit offenſiuum, quodnam defenſiuum, præprimis cum fere omnes belligerantes prætendant ſe in defenſione verſari.* §. VI. *Non omne bellum offenſiuum eſt iniuſtum, nec omne defenſiuum iuſtum.* §. VII. *Non omnis qui iniuriam fecit, bellum offenſiuum incboat. Nam iniuriæ cauſa quidem belli ſunt, non tamen bellum ipſum, ergo nec bellum offenſiuum* §. IIX. *Qui absque iniuria præcedente bellum infert, ille bello hoc offenſiuo iuſtam cauſam præbet bello defenſiuo, excepto vnico caſu, ſi Deus tale bellum offenſiuum iuſſerit.* §. IX. *Ipſa igitur prima belli illatio, ſiue ex iuſta ſiue iniuſta cauſa facta, eſt hodie character belli offenſiui. Olim indictio belli indicabat bellum of-*

offenſiuum. Olim etiam, ſi iuſta cauſa ſubeſſet, non pudori erat bellum incipere. Indicium malitiæ noſtri ſeculi eſt, quod nemo velit fateri ſe bellum incepiſſe, quod item ſubinde velimus perſuadere aliis, pacem, non bellum eſſe, vbi tamen meri actus hoſtiles exercentur. §.X. *Ex dictis examinatur doctrina Pufendorffii de bello offenſiuo & defenſiuo;* §.XI. *item Limnei.* §.XII. *His ſuppoſitis quæſtio non eſt, an ſtatus contra Reges exteros vi ſuperioritatis vti posſint bello offenſiuo? De vtraque ſpecie plures caſus determinantur.* §.XIII. *Reſpondetur ſtatus tali bello offenſiuo, absque implorata Imperatoris & Imperii ope non vti poſſe.* §.XIV. *Reſpondetur Limneo diſſentienti.* §.XV. *De bello vero defenſiuo quin id gerere poſſint non eſt dubium.* §.XVI. *Ius habendi delectus & conſcribendi milites ſtatibus competens cum ſuis clasſibus* §.XVII. *Ius inſtruendi armamentaria* §.XIIX. *Ius muniendi loca & arces indiſtincte ſtatibus absque conſenſu Imperii non competere.* §.XIX. *Reſpondetur Limneo* §.XX. *Iura ſequelæ, luſtrationis & reliqua.* §.XXI. *Ius aperturæ* §.XXII. XXIII. *Ius repreſſaliarum eiusque origo ex moribus Gentium antiquisſimis* §.XXIV. *Iuſtitia repreſſaliarum fuſius deducitur & ab obiectionibus liberatur* §.XXV. *An ſtatibus competat ius repreſſaliarum? reiecta doctrina Pragmaticorum & Limnei per diſtinctionem inter conſtatus & exteros reges aliasque cautelas ex-*

explicatur. §.XXVI. *Differentia repreſſaliarum a pignorationibus* §. XXVII. Ανδροληψία *Athenienſium* §. XXVIII. *Ius Pacis ſtatibus competens reſtrictum quoad alienationes territoriorum & rerum quarundam mobilium* §.XXIX. *Concluſio* §. XXX.

§. I.

SVperiori Diſſertatione, Tomo obſervationum tertio inſerta, iura Belli & Pacis executi ſumus, quæ vniuerſi Status Imperii cum Imperatore in adminiſtranda republica more patrio & iuxta Pacis Weſtphalicæ tabulas, communia habent. Videamus nunc de alio belli & pacis iure, quod ſingulis Statibus ex ſuperioritate eſt proprium, & quod ſuo vnius quisque arbitratu exercet, ita tamen, ne vſu eius contra leges & conſtitutiones publicas peccetur, quibus libertas & amplitudo poteſtatis Ciuium noſtrorum, vtcunque maxima, metienda eſt. Itaque quantum hic Statibus liceat, cum ex iure publico, tum inſtitutis maiorum diſpiciendum. Vnde prima eſt conſideratio de genere belli: Cum enim bellum aliud ſit, quo decreto vim primi inferimus & acceptas iniurias vindicamus, *offenſiuum* vocant: & aliud, quo tuendis finibus ſuſcepto vim illatam repellimus, & nos resque noſtras ab inuaſione atque iniuriis hoſtium defen-

dimus: quod *defenſiuum* dicitur, prima merito eſt inſpectio, vtrum belli genere vtroque an ſaltem altero, i. e. poſtremo vti Statibus ius facultasque ſit.

§. II. Hic ante omnia intereſſe puto, cum exteris Regibus aut populis rem Status noſtri habeant, an inter ipſos Ciues noſtros contentio ſit atque certamen; vbi controuerſia quædam Statibus inuicem eſt, recte negant Schuzius aliique vim faciendi poteſtatem controuertentibus ſupereſſe. Iudicia enim eam ob cauſam inſtituta ſunt, vt ſi quæ inter Ciues forte ſimultates vel odia vertuntur, vel ſi quis aduerſum alios quam rem actionemve habere ſe exiſtimat, prohibita omni violentia, vnusquisque leniori diſceptationis in foro genere ius ſuum formula Prætoris, adeoque publica autoritate, non armata manu, & ſuo priuato auſu, perſequatur: quippe vis omnis non vetuſtioribus ſolum conſtitutionibus, ſed & recenti lege, inſtrumento Pacis Weſtphalico inſerta, prohibita, pœnaque fractæ pacis in turbatores motuumque autores decreta eſt, *Inſtr. pac. art. 17. §. 7.* recitabo verba legis: *Nulli omnino Statuum Imperii liceat ius ſuum vi vel armis perſequi: ſed ſi quid controuerſiæ ſiue iam exortum ſit, ſiue poſthac inciderit, vnusquisque iure experiatur, ſecus faciens reus ſit fractæ pacis.* Atque hæc ſane

ne-

neceſſaria ſunt omnium bene ordinatarum rerumpublicarum inſtituta; Cui enim vſui ſacroſancta iudiciorum Magiſtratuumue poteſtas, ſi cuique ius ſuum ſuo ſibi pro arbitratu dicere liceat? Quin nec contra eum civem, qui iniuriam fecit, neque iudicio ſiſtere ſe vult, arma capiendi facultatem dari cenſeo, quod Limneo viſum eſt: niſi forſan in continenti repellatur vis, aut illata iniuria ita comparata ſit, vt niſi ex tempore vindicetur, cauſam illius qui læſus eſt, mora iudiciorum faciat deteriorem; quo caſu cum videatur iniuria perpetuo inferri, non offendere, petereque nos bello illato alios, ſed defendere res facultatesque noſtras a præſenti & continua violentia putabimur: De cetero, quia in contumaces non minus, quam qui ſe iudicio ſiſtunt, remedia iuris prodita ſunt, & præterea contemtu Rei violata Iudicis maieſtas haud inultam ſe patietur, itaque ope Magiſtratus & iure experiundum erit, non vero alterius pertinaciam, quam damnamus, novo exemplo æmulari, cœptamque apud iudicem actionem deſerere. Valde autem fruſtra eſt Limneus, qui eo argumento Statibus Ius belli offenſiui aduerſus ſe mutuo aſſerit, quod eis ſaltem iniuſto bello interdictum ſit: adeoque iuſtum permittatur, ſiue id offenſivum fuerit ſive defenſiuum: quam in rem

280367

multas Imperii conſtitutiones citat. Primo enim multis earum Conſtitutionum allegatis locis id, quod ſibi probandum Limneus ſumſerat, non legitur ſancitum; imo contrarium magis; ſcilicet nulli Ciuium, quacunq; etiam ex cauſa, poteſtatem eſſe offendendi alterum belloque petendi, aut res ſuas agendi ferendique: ſed ſi quæ contra alium ſit actio, vt iure atque iudicio experiamur, ita conſtitutum eſt *adducto Receſſu Spirenſi anno. 1526.* §. zum andern. *Item Receſſu Auguſtano 1530.* §. Wir auch Chur-Fürſten. *Item Receſſu Ratisbonenſi 1541.* §. und damit im Heil. Reich.

§. III. Quod ſi forte alicubi iniuſta bella prohibita inueniuntur: veluti *A. B. C. 17.* §. *vlt.* Item vt videtur *Receſſu Imperii Auguſtano 1541.* §. und dieweil wir nun. *ibi*: daß keiner den andern mit Gewalt wieder Recht und den aufgerichteten Land-frieden/ überziehe/ angreiffe ꝛc. id non reſtrictiue ſeu oppoſitive intelligendum, quaſi caſus eſſe poſſit, quo quis alterum iure & licite poſſit bello illato primus petere: nam aliis locis offenſiones iſtæ & incurſiones quacunque etiam cauſa ſuſceptæ damnantur, & quisque iure agere iubetur; ſed verba legis ſunt explicatiua, rationem prohibitionis continentia, quod nimirum omnia Statuum bella offenſiua ſint illicite

cita, cum iudicis copia datur in finiendis controuerſiis: Neque enim facile caſus concipi mente poterit, quo ciuis, ſpreta iudicii publici autoritate, conuolare vltro ad arma & inire bellum queat. Certe exempla apud Limneum parum firmant eius ſententiam; quippe ne vnum quidem ibi leges, quod priuato bello offenſiuo congruere videtur. Quin potius omnia ad neceſſariam & iuſtam defenſionem referuntur. Nam quod dicitur, etiam iuſte ſe defendere, qui iniuſte offenditur, id manifeſto ad bellum defenſiuum pertinet, quo non ſolum repellere vim licet, ſed & viciſſim inferre, modo per alium initium iniuriarum factum fuerit. Nam ille etiam creditur in defenſione ſui verſari, qui primo laceſſitus iniuriis perſequitur hoſtem & poſt aliquod interuallum vlciſcitur, præcipue ſi loco aut poſſeſſione deiectus fueris, quam incontinenti recuperari, nec litium & iudiciorum moras expectare, tua intereſt: nec refert, ſi alter, qui tuo per vim potitus eſt, pacem offerat, vel de iudicio ſiſtendo cauere paratus ſit: quamdiu enim ablata non reſtituit, aut occupato loco non cedit, ſi contra armis & vi pro recuperatione rerum noſtrarum experiamur, non offendere alium, ſed defendere nos dicimur, quia continuare vis & iniuria videtur, quam vi repellere licet.

Nam ſi iniuſte rapuit alter & detinet, iuſte alter repetit, ſiue ipſe arma capiat, ſeu amicorum auxiliis ex fœdere vtatur, modo reciproca vis & deiectio in continenti fiat. Quod tamen adeo ſtricte non accipitur, vt in defenſione corporis, ſed quandam habet latitudinem moralem, atque intelligitur ille etiam in continenti deieciſſe qui antequam ad alia negotia diuertit, aut in iudicio litem inſtruit, poſſeſſionem recuperat, & ſi viribus aut amicis comparandis aliquantum temporis conſumſerit, *Schuz Vol. Diſp. 1. Diſp. 6. θ. 25. lit. c. It. Vol. 2. diſp. 10. θ. 3. lit. d. Ordinat. pac. prof. 1521. §.* und ob iemand *& 1548. §.* nach dem auch aber. *Ord. C. p. 2. tit. 9.* quod tamen an aliquot annorum iuxta Gailii mentem eſſe posſit, merito ambigimus, recte enim monet Bachouius, ne id latius extendatur quam par eſt: & præſtat omnino iudicis auxilium aduocare, quam plures annos inſtruendo ſaltem renouandoque bello conſumere; vix enim eſt, vt ſecundum Philippi Hasſi & Vlrici Ducis Wirtebergici mentem recuperatio in continenti facta reputetur, quæ poſt decem aut plures annos ſecuta demum eſt, quia ſcilicet citius auxilia præſto non fuerant. *Hortled. de cauſ. bell. germ. l. 3. c. 10.* Ergo qui rebelles ſubditos armis in ordinem cogit, vel pacis Weſtphalicæ violatores ſuis & ſociorum vi-

viribus reprimit: is non inferre bellum, ſed illatum propulſare videtur. Illis enim qui primo offendere conantur, ſequentibus ſtatim legis verbis interdictum omni vi & iniuria fuit. *Inſtr. pac. art. 17. §. pax vero concluſa. cum §. ſeq.* vt adeo Limneus non ſatis commode hæc exempla partem faciat belli offenſiui. Adde quod rebellantes ſubditos ad officium redigere, ipſa lege conceſſum ſit Statibus, vt olim Prætoribus & Præſidibus Prouinciarum: Quare hoc bellum re ipſa pro bello totius reipublicæ eſt habendum, cuius autoritate geritur, iubenturque alii ſeu circuli ſeu Status in auxilium concurrere & promtas ſuppetias ferre: adeo vt etiam integro menſe propriis ſtipendiis expeditionem hanc ſuſcipere atque tenere arma debeant. *R. I. Spirenſis 1526.* §. Damit auch.

§. IV. Et huius generis quoque eſt bellum, quod mandato Cæſaris aduerſus proſcriptos geritur. Atqui vero nos hic non loquimur de bello nomine & auſpiciis totius imperii, ſiue in exteros ſeu Ciues perduelles ſuſcepto, in quod Status vel pro habitu cenſus quisque ſui militum manum mittunt, vel in laborantis patriæ gratiam, quantum potentiæ valent, accingunt ſeſe atque proficiſcuntur: ſed quod ipſi motu proprio ſuoque periculo cum aliis ineunt iniuſſu Imperatoris,

atque imperii, imo ſæpe inuitis & dehortantibus.

§. V. Quod legem *capite 17. A.B.* dictatam attinet, conſiderandum inſuper eſt, antequam ſtudio & autoritate Maximiliani I. pax profana quæ vocatur der Landfrieden/publicaretur, bellorum & certaminum inter Ciues longe maiorem fuiſſe licentiam, vt ſi bellum iuſte atque rite denunciaretur, & ſuis opibus & ſociorum auxiliis geri illud per leges liceret, magna ſæpe prouinciarum calamitate & diſpendio libertatis commerciorum. At vero edicto profanæ pacis propoſito, cum vis omnis prohiberetur, abrogato, qui in contrarium inoleuerat more, neceſſe fuit bellum offenſiuum arbitrio ciuium vna eripi, litiumque materiem vt olim priuata manu: ſic legum & iudiciorum nunc præſidio componi atque tolli, cum nemo amplius ſineretur, niſi defenſionis cauſa, iniurias ſuas propria vindicare autoritate, & ita ſibi ipſe ius dicere. Quamobrem haud abſurdus erit, qui legem hanc Aureæ Bullæ lege poſteriori, pace ſcilicet profana antiquatam affirmarit. Accedit quod ſi Statibus iuſtum inter ſe bellum offenſiuum permittitur geri, ſimul cuiusque arbitrio cauſæ diiudicatio permittenda ſit, ob quam bellum, quod inire cogitat, iuſtum cenſeat vel iniuſtum; nemo enim erit, quem ille

ille in re, quam ſuæ facultatis vnice eſſe vult, iudicem ferat; at hoc ſemel firmato principio, manifeſtum eſt, omnem contentioſæ iurisdictionis vim in Imperio tolli, & quæcunque inter Status lites in foro diſceptantur, non niſi ad arbitrii aut prorogatæ iurisdictionis conditiones æſtimandas eſſe; ſi enim noluiſſent iure experiri, haud difficile fuiſſet, bellum incipere & incepti cauſam aliquam vel rationem inuenire, quod ipſum tamen, quam ab inſtitutis patriis & reipublicæ noſtræ legibus quibus hodie viuimus, alienum ſit, nemo eſt, qui non facile intelligat. Quin vſus perpetuus duorum plus ſeculorum oſtendit, quoties in Imperio inter Status tumultuatum eſt, & ad arma res venit, vtramq; partem id vnice egiſſe, vt conquiſitis vndiq; argumentis fidem faceret, neceſſariæ defenſionis & expediundæ ſalutis cauſa, non in vllius hominis offenſionem neque ad vindicandas iniurias arma a ſe ſumpta eſſe: quaſi agnoſcerent, vindictam non bello ſed a iudice petendam, vitæ autem, conſcientiæ, dignitatis, rerumque tuendarum rationem quamvis honeſtam eſſe. Ita Philippus Haſſus, cum bellum contra Socios fœderis Paciani moliretur, reſcripſit: Daß in natürlichen und beſchriebenen Rechten auch darum in den Keyſerl. Landfrieden die Noth und Gegenwehr

 nicht

nicht benommen. Ita hoc ſeculo vnionis ſocii, ita & illi, qui Ligæ nomen dederunt, ita, inquam, quotquot intra ducentos & amplius annos factiones & motus exciuere, incepta ſua hac defenſionis neceſſitate excuſare atq; velare quæſiuerunt.

§. VI. Videamus de belli ineundi facultate cum Regibus atque ciuitatibus, qui noſtræ reipublicæ pars non ſunt, ſed exterorum loco. Hic ante omnia ſtatuendum eſt, quid proprie bellum offenſiuum ſit, & qua ratione formaliter a defenſiuo diſtinguatur. Videas enim multos ſcriptores, qui hoc non accurate ſatis conſiderant, ſed ſæpe confundunt atque permiſcent: ſunt etiam qui vitandæ inuidiæ atque conſiliorum ſuorum tegendorum cauſa, bello, quod in offenſionem damnumque alterius meditantur, colorem ex induſtria quærunt: & vindicandis iniuriis, quas accepiſſe ſe facile fingunt, neceſſitatem ſibi impoſitam dum commentantur, eum, quem bello petere decreuerunt, pro aggreſſore reputant, ſibi defenſionis neceſſariæ ſumunt ſpecioſos titulos. Certe enim vix hodie vllum amplius ſuſcipi bellum ſenties, quod non ille, qui incipit, defenſionis ſuæ cauſa cœptum geſtumque videri velit; etiam cum alter, quem hoſtem iudicat, ad bonorum virorum arbitrium ſatisfacere paratus eſt.

Quam

uam ob rem omnino opus eſt, vt noſtra
iſſertatio certitudinem aliquam & firma-
ientum habeat, quo tam bello offenſiuo
uam defenſiuo certos deſignare terminos,
otasque familiares conſtituere poſſit, vt iu-
icari vtrumque, ac dignoſci alterum ab al-
ero facultas ſit. Cum enim offenſio defen-
oque relatiui ſint termini, neceſſe eſt, bello
ffenſiuo ab vna parte poſito, ex altera vna
efenſiuum ponatur. Vbi enim contra in-
aſionem nulla defenſio, ibi nec proprie bel-
ım, quod eſt ſtatus per vim certantium:
um autem vnusquisque certantium ca-
tandæ popularis auræ gratia defenſionem
ii prætexat, inde factum eſt, vt quia nemo
ggreſſoris inuidiam cupit ſuſtinere, & ta-
ıen inter duos certantes alterum aggreſſo-
em eſſe oportet: adeo difficilis ſit belli of-
enſiui diiudicatio.

§. VII. Igitur expediundæ rei cauſa primo
ıſpiciamus, an omne bellum iniuſtum ſit
ffenſiuum: quod etſi prima ſpecie affirman-
um videatur, offendit enim reuera qui in-
ıſte bellum gerit; tamen in hoc conſide-
andi rem genere, quo verſamur, vix tolera-
i poteſt. Nam ſi aliquod bellum offenſiuum
ıſtum & pium eſt, de quo inter omnes, vti
pinor, conuenit, hoc caſu ſtante prorſus ſe-
uitur, defenſiuum, quod illi opponitur, ini-
quum

quum & impium eſſe. Plane ſicuti in foro non ſemper Rei cauſa eſt melior, ſed ſæpe actor iure vincit, reus calumniatur aut improbe fugit; vt proinde certum ſit, iure iniuriaue eius, qui bellum gerit, belli offenſiui indolem non eſſe deſcribendam.

§. VIII. Neque vero magis id etiam in vniuerſum eſt ferendum, eum, qui primus iniuriam aut maleficium fecit, per id offenſivum bellum inchoare, adeoque alterum qui ſatisfieri ſibi vult, in defenſione ſui verſari. Cum enim iniuriæ damnaque plurima eſſe poſſint, quæ cauſam potius bello præbeant, quam vt ipſum ſint bellum, veluti ſi legati violati, ſi ſubditi noſtri ſpoliati, ſi res ablatæ, & repetitæ, redditæ non ſunt, aut etiam ſi conſpiratione quorundam priuatoque facinore, inſcio primum illo, qui Reipublicæ præeſt, ſed deinde vbi appellatus eſt, vt indemnem me præſtet, aut ſceleris autores puniat, inſuper habente vel approbante, damnum rebus meis eſt datum. Nam eius generis iniuriæ quia cauſam iuſtam nobis bello incipiendo præbent, ipſum bellum eſſe nequeunt: aliud enim natura id, cuius cauſa quid agitur, & aliud id ipſum quod agitur. Si vero bellum non ſunt, ergo nec bellum offenſiuum. Nam genere negato, negantur omnes eius ſpecies.

§. IX. Aliquando tamen bellum ipſum

eſſe

eſſe cauſam belli, ac proinde defenſiui, verum eſt, Fit illud, quando aliquis nulla ſua culpa ex cauſis friuolis planeque iniuſtis vi armisque inuaditur & iuſtis copiis oppugnatur. In ſumma quoties bellum offenſiuum eſt iniquum, bellum ipſum eſt cauſa belli defenſorii: quia enim alter ſine cauſa, aut certe absque iuſta cauſa cepit, hoc ipſum iam eſt iniuria, a qua alter, qui impeditur, ſe pie defendere oppoſita vi poteſt, vnicum excipio caſum, ſed plane rarum & extraordinarium, quando nullis exiſtentibus iniuriis bellum oppugnatorium iuſtum geritur, ſi nimirum quis certum & ſpeciale mandatum a Deo acceperit gentis cuiusdam vlciſcendæ aut exſcindendæ, quale olim Ioſuam & populum Iſraeliticum habuiſſe ſacris hiſtoriis narratur. Deus enim qui abſoluto in homines vitæ necisque iure vtitur, quos perdendos iubet, eis neceſſariæ etiam defenſionis aufert facultatem, vt reſiſtere iis, qui mandata exequuntur, non magis recte poſſint, quam qui ad mortem damnatus eſt duciturque, carnifici. Extra hunc vero caſum nullum omnino offenſiuum bellum non erit iniuſtum, quod ex nulla præuia iniuria ceptum eſt. Nam vt recte ait Grotius, cauſa iuſti belli ſuſcipiendi nulla alia eſſe poteſt, niſi iniuria.

§. X. Quid igitur dicemus, & quæ genui-

na

na erit belli offenſiui teſſera notaque. Aut vehementer fallor, aut vniuerſim eſt verum, eum, qui bellum primus incipit atque infert, offenſiuum gerere, alterum vero, qui illatum excipit & contra tendit, in ſtatu defenſorio eſſe: neque quicquam refert, iuſte an iniuſte alter bellum indixerit, vel alter ſe contra vim defendat. Bellum enim offenſiuum per ſe non eſt inuidiæ aut iniquitatis nomen, ſed tantum quædam belli ſpecies ſua natura indifferens, apta tamen, vt bona malaque eſſe poſſit, prout eſt intentio eius, qui incipit, cauſæque ob quas incipitur. Olim quidem, cum iure vſuque gentium ſolennibus indictionibus res velut auſpicaretur, planior erat diiudicandi ratio: qui enim indicebat, miſsis fecialibus incipere etiam bellum adeoque offenſiuum ſeu recuperatorium bellum gerere dicebatur. At noſtris diebus cum hæc ſolennitas, quam ſuperuacaneam iudicabant populi, paulatim exoleuerit, & ſtatim plerumque, poſtquam per legatos conciliationis ratio fruſtra eſt tentata, ad manus & arma prouoletur, hæc quaſi ritualis indicatio adiumento nobis amplius eſſe nequit, niſi inuicem indictionis ſucceſſiſſe velis, ſi quis abrumpat actionem, legatisque domum reuocatis, aut illius quocum ſibi res eſt, excedere certum intra ſpatium ditione ſua iuſſis, hoc

hoc ipſo velut tacite indicat bellum, alioue modo declaret, armis non iure ſe deinde cupere experiri. Manet ergo eſſentialis & verus belli offenſiui character, inuaſio ſeu illatio belli, vltrix etiam, modo iuſtis & legitimis ex cauſis ſuſcepta, quia vt ſupra diximus, aliquod bellum eius generis iuſtum eſt: vnde paſſim legas, Duces olim illato bello palam gloriatos eſſe & ad virtutem animique magnitudinem retuliſſe, ſi quis prior inferre arma ob acceptas iniurias auſus fuerit, non vero vt hodie improba quadam fit gentium ſcrupuloſitate, vel ipſum nomen incepti belli horruiſſe. Hinc illa Annibalis apud Livium cordata & plana ad milites oratio: *Intulimus bellum, infeſtisque ſignis deſcendimus in Italiam: tanto audacius fortiusque pugnaturi, quanto maior ſpes maiorque animus eſt vim inferentis quam arcentis.* Et profecto mirum eſt, cur quos cauſarum incipiendi belli non pudet, tituli aut nominis incepti belli pudeat: id quod prorſus videtur ſummæ noſtri ſeculi malitiæ atque veteratoriæ calliditatis ſpecimen, quemadmodum & his temporibus nihil frequentius, quam ſub pacis ſpecie occupari prouincias & omni plusquam bellicæ calamitatis genere populari atque vaſtari: quin ſedibus prorſus expelli vicinas gentes: vrbes alias tormentis & omni bellico apparatu op-

pu-

pugnari: alias per vim aut deditione capi, & totis tamen clamari faucibus, idque ab omnibus credi velle pacem non bellum eſſe, cunctaque hæc hoſtilia facta per ipſas pacis leges perpetrare licere: quæ profecto eſt ars fouendæ ſtabiliendæque ambitionis & potentiæ, cui parem, audacter dicam, ſuperiora ſecula non inuenerunt: imo de qua ne cogitare quidem ætate maiorum noſtrorum fas erat.

§. XI. Ab eo quod diximus, offenſiui belli formale eſſe ſymbolum ſeu κριτήριον, inuaſionem hoſtilem, aut belli illationem, non longe abludit, quin in rei veritate eodem recidit, quod tradit Pufendorffius *de Iure N. & G. l. 8. c. 6. n. 9.* offenſiua nimirum bella eſſe, *quibus extorquemus debita quæ nobis abnegantur, aut iniuſte erepta recuperatum imus, cautionemq́ꝫ impoſterum quærimus. Defenſiua vero, quibus defendimus & retinere laboramus, quæ noſtra ſunt.* Deducuntur hæc ex principiis cauſarum, ex quibus iuſtum bellum fit: vel enim nos & noſtra ſeruamus ac tuemur contra alios: aut quæ nobis ex iure perfecto debentur, repetimus & condicimus: aut damna per iniuriam data præſtari volumus, cum cautione de non amplius offendendo: aut denique pœnam expetimus propter aliquod in nos vel eos, qui nobis imperio tenentur, commiſſum facinus. Quod autem mox Puffendorffius mo-

monuit, ſæpe etiam *fauorem defenſionis ab illius partibus ſtare, qui prior arma alteri infert: puta ſi quis ſubinde repentinis & vagis incurſibus fuerit vexatus, refugo ad ipſius aduentum hoſte; aut ſi quis hoſtem inuaſionis iam certum, per celeritatem oppreſſerit, dum ille adhuc in apparando bello eſt occupatus*, ea ego exempla proprie ad bellum defenſorium pertinere arbitror: nam qui me incurſibus hoſtiliter vexat, etſi ſe ſub aduentum meum receperit, copiasque deduxerit, reuera mihi iam intulit bellum, & ipſo facto, id eſt, res meas agendo ferendoque, denunciauit. Igitur ſi in eum arma moueam, id primo finium tuendorum fit cauſa, quod defenſorium bellum efficit; Quod vero deinde animum etiam aduertam, idque omni conatu agam, qua ratione & viciſſim nocere hoſti liceat, id in omni bello euenit, neque ad noſtram diſputationem pertinet; ad principia enim belli & qui initium fecit hoſtilitatis, reſpicitur, non quod toto belli tempore fit; ſemel enim indicto bello ſtatim ex vtraque parte & offenſiue & defenſiue res geritur, vterque enim bellantium non de ſui modo defenſione ſed & læſione atque oppugnatione hoſtis ſui cogitat? Ita etiam, qui hoſtilis inuaſionis certus præuertit hoſtem & in apparatu bellico opprimit, repellit vim & defenſione orditur bellum, nam & bellum apparare contra alium, nihil aliud eſt, quam incipere

vel indicere. Certitudo autem hoſtilis propoſiti requiritur, & quæ aliis etiam gentibus liquido poſſit probari: quod difficile admodum eſſe non inficior. Nam ſi quis ſaltem conjecturis aut ſuo metu niti velit, vereor, vt is, ſi ad bellum temere prouolet, apud alios populos fidem facere poſſit adornatæ neceſſariæ defenſionis. Eodem iure agendum cum illo cenſeo, qui rebus meis occupandis eam adhibuit vim, quæ terrendis cogendisque inter bellum hoſtibus valida ſatis eſt, veluti ſi admotis copiis oſtenſisque tormentis vrbem aliquam aut caſtrum, vltima quæque ciuibus vel præſidiariis minatus, repentino terrore in poteſtatem redigam: quamuis enim deinde loco potitus nolim fregiſſe pacem, ſed deducto a limite exercitu bona & amica verba dem, quin iure agere aut pacate atque pro arbitratu boni viri tranſigere paratum me oſtendam: quamdiu præſidium loco non deduco, ſed potius excitatis nouis operibus munitiorem reddo, bellum quod hoſtili facto, id eſt, oppugnatione vrbis ſemel cœptum eſt, exiſtimabitur continuare & is qui pro rerum ſuarum recuperatione vires opesque inſtruit atque comparat, defenſorio in ſtatu eſſe: primus enim bello petitus eſt, adeoque alter ſe aggreſſoris titulo atque inuidia aſtutiis ſuis & improba ſimulatione

quie

quietis apud gentes, quæ ſtudiis vel muneribus corruptæ non ſunt, haud liberabit,

§. XII. Patet ergo, non vndiquaque eſſe ferendum, quod Limneus habet *Tom. 2. addit. ad I. P. l. 4. c. 8. n. 247. p. 307. defendi rem, quam naturaliter poſſidemus, perſequi autem & repeti cui de facto iam incumbit alius*, ſi his vocibus bellum offenſiuum & defenſiuum diſtingui vult. Nam & is defenſiuo bello agere dicitur, qui perſequitur rem ſuam, quam ei bello alter abſtulerat: Vt enim ſupra eſt dictum, ad belli initia reſpicitur, non ad id quod toto bello fit. Alias enim nullum eſt bellum adeo defenſiuum, quod non etiam aliquando offenſione hoſtis geratur, neque etiam tam offenſiuum, in quo aggreſſor ſe non aliquando defendere opus habeat. Atque ſicuti is, qui prior incepit bellum, offenſiue agere exiſtimatur omni illo belli tempore, etiam cum res minus feliciter procedit, & ab hoſte repulſus intra fines ipſe ſuos de agris & oppidis, quin toto imperio, periclitatur: Ita ex aduerſo defendere ſe dicitur, qui profligatis inuadentis ſe hoſtis viribus, in fines hoſtiles bellum transfert, & ibi vrbes caſtraque oppugnat. Vtrinque enim ſemel ex conditione principii bello indita qualitas manet, vsque dum pace finitur, vel alter, qui cepit bellum, ſatisfacere de iniuria plene paratus eſt.

 §. XIII

§. XIII. Atque hæc præparationis cauſa, prælibare viſum eſt, vt ſit quædam in proceſſu diſputationis certitudo & firmitas terminorum. Quamobrem ſi nunc quærimus, an ſtatibus cum exteris Regibus Ciuitatibusq; bellum offenſiuum gerere fas ſit, id propriè quæritur, an bello & iuſto exercitu inuadere exteros populos poſſint, adeoque ipſi initium belli facere. Hinc ſtatim excluditur ea conſideratio, & ad defenſiuum bellum pertinet, ſi, quæ repentino bello illato amiſere loca, recuperare vi velint, aut præuertere hoſtem atque opprimere properent, apparandis viribus intentum & inuaſionis certum: Qui enim munita loca mea occupat, ſiue vi illud fiat, ſiue proditione, aut agrum hoſtiliter populatur, iam bellum iniit, & oppoſita a me vis armaque defenſoria ſunt. Idem eſt in effectu, ſi quis contra me bellum manifeſto paret, quod præparatis viribus certo geſturus eſt: neque enim expectare cogor, donec in meo arma ſtrepant, haud magis quam qui vitam defendit, primum ictum ſentire debet. Tota itaque quæſtionis noſtræ ſumma in eo vertitur, an Status laceſſitus eiusmodi iniuriis, quæ iuſtam quidem gentium iure bello incipiendo cauſam præbent, nondum tamen ipſum bellum ſunt, vindicare eas contra exte-

te-

teram gentem illato bello poſſit, idque vi ſuperioritatis territorialis; veluti ſi quid dari ſibi aut fieri quacunq; ex cauſa poſtulet, quod ſibi perſoluere is detrectat, qui debet, ſi ſubditorum iniurias reparatum vltumque eat: aut etiam res quidem ſuas repetat, ſed quas alter quocum contendit, vi & armis non rapuit, ſed aliquo iuris titulo ex. gr. hypothecæ nomine detinet.

§. XIV. Hoc aut non abſimili rei ſtatu, vix per leges licere exiſtimo priuata autoritate in exteros decernere bellum atque indicere: ſed implorata Cæſaris imperiique ope ius quisque ſuum publico conſilio, & cum opus eſt, reipublicæ armis perſequi ſolet & debet. Primo conſtare inter omnes id exiſtimo, nullam latam publice legem eſſe, quæ diſſerte & clare ſtatuat, Statibus ſingulis ineundi cum exteris populis belli arbitrium eſſe. Nam qui contrariam ſententiam defendunt, etſi omnes legum noſtrarum receſſus ſcrutati fuerint, directa tamen lege agere non potuerunt, ſed coacti ſunt verba aut ſenſum iniqua plerumque interpretatione torquere, & veluti per vim aliquam inde conciliare ſuis partibus ſpeciem: Deinde fac, armorum Statibus datorum aliquando fieri mentionem, profecto illud vltra ſui defenſionem non erit extendendum, minime gen-

tium vero ad ineundi cum exteris belli promiſcuam licentiam pertinet: nec mouet, non diſtingui a lege, ſed vniuerſim belli poteſtatem fieri, quo nomine omnes eius ſpecies comprehendantur. Vix enim erit, vt vllum mihi in legibus locum oſtenderis, vbi hæc armorum libertas ita datur Statibus, vt vel non ex ratione legis, vel obiecto ſeu materia eius, vel denique connexis, id eſt, iis, quæ vel antecedunt, vel ſequuntur, verbis, iſta omnia quæ generalia videntur, ad neceſſaria defenſionis capita reſtricta inuenias: Deinde vtcunque liberis & amplioribus verbis legem vti quandoque docueris, ſane in odioſa hac materia & vbi reipublicæ ſummam in actiones ciuium poteſtatem diminutum imus, ſtrictiſſima verborum ſignificatio erit intelligenda: Plane vti id, quod in fœdere Romanorum & Carthaginenſium poſitum fuit, ne populus Carthaginenſium iniuſſu populi Romani bellum gerere poſſit, æquiſſime explicat Grotius *de I. B. & P. l. 2. c. 16. §. 14.* & ad bellum offenſiuum reſtringit, ne nimis coarctetur libertas Carthaginenſium: ita certe ob parem æquitatem & ne nimium Cæſari atque Imperio in ſuos Ciues pereat autoritatis, bellum quod Statibus gerere lege licet, arctiori ſignificatu ſumimus & de bello defenſorio explicamus. Tertio cum motibus eiusmodi

di priuatisque bellis, quæ vnus alterque Ciuium conſcientia potentiæ & ambitione, ſæpe etiam inueterato odio concitat, inuolui & imperium aut vicini ſaltem Status facillime poſſint, nunquam vero ſine aliorum iniuria, ſuſcipi id gerique liceat, profecto nec tutum nec conſultum eſt, vt vnius ciuis arbitrio conſtet tantum incendium conflare, quo ne mox totum imperium aut vicini ardeant iuſtus eſt timor. Nam neque Imperatori iniuſſu ordinum bellum inire conceditur. Abſurdum autem eſt, vt quam turbandæ facile reipublicæ occaſionem ſummo Principi ereptam vniuerſi ordines volunt, eandem ſinguli ſuæ fidei committendam exiſtiment. Atque hinc eſt, quod ſi forte repentini motus & arma in limite prauis quorundam & temerariis auſis perſtrepent, & Imperator & reliqui Status rem non ferendi exempli ad ſe quoq; pertinere arbitrentur, maturisque officiis, aut cum ea minus vſui ſunt, minis etiam & intentatis armis tranquillitati imperii conſulant. Ita quondam Epiſcopus Monaſterienſis, qui ordinibus fœderati Belgii bellum intulerat, cum pro aggreſſore reputaretur authoritate & oſtentatis ad terrorem quorundam viribus ſubito repreſſus eſt: quod certe fieri haud debuiſſet, ſi Epiſcopus bellator ſuo vſus iure fuiſſet. Porro haud abſurde con-

cludit Synoldus *Volum. 2. Exerc. 10. θ. 3. lit. c. ſi bello imperii membra offendere ſub pœna fractæ pacis probibitum eſt, ergo multo magis in exteros arma inuadendo conuertere non licebit.* In omni enim recte ordinata republica hoc belli ius & arbitramentum penes vniuerſam rempublicam, cuius intereſt, ne bellum temere in limite excitetur eſſe debet. Denique exempla, illa quæ Limnæus pro ſtabilimento ſuæ opinionis de Bello Statuum offenſiuo colligit, valde a re præſentis diſceptationis ſunt aliena, prout ſupra eſt demonſtratum.

§. XV. Vindicare quidem ea Limneus *Tomo 2. additionum ſuarum* conatur aduerſus Schuzii impugnationes: ſed propterea haud magis proficit: Quod enim ſubditos imperium detrectantes attinet, qui vt rei peragantnr, acie vincendi ſunt, eam expeditionem recte Synoldus ſpeciem executionis dixit, non bellum offenſiuum: quia proprie loquendo plane bellum non eſt; non enim ſubditi habent arma capiendi facultatem, bellum autem non nudæ vis & facti, ſed & iuris nomen. Deinde eſto hæc ciuilia diſſidia vocentur; tamen quia ſubditi defectione & perduellione incipiunt, is qui contra eos ducit, & redigere in ordinem vi armisque deficientes vult, merito defendere ſe ſuamque authoritatem, quam refractarii illi oppugnatum

tum veniunt, dicitur. Haud magis illa Limnei iniectio ſtringit, belli offenſiui iuſti exemplum ſuggerere imperii conſtitutiones, quando ſtatuunt læſo non ſolum defenſionem contra aggreſſorem in continenti licitam eſſe, verum etiam poſt damnum illatum & rem amiſſam perſecutionem non prohiberi, quando amicos & auxiliatores habere poterit. Non enim quæuis perſecutio atque invaſio offenſiuum bellum facit: ſed ea ſolum qua bellum quaſi initiatur; alias & in defenſiuo bello ex occaſione offendere & lædere hoſtem licere omni dubitatione caret. Quare cum is, qui primus res tuas vi occupando vel auferendo agendoque aggreſſus eſt, iam inierit bellum, tu, etſi deinde amiſſa perſequeris, quin vltionem & pœnam expetas, tamen in ſtatu belli defenſiui eſſe videris; quo ſenſu recte Gailius recuperationem rerum pro defenſione habet. Longe enim aliud eſt hoſtem offendere eique quauis ratione nocere: aliud bellum offenſiuum gerere: illud enim ſingulares in bello actiones denotat & facta; hoc totum ius ſeu qualitatem belli primogeniam. Quamuis igitur ex hac qualitate originaria omnibus actionibus, quæ toto belli tempore fiunt, quædam velut æſtimatio ſiue conditio imprimatur; hoc tamen non impedit, quin in ſe ſpectatis actibus quibus-

dam bellicis, nec ad primariam belli qualitatem relatis, alia quædam eorum poſſit eſſe conſideratio: atque ſic recuperatio per vim ablatorum & defenſio dici poteſt, ſi ex natura totius belli res æſtimetur, & offenſio, quod vult Limneus, ſi ad illum ſolum actum, quocum, qui rem noſtram tenet, inuadimus, reſpicitur: Aliud exemplum belli offenſiui, quod Limneus *ex* §. *17. I. P. Weſtphalicæ* eruere conatur, ita comparatum eſt, vt ipſe mox fateatur, id non omnino ad diſſertationem hanc pertinere, idcirco etiam nobis nullum negotium faceſſit; reſponderi alias facile poſſet, de bello hic eſſe quæſtionem, quod ſua autoritate ſuisque auſpiciis ſinguli Status ineunt: non quod ex foederis lege & velut publico nomine aduerſus eos, qui amice moniti conſtituto tempore ius non perſoluunt, omnium ſociorum conſenſu & auxiliis gerendum eſt. Quamobrem ſi quam Status aduerſus exteros actionem habent aut perſecutionem, non tutius modo eſt, ſed & magis ad præſcriptum legum noſtrarum, vt hoc caſu vice Paludamenti, quod non ita facile deponitur, ſicut induitur, auxilium Imperatoris & imperii implorent, autoritatemque ſuam interponi petant, atque hoc modo ius reddere recuſantē publico bello ad officium cogant; quo conſilio videmus etiam plurimos ſibi pro-

proſpicere, vti innumeri codicilli atque libelli ſupplices ad imperii Ordines his Comitiis miſſi id ipſum teſtantur.

§. XVI. Bellorum defenſionis cauſa initorum maior eſt fauor, & qui hoc modo ad vim repellendam coguntur arma ſumere, communi naturæ lege omniumque gentium inſtitutis abſoluuntur: quare quod beneficium defenſionis priuatis etiam concedimus, eo Status ampliſſima poteſtate auctoritateque in republica præditos pro ſuæ dignitatis rerumque conſeruatione velle excluſos eſſe, iniquiſſima foret poſtulatio, ſicut enim homo in diſcrimine vitæ & fortunarum ſuarum conſtitutus percuſſorem vel raptorem non repellere modo a ſe, verum etiam, ſi nulla alia ſit ratio ſui & ſuarum rerum defendendarum aut recuperandarũ, perſequi & interficere etiam poteſt, exemplo nocturni furis vel prædonis in ſylua: neque expectare primum ictum, vel aufugientem cum rebus dimittere tenetur, ſed inſequi etiam & vel cæde latronis amiſſa bona repetere licet, quoniam hoc momento diſcriminis ceſſant omnia iudicia & irreparabile eſt damnum, poſtquam ſemel elabi e manibus furem aut prædonem paſſi ſumus. Ita nullum omnino ius eſt, quod Ordines imperii ſubita vi & irruptione hoſtili oppreſſos a defenſione prohibebit, vel dum tem-

tempus adhuc eſt, vim vi repellere vetabit, ſæpe enim tardum nimis, imo inane, remedium poſt vulnꝰ quærere, cum interea facile tantum incommodum accipi poſſit, quod re perpetrata reparabile amplius non ſit. Fac enim, ni malo mature occurratur, vel defecturos ſubditos eſſe, vel hoſtem munita loca tua occupaturum: quis tibi deinde Deus opem præſtabit, aut quibus viribus præſidio iterum expelles, quem intra munitionem ſemel recepiſti? Præterea arx belli in tua prouincia, conſtituetur, quod ſine maxima pernicie & vaſtatione rerum fieri nequit. Auxilium, forte Imperatoris in tam ſubita & graſſante, peſte expectabis? At quam lentum illud? quam ſæpe inualidum & fruſtraneum, poſtquã deſitum eſt chartaceis mandatis prompte obſequi. Nouimus quam apud nos beati ſint poſſeſſores, qui potentia ſua freti reſiſtere aliquantum & declinare leniter imperia poſſunt: Antequam enim reſpublica, quod neceſſe eſt, bellum totis viribus ſuſcipiat, iam ſeculum eſt: adeoque alter iniuriis hoſtium & lentore auxiliorum diu fatigatus plerumq; tandem vel diſſimulare rem vel de lite tranſigere cogitur, quod nunquam abſq; inſigni detrimento ſuo fieri poteſt. Ita ſane, quocunque modo res cadat, qui defendere ſe principio reuerentia legum neglexit, in da-

damno verſabitur: alter qualicunq; prætextu ex præda partem retinebit: Accedit quod, & Imperatori ob eandem neceſſariæ defenſionis rationem metumque iniuriæ accipiendæ tuendis finibus gerere bellum liceat, inconſultis etiam Statibus. Imo quod apud veteres Romanos ad officium maiorum Magiſtratuum pertinuit, prouinciam, cui præfecti cum imperio erant, parata militum manu defendere, quin vnicuique præfecto præſidii tuendo loco, quem præſidio tenet, omnis generis vis conceditur, non modo ſi bellum eſt, ſed & quoties ſubditi, nec opinati hoſtes, vi aut clam imparatos nos opprimere cogitant, quod itaque ad hoc iure magiſtratus ſpectat, & imperio continetur, quis negare Statibus auſit, qui prouincias reali quodam ſuoque iure poſſident, & ſubditis ſuis ad defenſionem reciproca promiſſione obligantur, præcipue quando iniquitate aduerſarii conſternantur velut ad arma, & periculo, quod metuitur, in tempore præuertunt, aut futuræ & incertos fortunæ caſus timent.

§. XVII. In hoc igitur iure belli, quantum liceat Statibus, per actus quosdam ſingulares magisque inſignes haud incommode explicatur. Ita qui de bello ineundo cogitat, ante omnia delectu & milite opus habet. At duplex

plex miles: Externus & ſtipendiis conductus alter, alter domeſticus atque e ciuibus tuis aut ſubditis conſcriptus: Cum altero contrahitur, dum accepta pecunia militiæ nomen dat & ita operam ſuam quaſi vendit; alter vero, habito inter ſubditos delectu, reſpondere velut ad nomen debet & imperio in militiam cogitur. Vtrorumque conſcribendorum ius eſt & facultas Statibus. Non modo enim ſonantibus tympanis & per vrbes vicosque propoſita in publico ſtipe conducunt milites, quod vbique per vniuerſam Germaniam toto die fieri videmus: verum etiam arma ſubditis imperant & vel detrectantes militiam in bellum educunt. Huius iuris varii ſunt actus. Primo enim ſubditos delectos in cohortes atque legiones diſtribuunt; Deinde arma eos capere iubent, quorum ſumendorum niſi ex mandato aut indultu Principis non eſt poteſtas ſubditis. Tertio in armis omnique militari opere eos exercent, vt ſeruare ordines, armis ſcite vti, & imperiis Ducum promte atque expedite obtemperare adſueſcant. Quarto in campos vocant, & ſpecimina virtutis atque exercitii militaris edere faciunt, recenſito per otium, aut cum expeditio inſtat, vniuerſo exercitu. Hoc omne quicquid eſt, vno nomine iure habendi delectus & militis conſcribendi cenſeri re-

 cte

cte poteſt: quod etſi conſtitutiones imperii multis modis circumſcribant, valde tamen vereor, vt cum in rem venitur, ad illa præſcripta examuſſim ſe gerant Status. Certe experientia & vſus aliud docent. Requirit enim lex primo vt ad delectum rite habendum autoritas & permisſio Imperatoris accedat *R. I. de Anno. 1555.* §. Wo ſie aber keine &c. Deinde vt iuſta & neceſſaria cauſa adſit propter quam cogatur miles *de Rec. &* §. ſed nihil quicquam eorum ſtricte ſeruatur; namque inſalutato prorſus Cæſare hodie ſcribi ab omnibus per Germaniam militem manifeſta res eſt, & ſcribendi cauſam nemo aliorum iudicio ſubiiciendam putat, ſed quam quisque præfert & iactitat, iuſtam atque neceſſariam videri vult.

§. XIIX. Eſt alius actus iuris belli, facultas inſtruendi armamentaria, omnis generis telis referta. Nam hæc armamentaria inſtruere priuatis non licet: vnde ſæpe perduellionis iudicatos & ſupplicio affectos legimus, in quorum ædibus arma clam congeſta atque gladii reperti fuerint: nam ad vim faciendam & conſilio ſeditionis illata hæc tela credebantur. At vero quia ſtatibus vi iuris territorialis rerum finiumque armis tuendorum eſt poteſtas, idcirco etiam loca publica condere & habere poſſunt, quibus in omnem re-

rum

rum euentum arma reponant ſeruentque bello inſtruendo. In Germania plurima viſuntur peregrinantibus eiusmodi armamentaria: ſed maxime inſignia, quæ Berolini, Dresdæ, Noribergæ & Auguſtæ Vindelicorum ſunt, in quibus machinarum atque tormentorum omniumque telorum bellicorum mirus proſtat apparatus.

§. XIX. Poteſtas muniendi loca & arces foſſa vallisque, pars etiam eſt ſuperioritatis territorialis, quatenus circa ius belli verſatur. Munire autem intelligo, non cum leviter muro foſſulaque aut ſepimentis claudimus locum aduerſus ferarum incurſum, aut furum latronumue ſubitam vim, quomodo priuatis etiam prædia ſua domusque licet vallare atque firmiores reddere *lib. 10. C. de ædif. priuat.* Sed quando ex arte muniendi ita locum aliquem bellico omnium rerum ad defenſionem apparatu firmamus, vt non modo ferre improuiſum hoſtium impetum, verum etiam ſuſtinere obſidionem atque vim oppugnationis iuſti alicuius exercitus poſſit. Eiusmodi igitur munimenta an Statibus in ſuis territoriis, vbicunq; eis libitum fuerit, liceat extruere propria autoritate & absque Imperatoris imperiique conſenſu, id eſt, quod hic præciſe quæritur. Licere aiunt Limneus *Lib. 4. I. P. c. 8. n. 235.* & multi alii ſcri-

ſcriptores iuris publici, neque ego repugno, quamuis moris antiqui & legum noſtrarum aliquam etiam rationem habendam eſſe putem; quamdiu enim formam adhuc aut ſpeciem ſaltem qualemcunque vnius reipublicæ conſeruatam volumus, iniquum ſane & vix ferendum videbitur, vt Status qui nolint bello imperii nomine ſuſcepto in eorum provinciis caſtella & munitiones extrui, antequam ipſi conſenſum præſtiterint, etſi belli ratio arcendis debilitandisq;hoſtibus id opus poſtulet: mox vice verſa negent Imperatori & imperio reddendam incepti rationem eſſe, quoties ſinguli ciues ſuas intra ditiones excitare munimenta in animum inducunt. Quod ſi reſpondent, in ſuo ſe ædificare: meminiſſe debent, ea, quæ ſua dicunt, alio quodam iure & reipublicæ eſſe, cui ſaltem in regimine vniuerſæ ciuitatis tantundem eſt libertatis dandum, quantum ſinguli ſibi Status in provinciis & territoriis quisque ſuis vſurpant. Neque ſane nihil refert Imperatoris & imperii, ſcire quid noui operis in imperio nonnulli moliantur, cum exempla doceant, loca nonnunquam ſpecie defenſionis in limite exterorum ſumptibus munita, illis deinde ad imperium inuadendum vſui fuiſſe; ſed & limitant ipſi diſſentientes hanc ſuam ſententiam, vt non liceat Statibus eiusmodi munitio-

tiones incipere, ſi illud defenſionis gratia non fiat, vel ad æmulationem moleſtiamque alterius ædificetur: aut denique res contra privilegium cuiusdam alteriusſtatus cœpta fuerit. Enimvero vix erit caſus, vt quoties muniendi loci conſilium capimus, nemo ſit, qui ſaltem ex vno trium horum capite intercedere non poſſit, aliquando enim priuilegia oſtendent, ſæpius negabunt defenſionis cauſa opus fieri; ſemper autem vicini inuidia crescentis potentiæ in æmulationem ſui & iniuriam deſtinata illa tendere affirmabunt. Quamobrem ſi controuerſiæ oriuntur & lites, ad quem pertinebit de cauſa cognoſcere niſi ad Imperatorem & imperium recte aut perperam ædificari? quomodo autem cognoſcent, ſi de ratione muniendi ſituque loci eos certiores fieri neceſſe non eſt? Excipies forſan, ergo ſaltem, dum nemo de nouo opere queritur, autoritate & cognitione Imperatoris imperii opus non eſſe. Eſto, modo ne ratio quædam ſecuritatis publicæ vrgeat, vt a propoſito deſiſtatur. Quid enim ſi in limite arx extruatur, quæ vicinis populis grauis facile motuum cauſam præbere poterit? quid ſi Status, qui ædificat, opibus & potentia ſatis validus non ſit, adeoque tuendo loco, quem tamen ſuo præſidio tenere vult, haud ita ſufficiat, vt non leui opera eum capere

Ex-

Exteri, & ex occaſione, quæ nunquam deeſt quærentibus, nocere inde reipublicæ valde poſſint, an ciuis vnius obſtinationem, qui locum munitionibus firmare etiam cum reipublicæ periculo damnoque vult, aduerſus Imperii autoritatem præualere dicemus? an quod in communi omnibus nocet, vni vero non prodeſt magis, quam ita ſaltem libitum eſt facere, huius gratia aduerſus reipublicæ prohibitionem tuebimur, & ſic priuatæ rei ſtudium bono publico præpoſtere anteponemus? Denique ex eo, quod nuper tabulis pacis Oſnabrugenſis Regi Sueciæ facultas muniendæ vrbis Wiſmariæ & præſidiis pro lubitu firmandæ data eſt, haud infirmum argumentum ducitur tale quid iure territorii per legem non licuiſſe, antequam Imperator & imperium fieri munitiones & præſidium loco imponi permitterent. Cui enim rei ſpeciali cautione inſtar priuilegii opus, ſi iam diu Statuum iuri territoriali ſine vllo diſcrimine hæc libertas ineſt? & quid Imperator quondam Suecis nouum opus nunciauit, cum ad Viſurgim caſtellum condere inciperent, ſi eius rei ſemper & vbique exequendæ facultas penes arbitrium vnice eſt cuiusque in ſuo territorio?

§. XX. Argumenta Limnei contrariam ſententiam fouentis nullius ſunt ponderis,

nam primo exempla contrariis reuinci poſſunt. Deinde a iure belli nihil colligitur cum nec belli gerendi poteſtas indiſcriminatim ſuppetat. Denique quod argumentum ex Receſſu Ratisbonenſi *de anno 1567.* §. Wiewohl wir nun nach ꝛc. conſtruere & obtrudere vult, id illa conſtitutione non continetur, *ſi munitiones*, inquit, *nemo absque Imperatoris conceſſione poſſet ædificare, quid opus fuiſſet de ſpecie conſtituere*, daß zu Gotha und Grimmenſtein keine Veſtung ſolt wiederum gebauet werden/ *Generalis enim prohibitio*, daß niemand befugt/ ohne Gnad/ Gunſt und Erlaubniß Keyſerl. Maj. einige Veſtung aufzubauen/ *vtique fuiſſet hic perquam ſufficiens, vnde cum hic ſpecialis fuerit facta prohibitio, ius generale in contrarium erit.* At ſi, quod oportet, totus ille locus recte inſpicitur, longe alius ex verborum illorum nexu atque quem eis Limneus affingit, euadit ſenſus. Neque enim Maximilianus egit cum Statibus, ne Gothæ & Grimmenſteinii niſi cum ſuo, aut qui deinceps erunt, ſucceſſorum ſuorum conſenſu munitiones iterum extrui fas eſſet, ſed in memoriam tam atrocis ſeditionis & tam acerbe vindicatæ, loca illa in omne reliquum tempus prohibere munitionibus ita volebat, vt ne quidem poſt hæc vel conſenſu etiam Imperatoris, quod communiter tunc licebat, pos-

poſſit facultas aliquando reſtaurandæ arcis & oppidi exiſtere. Erat enim mens Maximiliano, non modo omnibus aliis qui poſtmodum territoriali iure agrum Gothanum poſſidebunt, reparatione caſtri & muniendo loco interdicere, verum etiam ſe atque ſucceſſores ſuos perpetua lege obligare, vt ne quidem deinde vnquam Imperator, quisquis ille futurus ſit, pro munitione ſupplicantibus annuere, ſuamque Imperialem conceſſionem largiri poſſit, quam certe in rem, vt omnes ſtatim intelligunt, generalis illa prohibitio, ne munimenta excitare liceat absque venia Cæſaris, non ſufficiebat. Huic enim deſtinato obtinendo vt ſcilicet lege publica quidam in imperio locus, velut ſacer & intactus deinde reddatur, omnisque ſpes arcis reſtaurandæ ſimul in perpetuum tollatur, conſenſu Statuum Maximiliano opus fuit. Qui cum eam ob cauſam cum Statibus egerit. nimirum daß zu Gotha und Grimmenſtein keine Veſtung ſolte wiederum gebauet werden / & illi defectum mandati cauſati ad proxima Comitia actionem diſtulerint, ex eo colligitur, non quomodo Imperator, an cum ſuo ſcilicet conſenſu, vel absque eo, ædificandum iterum caſtellum decreuerit: quod ſibi falſo Limneus perſuadet, ſed quod prorſus vetitum voluerit, locum munitum quacun-

que autoritate fieri. Quare omiſſa in Erdfurtenſibus Comitiis huius rei mentio id ſaltem effecit, ne locus æternum munitionibus prohibitus fuerit, non vero vt etiam ſine permiſſu Imperatoris munire eum licuerit. Atque propterea poſtquam hoc ſeculo Erneſtus Dux, piæ memoriæ, arcem & vrbem munimentis rurſus circumdare conſtituiſſet, favore & autoritate Imperatoris ſibi opus eſſe ad propoſitum exiſtimauit, quod eum facturum fuiſſe non eſt veriſimile, ſi communi Principum & Statuum iure hæc libertas ei ſuppetiiſſet. Qui requiſitum Cæſaris conſenſum ideo arbitrantur, *quod citato imperii receſſu munitio vetita fuerit*, vix cogitant, quid loquantur. Nam & contradictio Ordinum, aſſenſum ſuum ſuſpendentium, & antiquata mox ſilentio alteris Comitiis actio, tum tabulæ inueſtituræ, quam proſcripti Principis liberi obtinuerunt, ſine prohibitione non reſtaurandæ munitionis ſcriptæ, ſatis arguunt, voluntatem Cæſaris, quod ingratam Statibus rem eam intelligeret, non abiiſſe in legem, ſed infectum negotium manſiſſe. Adde, quod ſi Imperatoris & omnium Statuum decreto locus munitione prohibitus fuiſſet, minime certe ſuffeciſſet iudicio reſcindendo, ſolam Cæſaris opem atque gratiam imploraſſe,

ſe, ſed ex uatura negotii cum Statibus etiam agendum erat comitiali iure.

§. XXI. Hæc fere præparatoria ſunt ad bellum. In gerendo bello habent Status primo ius ſequelæ: cuius vi in vnum locum conducere ſubditos militesque poſſunt atque iis imperare, vt ſe armis inſtructi ſequantur. Secundo ius eosdem in ordinem, & exercitum diſponendi, ſtationibus & excubiis cuique aſſignatis: quo peracto iam ipſi bellici actus ſequuntur; caſtrorum metationes, conflictus, prælia; oppugnationes aut defenſiones vrbium & reliqua. Denique pax & amicitiæ reſtauratio qui finis eſt belli.

§. XXII. Quandoquidem ergo apud dominum territorii vi ſuperioritatis ſuæ tota eſt gerendi belli poteſtas, ſatis apparet, ſubditos eius qui & ipſi, cum iubentur, militare debent, vrbibus & locis, quibus habitant recipere dominum quouis tempore, eique receptum dare & commeatu omnique ſtudio adeſſe teneri, quod vulgo *ius aperturæ* appellant Quamuis id paulo latius pateat, namque vi eius tam belli quam pacis temporibus ſubditi caſtra & vrbes ſuis dominis aperire & præſidium militare accipere obnoxii ſunt. Numerus quoque præſidiariorum communiter arbitrio Dominorum ſtat, niſi quibus in locis ex priuilegio eſt definitus. Quod autem ius

aperturæ, quibusdam Statibus aliorum in territoriis competit, quale Palatinus Elector in quædam Spirenſis agri loca & oppidula deberi ſibi ait, id ex alio capite quam poteſtate territoriali, iudicandum eſt.

§. XXIII. Ad ius aperturæ etiam ſpectat aduentus principis ſolennis, der Einzug oder Einritt/ quo nimirum tempore ſubditi Domino ſuo non modo lætas vbicunque portas aperiunt, verum etiam obuiam deuote eunt, oblatis clauibus, aut in armis ingredientem celebritatis in morem præſtolantur felicemque gratulantur aduentum.

§. XXIV. Hi fere conſpicui maxime actus ſunt bellici, vnicum adhuc addam, non tam ipſius belli actum quam proprietate quadam ſingulari bello omnino proximum ſimillimumque, *Ius* ſcilicet, quod vulgo ita appellant, *repreſſaliarum* intelligo, de quo quæritur; an Statibus decernere repreſſalias liceat? Repreſſaliæ noua vox, nec latina ſatis, res ipſa antiquiſſima, Græcis & Romanis cognita. Illi ἐνεχυϱιασμὸν, hi pignorationem inter populos diuerſos appellauere. Eſt autem violentæ executionis ſpecies, locumque habet, vbi vel ius denegatur, vel iudicatum aperte contra ius fuerit. Vetuſtiſſimum exemplum Homerus *Iliad* λ. ſuppeditat, vbi Neſtor ob ereptos Patris equos Elidenſium

peco-

pecora & armenta capit. Pariter apud Halicarnaſſenſem. *L. 7. Hiſtor.* Ariſtodemus Tarquiniorum heres Cumis famulos, iumenta & pecunias Romanorum Ciuium pro bonis Tarquiniorum retinuit: Liuius *l. 2. Hiſtor.* Naues Romanorum retentas ſcripſit. Quoties igitur in ſontem aut debitorem iudicium intra tempus idoneum obtineri nequit, vel ſi in re minime dubia (non cum ambigi adhuc poteſt, præſumtio eſt pro his, qui ad iudicia publica electi ſunt) plane contra ius lata ſententia fuerit, ex hac cauſa aut corpora aut res mobiles ſubditorum eius qui ius non reddit, capi poſſe, moribus pasſim receptum eſt.

§. XXV. Eſt autem vſus repreſſaliarum proprie inter populos diuerſos, non inter ciues vnius reipublicæ. His enim Magiſtratus publici & iudicia ideo ſunt conſtituta, vt ſibi vi omni abſtinendum, & quod quis ſibi dari aut fieri ab alio cupit, apud iudicem perſequendum nouerit, meliori diſceptationis genere. Quam ob rem, quod ius ciuile eiusmodi *pignorationes inhoneſtas & odibiles habet, nec rationabile autumat, alium quidem eſſe debitorem, alium vero exigi Nou. 52. c. 1. add. l. 4. C. de Execut. & Exact. l. vn. C. vt nullus ex vicaneis, t. t. Cod. Ne vxor pro marito. t. t. Cod. Ne filius pro patre. Nov. 134. c. 7.* quod ius Canonicum easdem *tanquam graues legibus & æquitati naturali*

contrarias ciuilique conſtitutione prohibitas c. vnic. de iniur. & damn. dat. in 6. reprobat, quod denique receſſus Imperii *Spirenſis de anno 1570.* §. wenn auch die *Arreſten* rc. repreſſalias generaliter iure prohibitas ſtatuit, id haudquaquam pro vniuerſali decreto gentium eſt accipiendum, ſed ex natura legis ciuilis illis ſolum præſcriptum eſſe apparet, qui lege illa obligantur, id eſt ciuibus aut ſubditis inter ſe: Liberæ autem gentes quarum aliæ aliarum imperiis non ſubiiciuntur, ſicuti ob acceptas iniurias mouere bellum poſſunt & armis ius ſuum perſequi, ita etiam (quod aliquanto adhuc mitius eſt atque humanius,) retentione hominum aut rerum ab ea ciuitate, quæ iniuriam nobis fecit, damni dati reparationem extorquere, eamque hoc modo velut officii inter populos communis nobisque debiti admonere. Cum enim nulla ſupereſt ſpes aut ratio obtinendæ per ius eius rei cuius petendæ facultas nobis aliqua lege eſt: neceſſario ipſa nos naturalis ratio ad vim ducit, & cogere eos iubet, qui amice moniti ius non perſoluunt. Hoc enim præcipuum eſt & tantum non vnicum fundamentum, quo omnis bellorum nititur iuſtitia: neque recte exceperis, ſicuti ciui ſtandum iudicio eſt, etſi Prætor aut magiſtratus alius contra ius iudicarit & hoc modo iniuriam fecerit: ita etiam genti

ti, quæ in alia ciuitate cauſam ſuam egit, quamuis iniuſte fuerit deinde iudicatum, ſententiæ tamen ſtandum eſſe eius, cuius iudicio litem ſubiecit. Non enim qui de iure perſoluendo apud ciuitatem contra ſubditos agit, ita ſubiecit cauſam ſuam iudicio Ciuitatis, vt nihil ſibi retineat æſtimationis, ſed ius petit, quod ſi redditum non fuerit, iniuriam accipere in ſolutum non tenetur. Neq; enim autoritas iudicantis in hoc diſceptationis genere idem in exteros, quod in ſubditos valet: conditio ſubditi facit quominus is priuata autoritate reſcindere ſententiam Magiſtratus aut vindicare iniuriam inde acceptam poſſit: Nam vt in ciuitate iudiciis ſua conſtet autoritas & reuerentia, lex publici ordinis cauſa vetuit, iniuſtæ etiam ſententiæ executionem a priuatis vi impediri, aut contra eam ius ſuum vi exequi, præſertim cum alia ſint ciuibus contra eius generis iniurias remedia iuris conſignata, veluti prouocationis beneficium vel ipſum iudicem, quod litem ſuam fecerit, accuſandi poteſtas: poſſunt etiam ſententiam, ſi manifeſto contra ius lata fuerit, nullam dicere, & hac ratione vim eius declinare. Neque omnino, etſi qui ius dixit cum ſummo in ciuitate eſt imperio, nulla eſt aduerſus hanc rem prodita auxiliatio. Reuiſionibus enim

&

ſucceſſor; Moribus tamen gentium & tacita quadam omnium in id voluntate introductum eſt, vt pro eo, quod debet præſtare ciuilis aliqua ſocietas, obligata ſint bona omnia corporalia & incorporalia eorum, qui tali ſocietati ſubſunt: quod cur ita conſtitueretur, quædam neceſſitas expreſſit; alioquin enim non tam facilis poteſtas nobis eſſet coercendi iniurias ciuitatum aut Rectorum earum, cum in bona imperantium ſæpe non adeo expedita ſit & tuta manus iniectio, quam priuatorum, qui plures ſunt & plerumque ſine præſidio agunt. Ne itaque tam magna daretur, impunitatis ſpe, iniuriis faciendis licentia, placuit, peccata & damna ciuitatis in ſubditis quoque prehenſione hominum & rerum poſſe vindicari, quos deinde velut membra eiusdem ſocietatis a ſe mutuo facillime ius conſequi atque indemnitati ſuæ conſulere poſſe gentibus viſum eſt. Cum contra exterorum multis in locis exigua habeatur ratio. Præterea commodum ex hac obligatione reſultans commune erat omnibus populis, ita vt qui nunc ea grauarentur alio itidem tempore ſubleuari poſſent. Atque hoc ipſum ius gentium voluntarium non ita rationi naturali repugnabat, vt non more & tacito conſenſu induci potuerit: Non modo enim fideiuſſores ſine vlla cauſa ex ſolo conſen-

ſenſú obligantur; verum etiam arctiſſima illa conſociatio, quæ ciuitate inuicem& ſingulis ex ea intercedit, omnino efficit, vt aliqua ratione ea, quæ publicò omnium nomine geſta ſunt, in ordine ad priuatos non prorſus aliena facta, ſed & ſingulorum propria reputentur. Diſtinctio illa, inter ſingulos, qua ſinguli ſunt, & qua quisque pars eſt vniuerſorum, ſubtilior eſt, quam vt applicationem in rebus ipſis patiatur. Dixerit Vlpianus, *quod vniuerſitas debet, ſingulos non debere*: dixerit Seneca: *ſi quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc æs alienum profitebor*, quia tamen omnes fatentur, ſi vniverſitas bona non habeat, ſingulos ex vniverſitate tanquam partes eius ad ſolutionem obligari: ſane factum vniuerſitatis ad ſingulos quodammodo pertinere debet, &ſi detur, quod ea ratione ſaltem pertineat, qua pars ſunt, nam vbi factum communitatis tibi præſtandum eſt, tui ſane parum refert, an vt pars ſocietatis id præſtes vel conſideratus inter ſingulos. Ex ſingulis enim conſtat vniverſitas, qui reuera pro ſe quisque pars ſunt. Nunc vero ſi eius, qui patriæ credidit, nullo modo debitor ſum, neque id æs alienum meum eſt, cur tamen *ad exſoluendum hæc portionem meam darem?* quod vult Seneca: ſi reſpondet *vnus e populo, non tanquam pro me ſolvam*

vam, ſed tanquam pro patria conferam, id verborum ſonum aliquem habet, at in re ſenſum nullum diuerſum: nam aut ad pietatem hæc collatio pertinet aut ad debitum; ſi illud, extra ſcopum diſputationis verba illa dicuntur: quærimus enim quo iure ſtricto vnus e populo ad exſoluendum æs ciuitatis pro parte ſua teneatur; ſin hoc, fieri ſane nulla ratione potuit, vt factum vniuerſitatis, quod ſinguli, qui pars eius ſunt, præſtare debent, non ad eos aliqua ratione pertineat: Et profecto illi qui primo in ſocietatem coierunt & publicum nomen regimenque conſtituerunt, tacite pro communitate fideiubere videntur, ſi quid inde populis aliis aut ſingulis damni vel incommodi datum fuerit, id ſe quoque præſtaturos, eamque in rem bona ſua & corpora obligata velle. Vniuerſitatis enim quæ eſt agendi poteſtas, ex ſingulorum in vnum corpus coeuntium & participatione iuris nomen illud publicum conſtituentium, eſt iuſſu atque conſenſu: haud iniquum igitur, vt de eorum factis geſtiſque reſpondeant, cum vſus eſt, nam quod tales ſunt, ope eorum atque conſilio effectum eſt. Denique etiam cum ſinguli, qua tales, non modo quod corpora cuiusque vitamque attinet, ſed & bonorum ſuorum omnium ratione, certo quodam modo ſint in dominio Ciuitatis

cundum ea a Camera iudicatum eſſe, refert Mynſingerus *1. obſ. 29.* & Gailius *2. Obſ. 90. n. 1.* Cotta etiam ſcribit, valere Statuta, quibus filii mercatorum teneantur creditoribus paternis, licet non probentur heredes, quemadmodum iam antiquitus obtinuerat, vt in primipilaris adminiſtratione patris filius obſtringatur *l. vlt. C. de primipil.* quæ omnia ſatis euincunt, poſſe exiſtere caſus, cur ex lege æquitatis alius pro alio aliquando mihi obnoxius ſit, & velut, quod dicitur, obtorto collo in ius trahi poſſit.

§. XXVI. Repreſſaliæ igitur locum habent inter diuerſos populos inuicem non ſubiectos, quam ob rem an Statibus facultas ſit eas decernendi, haud abs re quæritur? Et profecto ſunt haud pauci *Bart. de repreſſ. q. 3. n. 4. Colerus part. 1. proceſſ. c. 2. n. 280.* qui in Romano Imperio ſoli Imperatori earum concedendarum poteſtatem tribuant; nituntur autem fundamento, quod non niſi ſummo Principi aut Ciuitati vel populo libero decernere repreſſalias concedatur, ex qua ratione *Conſil. 46. n. 7. & 19.* Weſenbecius Electoribus nominatim, quod ſuperiorem recognoſcant, denegat concedendarum repreſſaliarum iura. Verum enim vero cum vt ſupra oſtendimus, Ordinibus certis caſibus inire etiam bellum & gerere liceat, Repreſſaliæ,

quæ ſpecies belli & quidem minus perfecti ſunt, penitus eorum e manu arbitrioque non poſſunt eripi. Limneus videtur diſtinguere inter repreſſalias, quibus belli metus ſubeſt, & vbi non ſubeſt. Has demum permiſſas Statibus vult: ſed ob rationem modo adductam, quod ſcilicet repreſſaliæ ſint ſpecies belli, diſtinctio illa accurata non eſt: nam quibus indicere bellum ipſum illud perfectum plerumque licet, cur ab eo quod minus eſt, nec ad effuſionem vsque ſanguinis rerumque vaſtationem hoſtilem pertingit, arcendos eſſe volumus; ſed & contradictorie dicitur, metum belli ceſſare, vbi per repreſſalias, actum aliquem bellicum quin ipſum pene bellum auſpicamur. Quæ Magiſtratus vero & iudices inferiores per modum pignorationis vel arreſti ad ſimilitudinem repreſſaliarum decernunt, ea ſunt alterius loci, neque de repreſſaliis ita humiliter ſentiendum eſt, vt qualiscunque coercitio iure Magiſtratus competens, hoc nomine veniat. Meliorem itaque procul dubio & principiis iuris publici plane conuenientem Schuzii diſtinctionem credo, an ſcilicet repreſſaliis contra ciues imperii vel exteros ſit vtendum. Priori caſu poteſtatem decernendi recte adimit, quamdiu iuri iudicioque locus eſt, quarum rerum ſemper eſt facultas. Fac

enim

enim denegari nobis iuſtitiam a Domino territoriali: at ſuperſunt certe remedia alia, quibus ius conſequi poſſumus, quippe mandata & literas promotoriales a ſuperioribus tribunalibus impetrare facile licet: quibus ſi is, de cuius iniuria quærimus, adhuc nihil movetur, iam certe lis ipſa in ſummis illis iudiciis inſtrui poteſt. Eſt autem conſtanter memoriæ proditum, dum ius noſtrum forenſi formula conſequi poſſumus, locum repreſſaliis non dari, atque adeo vix erit caſus, quo inter ipſos Status huius rei ſit aliqua legitima vſurpatio. Quando vero cum exteris res nobis eſt, tunc recte idem ſentit Schuzius quod de iure belli gerendi, cuius repreſſaliæ, vt ante dictum, ſunt ſpecies quædam imperfecta. Hic leniſſimum erit, bona Regis aut Ciuitatis, quæ commercii cauſa apud nos deprehenduntur, tamdiu retinere donec ius nobis redditum fuerit; Proximum, rebus ſubditorum in noſtra ditione ſitis aut verſantibus manum iniicere: tertium ab hoc, res illorum in alia parte imperii præſentes perſequi & detinere, ſiue id auxilio fiat territorii Domini ſeu propria autoritate & vi. Abruptiſſimum vero crediderim, nec ſine magno periculo belli in Germania conflandi, ſi, cui ius negatum eſt, Status potentia ſua aut ſociis fretus in ipſos lædentis Regis vel ciuita-

tis fines irrumpat, & abductis vi hominibus rebusque ſibi conſulere audeat; vel quoties alibi extra imperium reperta capit & abducit: quod an ſingulorum Statuum arbitrio absq; autoritate Cæſaris & communi imperii decreto permittendum ſit, non ſine ratione dubito, quia vix ac ne vix quidem euenire poteſt, vt non vis illa ad offenſionem & vindictam magis, cuius generis bellum etiam Statibus cum exteris prohibitum oſtendimus, quam defenſionem rerum ſpectet.

§. XXVII. Cum repreſſaliis magnam habent coniunctionem, quas appellamus pignorationes, & quæ eandem ob cauſam haud minus vetitæ ſunt legibus, ita vt contra pignorantem mandata ſine clauſula reſtituendæ rei captæ cauſa decernantur. Aliqua tamen inter hæc duo eſt differentia. Pignoratio enim eſt ex turbatione eius rei vel iuris, cuius poſſeſſionem vel quaſi ad nos pertinere aſſerimus: at repreſſaliis vtimur contra ſubditos, propter negatam nobis a Domino eorum iuſtitiam, vel ius manifeſto inique dictum. Deinde pignoratio fit propria authoritate partis ſuum ius tueri volentis, etiam nulla præuia cognitione aut licentia iudicis: Repreſſaliæ vero decernuntur a Domino aut iudice, qui eam ob rem adeundus eſt, quiq;

de-

demum cauſa ſaltem ſummariter cognita, quare creditor vel quisquis ſe læſum queritur, repreſſaliis ſibi opus eſſe exiſtimet, poteſtatem detinendi facit: non enim iure repreſſaliarum æſtimantur, quæ autoritate publica decreta non ſunt. Porro pignorationes ſunt nonniſi merum facti nomen adeoque in omnem caſum prohibitæ: Repreſſaliæ aliquid iuris habent, quo nonnunquam fit, vt licitæ & permiſſæ credantur. Ad hæc pignorationes ciuibus inuicem intercedunt: Repreſſaliarum vſus in exteros eſt. Deniq; pignoratio concernit perſonas vel res eius, qui ob poſſeſſionem iuris ſui turbatur: Repreſſaliis vero detineri poteſt non modo perſona & res illius, qui facere iuſtitiam neglexit: ſed & cuiuscunque qui ſubditus eius eſt, & intra territorium.

§. XXVIII. Olim in Athenienſium inſtitutis ſimile quid erat repreſſaliis, quod ipſi *ἀνδρολῆψίαν*, id eſt, prehenſionem hominum vocabant. Erat autem huic iuri tantum locus, ſi quis Athenienſium ciuium morte per vim illata obierat, & illa ciuitas, vnde homicida erat, vel quo confugit, dedere eum vel pœnam ſumere de cæde noluerat. Tunc enim poterant proximi & neceſſarii illius, qui occiſus fuit, homines alios prehendere atque detinere, donec de cæde ſatisfactum, neque

tamen vltra três. Qua lege, vti apparet, pro ciuitate, quæ debebat ſubditos ſuos, qui aliis nocuere, plectere, poterat obligari ius quoddam incorporale ſubditorum, ipſa ſcilicet libertas morandi vbi velint, & agendi quod velint, ita vt fere in ſeruitute interim ſint, dum Ciuitas id præſtat quod præſtare tenetur, id eſt, dum punit vel dediit ſontem.

§. XXIX. De Iure Pacis cur multa dicamus non eſt opus. Qui enim incipiendi gerendique belli habet facultatem, is neceſſario & faciendæ pacis arbitrium obtinet, cum hoc fine omne bellum geratur, vt pacem habeamus. Enimuero de Statibus Imperii hoc erit monendum, eos redimere pacem cum Exteris iactura ditionum ad Imperium ſpectantium non poſſe. Imo nec inter ipſos Status valet pactio de bonis Feudalibus transferendis, quoties aut directo domino aut agnatis, qui a primo acquirente ius aliquod conſecuti ſunt, præiudicium damnumve creatur. Sed & quamuis de reliquis, quæ in patrimonio noſtro ſunt, maior ſit tranſigendi libertas, ſi tamen Reipublicæ inſigne periculum aut detrimentum ex eo impendeat, cogitandum aliis relinquo, annon reſcindi eiusmodi alienationes ſupremo imperio poſſint? Quid enim ſi oppidum caſtrumve

ve

ve in limite ceſſum iremus, ex quo Imperio finitimisque nocere facile licet? Hic ſane ratio Sratus & tranquillitatis publicæ poſtulare videtur, vt quæ vnus in diſpendium totius ciuitatis iactare vult, omnes pro ſecuritate ſua vindicent. Rerum mobilium alienandarum maior quidem eſt fauor, ſi tamen inter theſauros & cimelia domus reputentur, quorum vſus magis quam proprietas illi conceſſa eſt, qui prouinciam regit, vereor, vt pro animi ſententia ſtatuere de illis fas ſit; quanquam haud ignorem, quæ ſic translata in alios ſunt, eorum difficilem recuperationem eſſe, cum ſemper melior ſit poſſidentis conditio, & ſæpe etiam famæ atque honori Deceſſoris conſulatur.

§. XXX. Quæ in pace facienda conſilii ſunt, aut ad rationem tractandi pertinent, cum ab hoc loco aliena exiſtimem, transmittere viſum; nam ſi huic argumento immorandum eſſet, vel ſola Legatorum tractatio, quorum miniſterio plerumque pax conciliatur, in campum nos deduceret, omni hac diſſertatione vberiorem.

OBSERVATIO IX.

EPISTOLAE OBSCVRORVM VIRORVM.

SVMMARIA.

Epiſtolarum obſcurorum virorum, §. I. *occaſio*, §. II. *ex controuerſia Reuchlini cum Colonienſib9 de libris Iudaeorum non cremandis*, §. III. IV. *Autor earum ſecundum quosdam Reuchlinus.* §. V. *Locus eam in rem Iouii*, §. VI. *Falſum quod Iouius notat, Hogoſtratum prae dolore ex editione huius libri concepto obiiſſe*, §. VII. *Falſum, poſt mortem demum Hogoſtrati edictum Pontificis contra hunc librum eſſe impetratum*, §. VIII. *nam id viuo Hogoſtrato factum*, §. IX. *Huttenum etiam a quibusdam pro Autore eſſe habitum.* §. X. *Narratio Barthii de Hutteno & Hogoſtrato*, §. XI. *item de Campanella* §. XII. *Alios Eobanum Heſſum facere autorem Epiſtolarum*, §. XIII. *Inter has tres ſententias*, §. XIV. *veroſimiliorem eſſe, quod Huttenus autor ſit.* §. XV. *Coniecturae eam in rem.* §. XVI. *Ipſum Huttenum id confeſſum fuiſſe.* §. XVII. *Sed fuiſſe directorem plurium autorum.* §. XVIII. §. XIX. *Cur Epiſtolarum illarum pleraeque inſcriptae ſint Ortuino Gratio.* §. XX. §. XXI. *Lamentationes obſcurorum virorum*, §. XXII. *Gratii Epiſtolae clarorum virorum.* §. XXIII. *Epigramma Roſenbomii in Epiſtolas obſcurorum virorum*, §. XXIV. *Aliorum conſenſus de Hutteno autore Epiſtolarum.* §. XXV. *Emendantur ex dictis quaedam aſſerta D. Maii de vita Reuchlini. 1. quod Reuchlinus ſit autor Epiſtolarum*, §. XXVI.

2. quod

2. *quod Hochſtratenus dolore ex libro hoc concepto mortuus fuerit*, §. XXVII. 3. *quod ad eludendum breue Papale a Reuchlino vel eius aſſeclis ſecundum volumen Epiſtolarum ſit editum*. §. XXVIII. *Dubium eſſe, tempus editi voluminis ſecundi Epiſtolarum, vtrum ante an poſt breue papale publicatum ſit*. §. XXIX. *non tamen iſtud volumen ſecundum editum eſſe ad ludificandum breue papale*. §. XXX. *Confundere D. Maium Lamentationes Obſcurorum virorum cum volumine II. Epiſtolarum* §. XXXI. 4. *quod quidem Eraſmum pro autore Epiſtolarum venditauerunt* §. XXXII. 5. *quod ipſe Reuchlinus in Lamentationibus obſcurorum virorũ ſe excuſauerit, non eſſe autorem Epiſtolarum*. §. XXXIII. *Cauſa cur Vlricus Dux Wurtembergicus Iohannem Huttenum interemerit*. §. XXXIV.

§. I.

EPiſtolæ obſcurorum virorum ſuperiore ſeculo inſigniter placuerunt eruditis, quod in illis inſcitia ac barbaries æui ſuperioris lepore mirifico depingeretur.

§. II. Occaſionem illis pariter & argumentum præbuit certamen illud, quod Ioanni Reuchlino ſeu Capnioni paulo antequam Lutherus Eccleſias repurgaret, cum Monachis interceſſerat: De quo legatur vita Capnionis *ap. Melch. Adam. in vitis philoſ. p. 42.*

§. IV. Martinus Cruſius *Parte III. Suev. Annal. c. 16. f. 536.* eadem commemorans ita pergit: *Res ita exagitata fuit, vt ad Pariſienſes etiam deduceretur, qui & ipſi Reuchlino infeſti erant. Pontifex vero Romanus & Cardinales, qui fauebant eruditioni Reuchlini, non acceptabant accuſationem Iacobi Hochſtrati, qui Colonia Romam ob illum oppugnandum profectus erat. Hinc natus eſt facetus ille libellus, qui inſcribitur: Epiſtolæ obſcurorum Virorum; quibus mirifice barbaries Colonienſium profeſſorum exagitatur.*

§. V. Quis eas epiſtolas confinxerit, in eo non omnes conſentiunt. Multi exiſtimant, ipſum Reuchlinum earum eſſe autorem, in qua ſententia etiam eſt Val. Andreas Deſſelius *p. 412. Bibl. Belg.* & Opmeerus, *Chronogr. pag. 749.*

§. VI. Sed nos Iouii verba proferamus ex elogio Reuchlini: *Circumferuntur etiam præter graviores libros, quanquam ſuppreſſo nomine ex eius officina obſcurorum virorum Epiſtolæ, admirabili facetiarum lepore conditæ, quibus ad excitandum riſum cucullatorum Theologorum, ineptiſſime atque ideo ridicule latina lingua ſcribentium ſtylus exprimitur. Vlciſcebatur enim infeſtam nomini ſuo turbam iucundiſſimo Satyræ illudentis genere, quum maligna cucullatorum conſpiratione, tanquam Iudæis parum æquus hoſtis, ac ex animo plane recutitus impietatis accuſaretur. Hic liber*

liber auide coëmptus & euulgatus adeo grauiter calumniatores eius ordinis percuſſit, vt coniurationis princeps Hoſtratus letali dolore ſauciatus interierit, & reliqui æſtuantes a Leone ſuppliciter impetrauerint, vt edicto diuendi atque inprimi vetaretur. Sed edicti Maieſtatem Reuchlinus ſalſo ingenio ludificatus ſecundum Epiſtolarum volumen tanquam ex titulo minime vetitum altero quidem aculeatius impreſſoribus tradidit, ita vt cucullati miſere cum hydra luctantes animos in ea lite deſponderint.

§. VII. Hæc e Iouio totidem pene verbis transtulit in Catalogum ſuum Illuſtrium Germaniæ ſcriptorum Cornelius Loos Callidius *p. m. 66.* ſub Reuchlino, ſed illud de Hogoſtrato (ſic Sleidanus & alii paſſim vocant) quem Iouius narrat præ dolore obiiſſe omiſit. a) Et vero falſum illud eſt: diu enim poſt vulgatas obſcurorum virorum Epiſtolas anno videlicet 1527. b) obiit Hogoſtratus, teſte Valerio Andrea *in Bibl. Belg. p. 413.* (qui eum vocat Hoochſtratanum) Bucholc. *in Chronol. pag. 512.* & Budæo *in* θανατολ. *pag. 37.*

§. IIX. Neque illud idem ſatis ex vero Iouius quod e præcedente ſequitur, mortuo de-

a) Imo ſub Hochſtrato p. m. 41. haud obſcure illi contradicit.

b) circa annum 1527. Cornel. Callid. p. 42.

demum Hogoſtrato reliquos a Pontifice edictum contra Epiſtolas obſcurorum impetrauiſſe. Id enim Hogoſtrato viuo factum eſt, Anno 1517. menſe Martio. *Vide lament. obſc. vir. p. 12.* vbi apographum habes Pontificiæ condemnationis.

§. IX. Eodem anno ad Vlrichum Huttenum ſic ſcribit Bilib. Pirckhaimerus (Epiſtolam vitæ Pirckhaimeri operibus eius præmiſſæ inſeruit Rittershuſius *f. 24. 25*) *Hogoſtratus cum ex capitulo per Nurenbergam iter feciſſet, retulit quibusdam, ſilentium ambabus partibus indictum eſſe: Id ſi ita eſſet, victoria quoque noſtra exiſteret. Oſtendit obiter Breue, vt appellant, Apoſtolicum, non tamen in forma autentica, quo excommunicantur ementes, vendentes & legentes obſcurorum virorum epiſtolas. Mutandus itaque titulus, & pro obſcuris clari viri erunt inſcribendi, vt rurſus Nebulones pecunias dilapidare cogantur. Plane enim confeſſi ſunt, ob Breue illud belle auro ſe emunctos eſſe.*

§. X. Ex eadem epiſtola cognoſcimus, Vlrirum Huttenum, ad quem ſcripta eſt, auctorem illarum Epiſtolarum habitum fuiſſe. Sic enim poſtea Bilibaldus: *Nec dubites fratres illos, qui te auctorem obſcurorum eſſe clamitant, illum contra te inſtigare.*

§. XI. Atque hunc eundem auctorem nominauiſſe nobis aliquando memini Nobiliſſ.

liſſ. Caſp. Barthium, cum diceret multis ſe moueri rationibus, quamobrem Hutteni potius hunc eſſe partum crederet, quam Reuchlini, certe directorem fuiſſe operis Huttenum: etiam hoc addens, aliquando Halæ Saxonum (ſi bene memini) obuiam fuiſſe factum Hogoſtrato Huttenum, & equo deſilientem homini improbo gladium intentaſſe, vt ab eo vindictam exigeret ſcelerum: Hogoſtratum poſtratum in genua, rogauiſſe Nobiliſſimum Heroem, ſi quid interceſſerit inimicitiarum, id calamo potius, quam enſe proſequeretur, homini iam imbelli parceret: ſic placatum Huttenum ac miſertum, non afflixiſſe ipſum quidem, ſed gladio tantum obliquo aliquoties verberauiſſe.

§. XII. Hæc ita Barthius in cœna, cui A. 1645. die 6. April. vna cum ipſo me admouerat B. And. Riuinus. In qua hoc etiam a Nobiliſſimo viro audiuiſſe annotaui, Thomæ Campanellæ commercium fuiſſe cum Dæmone, ipſum Thomam truci hominem aſpectu fuiſſe (nam oculis ipſum ſuis vſurpauerat) labiis pene ad auriculas vsque extenſis.

§. XIII. Redeo ad epiſtolas obſcurorum virorum. Quarum autorem denique, non defuerunt, qui Eobanum Heſſum crederent. Mich. Sonleutnerus Orat. *de ſucceſſ. ſtud. per*

Germ.

Germ. quæ annexa eſt *Parti II. Inſt. dial. eius p. 102. Magna illi* (Capnioni) *concertatio fuit cum Monachis de libris Hebræorum non comburendis, de qua facetus quidam libellus titulo virorum obſcurorum ab Vlrico Hutteno, aut vt alii malunt, ab Eobano Heſſo conſcriptus, quo mire exagitantur Monachi.*

§. XIV. Tres ergo hac de re ſunt opiniones: vna Epiſtolas illas confinxiſſe Reuchlinum, altera Huttenum, tertia Eobanum.

§. XV. Ego hic accedo ſententiæ Nobiliſſ. Barthii de Hutteno, ita quidem vt exiſtimem plerarumque autorem fuiſſe, cæterarum directorem.

§. XVI. Primum enim aliquo modo nos huc ducit Epiſtola Bilibaldi. Deinde ſunt coniecturæ non leues, ſane conſtat partibus Reuchlini (cuius negotium præcipue in his epiſtolis geritur) impenſe fauiſſe, qua de re hiſtoriam vide apud Titium im Theol. Exempelb. *p. 1669. n. 81. edit. A. 1657.* Ac memorat Geſnerus inter libros Hutteni interceſſionem quoque ad Cardinalem Hadrianum pro Capnione. Quis autem neſcit, quam probe paſſim in ſcriptis ſuis peruerſos ſeculi ſui mores defricare ſolitus fuerit Huttenus. Porro Conciliabulum Theologiſtarum, quod in pasquillorum Tomis extat, & a Geſnero ad Huttenum autorem refertur, tam ſimile

eſt

eſt his epiſtolis, vt ouum ouo non poſſit magis.

§. XVII. Quid verbis opus eſt? Extra dubitationis aleam omnem ponit hanc cauſam ipſa Hutteni confeſſio in expoſtulatione cum Eraſmo, vbi ſic ſcribit: *Cum nata eſſent obſcurorum Epiſtolæ, maxime omnium laudabas & applaudebas autori, prope triumphum decernebas, negabas vnquam excogitatam compendioſiorem illos inſectandi viam, hanc denique optime initam eſſe rationem barbare ridendi barbaros. Itaque gratulabaris hanc nobis felicitatem. Et cum nondum excuſæ eſſent nugæ, tua manu quasdam deſcribebas, vt amiculis (inquiens) meis in Angliam & Gallias mittam. Paulo poſt cum vehementer commotam cerneres vniuerſam Theologiſtarum colluuionem, ac furere vbique irritatos crabrones & perniciem minari, trepidare cœpiſti, & ne qua in te ſuſpicio daret ſe, quod vel autor ipſe eſſes, vel inuentum certe probares, ſcripſiſti epiſtolam eodem illo candore tuo Coloniam* d) *qua volebas præuenire famam, ac omnino præ te ferebas, quaſi qui illorum doleres vicem, & cui valde diſpliceret res, multa interim & in ipſum negotium, & in autores increpans. Hoc tum inimicis noſtris telum dabas contra nos acerrimum.*

d) Legitur hæc epiſtola *p.* 18. *lament. obſc. Vir.* Eſt autem ſcripta ad Cæſarium poſtridie aſſumptæ virginis A. 1517.

§. XVIII.

§. XVIII. Dum extremis verbis autores numero pluratiuo audimus nominari patet, vno plures eos fuiſſe e). Cætera facile perſuadebunt, coryphæum omnium atque huius ludi choragum fuiſſe Huttenum.

§. IXX. Plures etiam Epiſtolarum auctores eſſe indicat Ortuinus Gratius *in lamentationib. obſc. vir. p. 116.* inquiens: *Notum eſt & publicum, vbi illorum epiſtolæ impreſſæ ſint; noti etiam autores.* Idem *pag. præced. & 123.* & alibi vocat eos Reuchliniſtas.

§. XX. Cæterum Epiſtolæ iſtæ pleræque omnes inſcriptæ ſunt Ortuino Gratio. Id ideo factum, quia is in gratiam Colonienſium Theologorum ſcripſerat Apologiam aduerſus Reuchlinum, vir alioqui literis humanioribus non perfunctorie tinctus, *Vide Aub. Miræ. Part. II. Biblioth. f. 33. & Val: Andr. Deſſelius Bibl. Belg. p. 708.*

§. XXI. Hac de re iudicium Eraſmi hoc legitur *in epiſtola quadam ad Bilib. f. m. 234. & in operib. Bilib. f. 271. Quid venit in mentem Gratio, vt ſuas literulas turpiter ſeruire vellet quorundam ſtultitiæ. ſeu potius ambitioni, cum eo videatur ingenio præditus, vt ſi vero iudicio iuſtam operam adiunxiſſet, inter eloquentes ac literatos habe-*

e) nominat eos Comitem, Nuenarium, Huttenum, Reuchlinum, Buſchium ex Hammelmanno *Placc. append. Anonym. p. 129. 136.*

haberi potuiſſet. Nunc non alio facinore notus eſt niſi quod calumniatus eſt Reuchlinum & huius amicos, quodque quorundam infanti malitiæ mercenarium ciboque conductum rhetorculum præbuiſſe videatur.

§. XXII. Epiſtolis obſcurorum oppoſuit Gratius Lamentationes obſcurorum virorum Coloniæ primum anno 1518. impreſſas; quod & Miræus ac Deſſelius obſeruarunt. Eas ego citaui hactenus ex alia quæ penes me eſt editione Colonienſi anni 1649.

§. XXIII. Idem Gratius, Miræo & Deſſelio teſtibus, in faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum, edidit Epiſtolas clarorum virorum Anno 1535. Neſcio an credamus eum ſic voluiſſe aliquid opponere f) vel obſcurorum virorum Epiſtolis, vel Epiſtolis etiam Illuſtrium Virorum ad Reuchlinum, quas Hagenoæ ao. 1519. (quam quidem editio-

f) Omnino nulla eſt illarum epiſtolarum Gratii cum vel clarorum vel obſcurorum epiſtolis connexio. Sic autem habe: Faſciculus ille rerum expetendarum & fugiendarum continet tractatus in vniuerſum LXVI. & in his Epiſtolas quasdam clarorum virorum: inter alias ipſius Hutteni ad Leonem X. qua præfatur in declamationem Laur. Valla contra donationem Conſtantini, quæ legitur ibi f. 64. Nec ipſe in titulo operis clarorum ſed ſummorum virorum epiſtolas vocat, his verbis. *Inſunt præterea huic operi ſummorum aliquot virorum Epiſtolæ, libelli tractatus & opuſcula numero ni fallor LXVI.*

ditionem nondum fuiſſe primam apparet, e præfatione ad Lectorem) impreſſas habeo.

§. XXIV. In epiſtolas obſcurorum extat epigramma Samuelis Roſenbomii *Part. I. Poëm. l. 2. n. 99. p. 156.* qua ob ſtyli barbariem, vetat earum lectionem, ne contagio noceant, ſæpe repeti. Sed nimirum nec ſcriptæ ſunt illæ iuuentuti in ſcholis ad imitandum, verum literatis ad recreandum animum. Nolim tamen in illis iocos, qui miſcentur interdum, blaſphemos approbare.

§. XXV. Hactenus ſchedæ Iacobi Thomaſii locutæ ſunt, ex quibus adeo perſpicuum redditur, quænam ſint illæ rationes de quibus in præfatione ad Manutii Epiſtolas dixerat, quod certa fide exploratum haberet Huttenum eſſe autorem Epiſtolarum obſcurorum virorum, ad quam eius fidem etiam prouocauit doctiſſimus Maius *in vita Reuchlini p. 425.* ac inſigne Belgii literati decus, Petrus Bælius *in Dictionar. Critico ſub artic. Hochſtraten.*

§. XXVI. Simul vero ex hactenus dictis patet, qua ratione quædam emendari poſſint quæ de Epiſtolis obſcurorum virorum attulit laudatus Maius. Primo enim a Iouio deceptus *in oratione de vita Reuchlini pag. 48. 46.* Reuchlinum autorem fecit libelli ſæpius me-

morati, quod tamen ipſe poſtmodum *in annot. p. 425. & 427.* quodammodo deſtruit.

§. XXVII. Secundo, cum Iouius in loco ſupra deſcripto memoret Hochſtratum dolore ex libro iſto concepto interiiſſe, quod falſum eſſe, ibi ſimul oſtenſum fuit, Maius tamen eundem Iouii errorem ſecutus falſam de Hochſtrateni morte ſententiam & orationi *d. p. 46.* & annotationibus *p. 424.* inſeruit, notatus iam propterea a Bælio *d. l.*

§. XXIIX. Tertio Bælius *ibid.* & alium errorem annotauit in loco Iouii, quod nempe falſum ſit, quod Reuchlinus poſt impetratam ab Hochſtrati parte Breue Apoſtolicum ſecundum Epiſtolarum Volumen tanquam ex titulo minime vetitum, in eluſionem edicti Pontificii ediderit. Ego ſic intelligo Bælium quaſi non ſolum falſum ſit, quod Reuchlinus iſtius ſecundi voluminis autor ſit, ſed & quod vel eiusmodi ſecundum volumen extet, vel ſi extet, quod id a Reuchlini aſſeclis ad eludendum Breue Papale ſit editum. Nihilominus tamen D. Maius & hac parte Iouium defendere ſuſtinuit *in annot. p. 424.* *Eſt mihi*, inquit, *ad manus prima primi voluminis editio Venetiis impreſſa in Aldi Manutii officina in 4. Alterum volumen in Germania excuſum habeo hoc inſignitum titulo: Lamentationes obſcurorum virorum non probitæ per ſedem Apoſtolicam.*

§. XXX.

§. XXIX. Iam quid nos ad iſtam probationem Maii? Ita quidem eſt: Sunt duo volumina Epiſtolarum obſcurorum virorum. Vtrum vero iſta duo volumina ſimul ſint edita, an vnum poſt alterum, dicere exacte non poſſum, vtor enim editione nouiſſima, in 12. quæ ac ſi Londini impreſſa eſſet, mentitur, anno præteriti ſeculi 89. vbi ſecundum volumen incipit *p. 225.* eique editioni lamentationes obſcurorum obſcurorum virorum tanquam volumen tertium iunctæ ſunt. Videtur tamen ſecundum volumen primo in ſecunda forte vel tertia editione eſſe adiectum ſi quis conſideret *errores obſcurorum virorum, qui ſe Reuchliniſtas eſſe gloriantur*, qui adiuncti ſunt, *lamentationib. obſcur. vir. p. m. 187. ſeqq.* vbi ſæpe mentio fit primi operis & primæ editionis. Poſtea additur *p. 191. Quas obſecro putamus in additionibus eorum nequitias contineri, & in aliis etiã Epiſtolis a primis (de quibus modo mentionem fecimus) longe differentes.* Tum mentio fit ſecundi voluminis. Adde & *p. 224. ipſarum Epiſtolarum obſc. vir.* verbis: *Finit ſe opus egregium &c.* Magis dubius ſum, an volumen ſecundum poſt publicatum breue papale ſit editum. Sane edictum, quod inſertum eſt *Lamentationibus obſcur. vir. p. 12. ſeqq.* datum eſt Romæ *d. 15. Martii 1517.* Errores autem obſcurorum virorum modo citati, in quibus

ſecundi voluminis fit mentio, ſcriptæ ſunt, Coloniæ cal. Sept. 1518. vti videre eſt ex *p. vlt. Lament. obſc. vir.* ſed ex hac circumſtantia veroſimile aliquid in neutram partem, aſſumi poteſt.

§. XXX. Id tamen videtur valde probabile volumen iſtud ſecundum, quandocunque, etiam fuerit publicatum, non compoſitum eſſe. vt Iouius volebat, ad ludificandum breue Pontificium, neque in titulo præ ſe tuliſſe, quaſi id ſit minime vetitum. Nam in toto volumine ſecundo, quantum in curſoria lectione deprehendere potui, ne minima quidem mentio fit illius edicti Pontificis, & titulus voluminis illius *p. m. 225.* eodem modo conceptus eſt, vt titulus voluminis primi nec ibi quicquam de licentia impreſſionis memoratur.

§. XXXI. Neque Iouii cauſam adiuuat, quod D. Maius dicit, ſe volumen illud ſecundum non ſolum vidiſſe, ſed & in titulo legiſſe, quod Lamentationes iſtæ obſcurorum virorum non prohibitæ ſint per ſedem Apoſtolicam, ad quæ verba haud dubie etiam reſpexit ipſe Iouius. Nam & Iouius & D. Maius in eo decepti ſunt, quod putauerint, Lamentationes iſtas a fautoribus Reuchlini fuiſſe editas, cum potius, vt iam *ſupra* §. 22. monitum eſt, autor harum lamentationum ſit Or-

tui

tuinus Gratius, easque contra Reuchliniſtas ſcripſerit, vt ex toto volumine illo patet, & præprimis ex Epiſtola Gratii ad lectorem, item ex epiſtola eiusdem apologetica, quæ leguntur in fine lamentationum *p. m. 141. ſeq. & p. 145. ſeq.* Etſi enim in nouiſſima editione verba titu.i ſolum ponant: *Lamentationes obſcurorum virorum*, neque illa reliqua, quæ D. Maius memorat, (*non prohibitæ per ſedem Apoſtolicam*) in hac editione appareant, tamen & de aliis Lamentationibus quam illis Gratii non conſtat, & D. Maium non alias, quam illas in mente habuiſſe ex illo certum eſt, quod quæ paulo poſt *p. 425. & 427.* ex illo libro excerpit, claris verbis leagntur in Lamentationibus a Gratio editis. Accedit quod Gratius iſta verba, *non prohibitæ per ſedem Apoſtolicam* veroſimiliter primæ editioni ſuarum Lamentationum apponi curauerit, partim ne confundernetur ab incautis Lamentationes iſtæ cum Epiſtolis obſcurorum virorum, partim, vt vel in titulo pungeret Reuchlini fautores, quorum ſcilicet epiſtolæ per ſedem Apoſtolicam erant prohibitæ.

§. XXXII. Pergit D. Maius *p. 425.* fuiſſe etiam qui Eraſmo has epiſtolas tribuendas, tanquam vero autori cenſerent, in quos ille etiam grauiter inuehitur in illa epiſtola, quæ in lamentationibus obſcurorum virorum le-

gitur, *p. m* 22. & cuius iam ſupra mentio iniecta eſt §. 17. At ſi quis ea quæ ſupra *d.* §. 17. ex Hutteni expoſtulatione cum Eraſmo excerpta ſunt, conferat cum illa Epiſtola Eraſmi, patebit, Eraſmum ſe ſaltem purgare voluiſſe, quod non approbet Epiſtolas obſcurorum virorum nec iis faueat, non quod quisquam eas Epiſtolas Eraſmo tanquam autori tribuerit. Scilicet inſeruerant autores Epiſtolarum poſterioribus editionibus dialogum qui in nouiſſima editione legitur *p.* 200. *ſeq. voluminis primi*, in cuius interlocutoribus non ſolũ comparebat nomẽ Eraſmi, ſed & *p.* 201. Eraſmꝰ tanquam fautor Reuchlini aperte traducitur, & *p.* 209. *ſeq.* cum Reuchlino colloquens Eraſmus inducitur tanquam cauſam Reuchlini contra Magiſtros Colonienſes agens. Seduxerunt autem haud dubie D. Maium ad hunc errorem, verba in Epiſtola Eraſmi, quæ apponamus. *Iam illud eſt omnium moleſtiſſimum quod mihi famulus meus Iacobus narrauit, apud plures haberi Coloniæ libellum neſcio quem, in Iulium Pontificem, quod mortuus excluſus ſit cælo per Petrum. Ceterum admiror, eſſe qui ſuſpicentur, tam inſignem ineptiam a me profectam; opinor ob id, quod ſermo fortaſſe ſit paulo latinior, &c.* Hic putauit D. Maius, per *tam inſignem ineptiam*, intelligendas eſſe Epiſtolas obſcurorum virorum: cum tamen contextus oſtendat, Era-

raſmum per hæc verba intelligere fabulam de Iulio Pontifice, quæ tamen non legitur in Epiſtolis obſcurorum virorum.

§. XXXIII. Denique & in eo non parum a vero aberraſſe videtur D. Maius, cum *p. 427.* ſcribit, non veroſimile eſſe quod Reuchlinus ſit autor Epiſtolarum, quia ſimilem in modum ſe purgauerit, vt Eraſmus, in epiſtola quadam Lamentationibus inſerta ad Iohannem Pelsflickerium, quam & totam apponit. Etſi enim verum ſit, Reuchlinum autorem non eſſe, idque ſatis per dicta ſuperius ſit demonſtratum, ratio tamen D. Maii nihil probat. Nam illa Epiſtola Reuchlini, ad quam prouocat, & quæ legitur in Lamentationibus *p.m.34.* nequaquam a Reuchlino fuit conſcripta, ſed vt reliquæ omnes ab Ortuino Gratio conficta. Induxit autem D. Maium in hunc errorem, quod Lamentationes illas pro nouo volumine Epiſtolarum obſcurorum virorum habuerit.

§. XXXIV. Antequam finem huic obſervationi imponamus, non iniucundum erit, etiam circa ea aliquid annotare, quæ ſcripta deprehendimus in Dictionario Critico Celeberrimi Bælii *in artic. Hutten.* Nimirum dum vir laude noſtra maior ex Melchioris Adami vitis quædam, quæ iſte ex oratione Hutteni contra Vlricum Ducem Wurtembergicum

adducit, excerpit, ad interfectionem Iohannis Hutteni pertinentia, ſubiungit, veroſimile eſſe, iſtum Iohannem Huttenum a Duce Wurtenbergico ea ex cauſa eſſe interemtum, quod eum ſuſpicatus fuerit amare Duciſſam. Et fateor coniecturam iſtam a vero non videri abſimilem, ſi quis ſaltem iſta verba, quæ Melchior Adami ex illa oratione adduxit, conſuleret, nec inſpiciat ipſas orationes Hutteni. Et has quidem non legiſſe *Bælium* eius annotata oſtendunt, vti etiam rarius inveniuntur hodie illæ orationes. Ceterum recordor, me, dum ante aliquot annos eas mihi ad lectionem commodaret amicus quispiam, ibidem deprehendiſſe, quod Vlricus Huttenus ibi diſerte accuſauerit præfatum Ducem, quod Iohannem Huttenum ideo interfecerit, quod ipſe Dux vxorem Hutteni amauerit, & etiam poſt necem Hutteni in ipſius amore hæſerit, ac aliam cauſam iræ adverſus interemtum publice prætenderit, quam quidem ipſe Vlricus Huttenus non diſerte memorat, verba tamen eius quantum recordor, ſatis monſtrant, longe alium fuiſſe Ducis prætextum, quam illicitos amores inter Huttenum & Ducis coniugem.

OBSER-

OBSERVATIO X.

ANTITHESIS CHRISTI ET ANTICHRISTI FIGVRATA, CVM ADNEXA FRATRVM CANDELBVRGIORVM HISTORIA.

SVMMARIA.

§. I. *Eccleſia ſemper fuit orthodoxa, quæ ſibi adrogauit dominatum.* §. II. *Variis figuris olim templorum parietibus inſertis cleri notabantur abuſus* §. III. *Fratrum Candelburgiorum hiſtoria, qui in cœnaculo ſuo Chriſti & antichriſti antitheſin exhibuerunt.* §. IV. *Recenſio codicis manuſcripti qui Candelburgiorum iſtam antitheſin exhibet.* §. V. *Vlterior recenſio Codicis* §. VI. *Aliam antitheſin exhibebit Simon Roſarius apud Wolphium* §. VII. *Alia latine & germanice prodiit.* §. VIII. *Iſtæ ab Andrea Oſiandro editæ* §. IX. *Quadraginta figuræ in cimeliarchio Gothano ſimilem præferunt antitheſin.* §. X. *Harum inſcriptiones referuntur.* §. XI. *Iſtæ figuræ ad priorum imit tionem efformatæ.*

§. I.

A Longis retro ſeculis commune in eccleſiam irrepſerat malum, vt aliqua ſemper eſſet, quæ dominatum ſibi quæreret, & pro orthodoxa vnice haberi vellet, ſingulos cum ea

ea non ſentientes pro hæreticis habens & perverſis. Tranſiit hoc malum per ſecula ad ea tempora, (ne dicam ad noſtra) quibus totus orbis mirabatur pontifici Romano ſe eſſe ſubiectum. Romana erat eccleſia quæ varios abuſus ſuos ſub pallio veræ & ab apoſtolorum temporibus ita continuatæ eccleſiæ contegere ſolebat, & vera mater haberi volebat, ſed peruerſus erat Status, fides nulla, doctrina a Chriſti & apoſtolorum diuina ſimplicitate aliena, ordines eccleſiaſtici corrupti, horumque præ ſic dictis laicis dominatus; ſcandala vbique, immo tota religio magis ad ſplendorem ſpectans quam ad vitæ interiora. Quamuis peruerſus autẽ eccleſiæ eſſet ſtatus, ſeruauerat tamen ſibi Deus ſuos, qui vitæ integritate Deo viuentes, hanc eccleſiæ corruptionem bene perſpiciebant, ſed illi ne hiſcere quidem audebant, ni igne atque ferro perſecutionem pati vellent.

§. II. Factum inde, vt cum iſti ore propalam veritatem teſtari non auderent, ſcriptis id facerent & figuris. De priori longum teſtium veritatis adducit catalogum Matthias Flacius; dicemus ergo nunc de altero. Videmus tales figuras Cleri Romani abuſus deteſtantes, tum in templorum parietibus, tum in manuſcriptis codicibus, tum libris etiam impreſſis: De Aldersbacenſi quidem mo-

monaſterio, quod apud Bauaros a Comitibus de Sultz, Alberto Comite a Löwenſtein & Baronibus ab Hauſen fundatum eſt, teſtatur Ioannes Wolphius * quod in eius templo pictura reperiatur, cleri falſo ſic dicti ignorantiam, ignauiam, auaritiam & in conſcientias tyrannidem arguentes. Videtur ibi vrſus ad Citharam, cui inſcriptum, *vagus in ludo*: lupus ſtola ſacra indutus ex libro legens, cum inſcriptione, *ferus in rapina*: Candelabrum cum cereo, cui inſcriptum, *peccaſti, quieſce*: adſtat agnus cum cruce in humero dextro, cui inſcriptum, *agnus innocens*. Inde figura hominis procumbentis ad pedes abbatis in ſella ſedentis. Verſus figuras haſce explicantes ſatis declarant, quid denotent. Aliam figurarum deſcriptionem Romanam idololatriam deſignantium, quæ in primario Argentoratenſium templo ex aduerſo ſuggeſti, iuxta adytum in lapides præcipuarum columnarum ſunt inciſæ, exhibet idem Wolphius *. Videtur in prima figura porcus & hircus portantes vulpeculam dormientem, cane ſubtus latente. His præfert vrſus amphoram cum adſpergillo, lupus crucem, lepus facem. Aliud ad-

* *lectionum memorab. Cent. XI. p. m. 312.*

* *Cent. XIII. p. m. 551. & cent. XVI. p. m. 909. & Iacobus Heerbrand in refut. defenſionis aſſertionum Ieſuiticarum.*

additum eſt ſimulacrum repræſentans aſinum ante calicem celebrantem miſſam: & aliud, aſinum lectoris munus agentem libro capiti ſimiæ ſuperpoſito, quibus miſſa pro defunctis ſine dubio notatur. Reliquarum figurarum interpretationem habet ipſe Wolphius. Alias figuras Romanam eccleſiam ſub figura ſcorti Babylonici repræſentantes ex cathedrali templo Wormatienſi adducit idem. ** Si omnia examinare velimus templa prioribus temporibus extructa, vix reperiemus ex maioribus vllum, in quo non tale quidpiam animaduertere liceat. Sic in templo cathedrali Magdeburgenſi in cathedris Canonicorum ligno inciſam videmus figuram monachi in ſtraminis faſciculo monialem in monaſterium ferre geſtientis, diabolo aperiente portam. Arnſtadti viſitur pictura, vbi concionatorem auiculæ audiunt, monachi vero dormiunt. In Ducatus Wurtenbergici templo quodam vidiſſe me memini diabolum, vbi Chriſtum tentat, ſub figura Capucini. Vt alia taceam, quibus veritatem ſub figuris inter ipſa mendacia teſtari voluerunt veteres.

§. III. Alia ratione cœnaculi parietes iſtiusmodi figuris ornauerunt alii. Teſtatur id fratrum Candelburgiorum hiſtoria, quam ex

** *Cent. XVI. p. m. 869.*

ex martyrologio Bohemorum in hiſtoria ſua vniuerſali adducit Boxhornius.* Verba quæ ex martyrologio adducit, hæc ſunt. *Anno MCCCCIV duo Angli, Theologiæ Baccalaurei, Iacobus quidam & Conradus Candelburgius, Pragam venerunt, alboque academiæ inſcripti, publice controuerſias de Papæ primatu ſimilibusque mouere cœperunt, paullo poſt tamen publico interdicto id facere probibiti. Illi igitur, vt quod hominibus non licebat, liceret parietibus in cœnaculo habitationis ſuæ, hoſpite conſentiente depingi curant, altera quidem parte paſſionis Chriſti hiſtoriam, ex oppoſito autem pompam aulæ Papalis Cardinaliumque. Cuius picturæ cum Ioannes Hus in concionibus faceret mentionem, tanquam veræ Chriſti & Antichriſti antitheſeos, confluebat eo ſubinde populus ſpectaculi cauſa.* Plenius hæc martyrologii verba in Chronico ſuo Bohemiæ explicat, Wenceslaus Hagecius, ex quo omnis Candelburgiorum hiſtoria clarius patebit. Verba itaque eius cum omnem rem declarent, hic adducemus.

An-

* *p. m. 913. & hiſtoria perſecutionum eccleſiæ Bohemicæ ab anno 894. ad annum 1632. anno 1648. impreſſa cap. VIII.*

Anno 1404. ſind aus Engelland zween Männer zu Prag ankommen/ die gaben vor/ daß ſie daſelbſten ſtudiren wolten/ einer mit nahmen Iacobus, derſelbe gab ſich vor einem Baccalaureum der Heil. Schrifft aus/ der andere hies Conradus von Kandelburg/ welchs in Engelland eine vornehme Stadt iſt. Dieſe beyde lieſſen ſich in album Academiæ ſchreiben/ kamen auch viel und offtmals ins Auditorium, wo man die Heil. Schrifft zuleſen gepfloge / und theten an die andern/ ſo in der Heil. Schrifft geübt/ viel Quæſtiones und Fragen. Unter andern waren auch dieſe vorgefallen: Ob der Papſt mehr Macht habe/ dann ein anderer ſchlechter Prieſter? Item, ob das geſegnete Brodt/ oder der empfangene Leib des HErrn/ bey des Bapſts Meſſe mehr Krafft habe/ als bey eines andern ſchlechten Prieſter Meſſe? und was derſelben Fragen und Artickel mehr geweſen ſind: wann man ſie derentwegen zu rede ſetzte/ gaben ſie zur Antwort: daß ſie es/ von wegen der Befeſtigung im Glauben theten. Auff eine Zeit/ trat M. Leonhardus Duka herfür/ und ſprach zu ihnen: Ihr Söhne von wannen ſeyd ihr? Sie antworteten: wir ſind von wegen des ſtudii aus Engelland hieher kommen. Er ſprach: Dieweil ihr daſelbſt ausgangen/ ſo gibt es allda (wie wir be-

wie wir berichtet) viel ſectiſten, vielleicht ſeyd ihr auch irrig / wie wir es dann aus euren Fragen vernehmen können/ derentwegen wil ich euch/ von wegen meines Ambts gebothen haben/ daß ihr forthin unſer Lectorium mit dieſen euern Irthümen meiden ſollet. Dafern ihr euch aber hierinnen ferner einlaſſen würdet/ ſo müſtet ihr/ vermöge Käyſer Carls hochlöblicher Gedächtnüß ſtatuten und Privilegien, mit Feuer verbrennet werden. Alſo verhieſchen ſie es zu unterlaſſen. Nichts deſtoweniger haben ſie mit ihren Fragen und Glauben viel junge Bömiſche Magiſtros, beſonders aber M. Ioan. Hus, welcher ein frommer/ andächtiger/ doch der neuen Dinge begieriger Menſch geweſen/ eingenommen. Dieſe vorgenandte Engelländer/ als Iacobus und Conradus/ hatten ihr Loſament in der Neuen Stadt Prag/ genandt bey den ſchwartz Genſen/ auffm Graben/ gegen der Alt Städter Pforten über/ wo man es Wprolomeneꝰ, oder im Durchbruch nennet/ und ihr Wirth hieſſe Lucas Welensky. Denſelben bathen ſie/ daß er erläuben wolte/ damit ſie ihnen den Saal mahlen lieſſen. Solchs der Wirth/ wegen ſeines Hauſſes Zierde/ erläubete. Alſo lieſſen ſie auff der einen Seiten des Saals/ unſers HERRN CHRISTI Einzug zu Jeruſalem und ſeine Paſſion und

auff der andern Seiten des Papſts Wandel anmahlen. Erſtlich/ wie der Papſt in güldenen Stücken/ und die Cardinäl (deren Roß mit köſtlichen Decken gezieret/) zu Rom herrlich einziehen. Auff der andern Seiten dagegen aber/ wie der Herr Chriſtus auff einer Eſelin demüthig zu Jeruſalem einreitet/ und ſeine Jünger ihme barfuß nachfolgen. Wiederumb/ ſo hat der Papſt eine güldene 3fache Krone/ der Herr Chriſtus aber dagegen eine Dorne krone auff ſeinem Haupt/ und war des dings dem Pabſt zur Schmach/ viel angemahlet/ wieſen es dem einfältigen gemeinen Volcke/ und brachten ihrer dadurch viel vom Gehorſam und der Chriſtlichen Ordnung. M. Ioannes Hus aber/ welcher dieſen zweyen Engelländern/ als Iacobo und Conrado, ſo wohl auch des Wickleffen Lehre (doch nicht öffentlich) anhinge/ thet von dieſem Maalwerck in ſeinen Predigten viel Meldung/ ſagende/ daß dieſes eine rechte figur wäre. Das gemeine Volck/ deme dieſe Ding unbekandt/ ließ es ihm ſehr wohl gefallen/ etzliche aber ärgerten ſich drüber/ und fiel zwiſchen dem Volcke viel Diſputation und Zanck vor/ denn der Papſt war von etlichen gelobt/ von den andern aber geſchendet. M. Iohann von Huß in eltz/ M. Hieronymus von Prag/ und dieſe zweene Engellän-

lånder aber/ſind faſt wie vor einen Mann geſtanden.

Zacharias Theobaldus in bellum ſuum Husſiticum pleraque transſumſit ex Hagecio, niſi quod ex hoc ſequi videatur vnicam tantum in vno latere fuiſſe figuram, cum ex Hagecio pateat, plures in eo pariete fuiſſe figuras, ſingularum vero oppoſitum in altero, quibus theſis & antitheſis Chriſti atque antichriſti repræſentata fuerit.

§. IV. Quod ſi coniectare licet, haſce Candelburgiorum figuras ſeruari videmus in Codice manuſcripto, quem bibliotheca noſtra Salana poſſidet. Auro eleganter eſt diſtinctus & variegatis coloribus pictus. Antiquitatem præfert duorum ſeculorum & dimidii. Titulum talem habet: *Bohuslaus de ſue cauſa memorie manu propria me fecit:* cui litteris minuſculis ſubſcriptum eſt: *antitheſis Chriſti & Antichriſti.* Sequitur præfatio, quæ lingua ſcripta eſt Bohemica, & dialogus eſt duorum inter ſe de communione ſub vtraque. Sequuntur ſtatim picturæ, quæ abuſus & corruptelas eccleſiæ Romanæ declarant & redarguunt. Videmus ibi pontificiorum auaritiam ac Simoniam depictam, tyrannidem & vitia alia. Maxime vero theſis & antitheſis Chriſti atq; antichriſti ex figuris hiſce ſæpius pa-

multa quædam ſunt inſcripta, ſed lingua Bohemica. Adnexæ ſunt epiſtolæ variæ, vel ab ipſo Huſſo paullo ante obitum ſcriptæ, vel ab aliis deſcriptionem mortis atque conſtantiæ Ioannis Huſſi & Hieronymi Pragenſis continentes; quibus acceſſit & Poggii Florentini ad Leonardum Arctinum epiſtola conſtantiam Huſſi laudans eximie. Impreſſæ ſunt hæ epiſtolæ Conſtantiæ anno 1486. Ex iis autem quæ diximus ſatis patebit, figuras haſce antitheſin Chriſti & antichriſti repræſentantes, deſumtas eſſe ex Fratrum Candelburgiorum cœnaculo. Easdem enim quas memorat in Chronico ſuo Hagecius, figuras in hoc depictas videmus codice, licet ab auctore Bohuslao plures fuerint additæ, quæ corruptos pontificiorum mores arguerent.

§. V. Plures figuras videmus additas poſt dictas epiſtolas quæ theſin & antitheſin docent morum priſcæ eccleſiæ Chriſtianæ, cum hodiernis pontificiorum corruptelis. Inter quas optima mihi videtur, quæ a latere ſiniſtro exhibet vndecim viros genu flectentes atque orantes, adſtantibus iis a facie duobus aliis; per quod auctor ſine dubio apoſtolos notare voluit, in locum Iudæ duos candidatos cum precibus Domino offerentes. Ab altero latere Cardinalem videmus fœminæ pontificalem coronam imponentem. Precibus enim eligebantur apoſtoli; ex poli-

ticis rationibus hodienum pontifices. Subſequuntur dein varia ſcripta, hinc inde minoribus figuris exornata, quæ tamen lingua Bohemica ſunt exſcripta, cuius interpretem noſtra academia non habet; vti tamen ex figuris coniecto de communione ſub vtraque, potisſimum agunt. Si interpretem reperire licet, & in eo quædam reperiantur notatu digna, ſeparatim ea quoque exhibebimus.

§. VI. Aliam antitheſin de præclaris Chriſti & indignis antichriſti facinoribus Simon Roſarius ſub medium ſeculi decimi ſexti exhibuit, prout eandem Wolphius* lectionibus ſuis memorabilibus inſeruit. Quis Roſarius fuerit non conſtat, nec & a Wolphio notatum videmus, præmiſit autem verſus ſequentes:

inuenias ex parte bonos, ex parte malignos,
in quouis vitæ, lector amice, ſtatu.
Sic ſacer ordo lupos nutrit falſosque prophetas,
qui Curios ſimulant, diripiuntque gregem.
Qui malus eſt ſcriptis ſeſe putet hiſce notari:
tangitur hic nemo, quem ſua vita probat.
Qui bonus eſt, myſtasque malos defendit, is vna
criminis ipſorum ſe facit eſſe reum.

Antitheſes ſequuntur octodecim, ex vita & geſtis Chriſti cum pontificum collatis petitæ, quarum quædam cum figuris noſtri Codicis conueniunt, pleræque tamen ſunt diuerſæ. Sub ſingulis aliquot traduntur diſticha figu-

* *Cent. XVI. p. m. 711.*

ras explicantia, quæ ſatis terſa ſunt & eleganter compoſita.

§. VII. Aliam adhuc editam vidimus antitheſin, cuius talis eſt titulus: *antitheſis figurata vitæ Chriſti & Antichriſti*; cum hiſce diſtichis:

Quam male conueniant cum Chriſti pectore Ieſu
Pontificum mores: iſte libellus habet.
Hæc lege: qui veræ pietatis amore moueris,
hoc pius: & lecto codice, doctus eris.

Exhibet figuras cum priori maxime conuenientes, & ſub ſingulis dictum ex ſacra ſcriptura conueniens. Sub pontificis vero antitheſi loca ex canonibus deſumta, quibus ſummam ſuam auctoritatem, aliaque quæ ſibi adrogant, adſtruere nituntur, breui ſemper addita epicriſi. In fine libri hæc ſcripta habentur: *Cum autem famoſus libellus dici non poſſit, niſi complectatur in ſe crimina & maleficia, manifeſtum eſt hunc libellum pro famoſo haberi non poſſe, neque ſub edictis contra famoſos libellos editis prohibitum eſſe. Cum omnia quæ in hoc inſunt libello, in pontificio ſpirituali iure, non ſolum tanquam licita, ſed etiam tanquam leges & canones inueniantur. Eſt autem hic libellus hoc potiſſimum nomine editus, tantum ad notificandum breuiter fundamentum ſpiritualis carnalis iuris*

 prae-

præcipue pro communi & publica vtilitate totius Chriſtiani orbis. Hæc æqui bonique conſulite, breui meliora ſequentur. Eædem figuræ cum ſubſcriptis in germanicum verſis, paullo poſt prodiere ſub titulo: *Paſſional Chriſti vnd Antichriſti.*

§. VIII. Iſtæ antitheſes eædem forſan ſunt, quas in catalogo teſtium veritatis commemorat Flacius *: *editæ ſunt*, inquit, *ab Oſiandro quædam propheticæ figuræ cum ſcholiis germanice & latine, ante 20 annos, quæ vt eius præfatio teſtatur, ferme ante 300 annos ab aliquo pio pictæ fuerunt. Eæ, vt facile quiuis animaduertere poteſt, indicant tum impietatem ingentem Papæ, qui a Chriſto defecerit: tum & interitum pœnasque eiusdem.* Andream ita Oſiandrum harum editorem facit, qui tamen antiquiorem facit auctorem, quam ipſa ratio ſuadet. Tales enim figuratas antitheſes vltra initiũ ſeculi decimi quinti non extendimus, iis exceptis quæ templorum parietibus ſparſim inſertæ; & facile coniecto, Candelburgios fratres iis primam dediſſe originem, cum ante horum tempora eiusmodi ſortis nihil reperiamus.

§. IX. Vltimo loco non prætereundas duximus figuras iſtas quadraginta, quas ſeruat ſplen-

* *n. CCXCV. ſub titulo figuræ propheticæ p. m. 738.*

ſplendidiſſima Bibliotheca & cimeliarchium Gothanum. Figuræ iſtæ mira arte & coloribus iuſte mixtis, ſeruata vbique menſura, debita, in ligno depictæ ſunt, antiquitatemque præferunt, vt mihi quidem videtur, ſesqui ſeculi, ante reformationis initia enim, eaſdem fuiſſe efformatas vix crederem, cum lingua germanica verſibus addita admodum ſit pura, & orthographia ſatis iuſta. Antitheſin æque Chriſti & antichriſti iſtæ repræſentant, vt ſemper figura figuræ ex oppoſito reſpondeat. Vtramque antitheſin hexameter ſemper facit, cuius prior pars inſcripta figuræ de Chriſto, altera figuræ pontificis addita vbique interpretatione Germanica.

§. X. Operæ pretium erit, vt ſingulas inſcriptiones pro ordine ſuo hic exhibeamus, cum res curioſa ſit, conſideratione æque atque admiratione digna. Hæ autem ſunt inſcriptiones, ex quibus de ipſis figuris quoq; ſatis patebit.

1.

Regna fugit Chriſtus, Chriſtus fleucht weltlich Königreich;
Sibi vendicat omnia Præſul, die ſich der Pabſt zueignet gleich.

2.

Spinoſam Chriſtus; Chriſtus trägt einen Krantz von Dorn/
Triplicem fert ille coronam, der Papſt von Gold eine 3fache Cron.

3.

Abluit ipſe pedes, Chriſtus wäſcht ſeiner Jünger Füß/
Reges his oſcula figunt, dem Pabſt man ſeine küſſen muß.

4.

Paſcit oues Chriſtus, Chriſtus ſeine Schäfflein weiden thut/
Luxum fouet ille ſuperbus, Pabſt lebt im Sauß und Ubermuth.

5.

Chriſtus adeſt humilis, Chriſtus zeucht ein ſanfftmüthiglich/
Præſul cum diuite pompa, der ſtoltze Pabſt gantz prächtiglich.

6.

Hic idola vetat, der Herr kein Götzen leiden kan/
Hic dicit: pronus adora, der Papſt gebeut ſie zu beten an.

7.

Baiulat ipſe crucem, Sein Creutz gedultig trägt der HErr/
Cum faſtu fertur at ille, Den Papſt tragen ſeine Schmeicheler.

8.

Nubat hic omnis ait, Chriſtus die Eh' will haben frey/
Cleros aſt ille repellit, der Pabſt verbeuts der Cleriſey.

9.

Hic tribuit fidei; Chriſtus durch den Glauben ſeelig macht/
Meritis dat Papa ſalutem, der Pabſt die Werck viel höher acht.

10.

Vendentes pepulit templo, Kauffleut treibt Chriſt zum Tempel naus/
Quos allicit iſte, die zieht der Papſt ins Gottes-Hauß.

11.

11.

Dat ſua Cæſaribus, Chriſtus dem Käyſer das ſeine gibt/
Pedibus quos conterit iſte, Welchen der Papſt mit Füſſen tritt.

12.

Vectigal ſoluit, Chriſtus der Herr gibt ſelbſt den Zoll/
Cleros hic eximit omnes, Sein Pfaffen freyt Er allzumahl.

13.

Hic prece peccatum, Chriſt gibt ſein Gaben aus umſunſt/
Precio ſed Papa remittit, die der Pabſt verkaufft um Geld und Gunſt.

14.

Vitam reſtituit, Chriſtus die todten aufferweckt/
Sanctos crudeliter vrit, die Heilgen der ins Feuer ſteckt.

15.

Sanguine nos Chriſtus, Chriſt durch ſein Blut all' Sünd' abwäſcht/
Mentito hic expiat igne, darzu der Pabſt ein Fegfeuer dicht'.

16.

Diſtribuit cunctis cœnam, Sein Nachtmahl gibt Chriſt' unzertrennt/
Quam mutilat ille, der leidig Pabſt es ſtümpelt und ſchändt.

17

Se extenuat Chriſtus, Chriſt wie ein Knecht ſich niedriget/
Papa ſe ſuper omnia tollit, der Pabſt ſich über all' erhebt.

18.

Spernit Chriſtus opes, Chriſtus acht weder Geld noch Gut /
Papa quas corradit auarus, der Pabſt ſäugt aus der armen Blut.

19.
Hic hominum commenta vetat, Chriſtus verwirfft all Menſchen tandt/
Quæ papa tuetur, damit der Pabſt beſchwert all' Land.

20.
Aſcendit Chriſtus, Chriſtus der Herr gen Himmel fuhr/
Deſcendit ad infera Præſul, In Abgrund die Babylo-niſch' Hur. ꝛc.

§. XI. Ad priorum ita imitationem etiam hæ figuræ efformatæ, cum figura ſecunda, tertia, quinta & ſeptima cum picturis noſtri Codicis & Candelburgiorum conueniant, reliquæ vero in pleriſque cum Roſarii antitheſi a Wolphio exhibita coincidunt.

OBSERVATIO XI.

HERTII OPVSCVLA VARIA IVRIDICA.

SVMMARIA.

T*Itulus operis eiusque commendatio*, §. I. *Excerpta ex diſſertatione de tutela regni* §. II. *ſeq. Tutelæ teſtamentariæ in regnis patrimonialibus locum eſſe contra Grotium*, §. III. *Tutela materna & legitima in his regnis*, §. III. *Ratio tutelæ in regnis non patrimonialibus*, §. IV. *De annis minorennitatis regiæ, de poteſtate tutorum regiorum* §. V. *Diſſertatio de hominibus propriis. De ſeruorum ac ſeruitutis ortu & progreſſu in Germania Media valde notabilia*, §. VI. *Interitus ſeruituris* in

in Germania & ortus hominum propriorum aliter ac vulgo ſit expoſiti. §. VII. *Iura hominum propriorum hodiernorum lacinias eſſe iuris Germanici antiqui, in ſeruos variis ſpeciminibus oſtenditur.* §. VIII. *Hominum propriorum ex nobilibus ortus & occaſus. Origo Baronum.* §. IX. *Diſſertatio de fide diplomatum Germaniæ Imperatorum & Regum. Variæ obſeruationes de lingua, litteris, ſigillis, formulis, ſubſcriptionibus Diplomatum,* §. X. *Differentiæ inter Diplomata Regum & Imperatorum Germaniæ,* §. XI. *Diſſertatio de lege, clauſula ne abrogari posſit munita. An expreſſa derogatione clauſulæ illius opus ſit in lege ſubſequente? item an lex expreſſa per conſuetudinem contrariam poſſit abrogari? quid iuris in lege iuramento vallata?* §. XII. *De fatis Legum hac clauſula munitarum.* §. XIII. *Diſſertatio de vno homine plures ſuſtinente perſonas. Regulæ quatuor de concurſu plurium perſonarum, vtra alteri cedat,* §. XIV. *Exempla plurium perſonarum, diuerſa, diuerſo reſpectu iura tribuentium ex iure vniuerſali ſecundum naturam diuerſarum ſocietatum,* §. §. XV. *Alia exempla ex iure publico.* §. XVI. *Et ex iure priuato.* §. XVII. *Commendatio operis Hertiani,* §. XVIII. *Index diſſertationum Tomi primi,* §. XIX. *ſecundi* §. XX. & *tertii* §. XXI. *Libri tres parœmiarum Iuridicarum,* §. XXII. *Commendatur rara Autoris eruditio in Antiquitatibus Germaniæ. Cauſa communis ignorantiæ morum*

rum patriorum, §.XXIII. *etiam intuitu Iuris publici*, §.XXIV. *Commendantur reſtauratores Antiquitatum Germanicarum ad Iurisprudentiam pertinentium, Schilterus, Dattius*, §.XXV. *Cocceio, Hertius*, §.XXVI. *Indicantur dubia ad diſtinctiorem notitiam perſonarum ſecundum mores Germaniæ pertinentia*, §.XXVII. *De Seruis Germanorum, operis Ruſticorum, iurisdictione patrimoniali &c*, §. XXVIII. *de ciuibus Germanorum* Bürger/ *de libertis*, von Schöppen baarfreyen Leuten/ *de opificibus &c.* §. XXIX. *de nobilibus*, §.XXX. *de miltiia Germanorum, de differentia inter ius feudale &* Prouinciale, *de feudis & allodiis, de ſeptem clypeis militaribus* §. XXXI. *Concluſio*, §.XXXII.

§. I.

PRodiit anno præcedente tractatus iuſti voluminis, cui titulus : *Ioannis Nicolai Hertii ICti & Anteceſſoris Giſſeni commentationum atque opuſculorum de ſelectis & rarioribus, ex Iurisprudentia vniuerſali, publica, feudali & Romana, nec non hiſtoria Germanica, argumentis, tomi tres. Francofurti ad Mœnum. Sumptibus Dauidis Zunneri, MDCC. in 4to.* Liber multum a multis deſideratus, eo quod ſemel atque iterum catalogis nundinalibus promiſſum fruſtra expectauerant, quibus ſaliua ex aliis Celeberrimi Autoris diſ-

diſſertationibus mota erat, hinc nouiſſimis autumnalibus prodiens exemplo ſuo comprobauit, optimæ rei non eſſe diuturnam nimis expectationem. Cum igitur haud vulgaris argumenti Diſſertationes plures contineat, nec tamen inſtituti noſtri ratio ſingulas permittat recenſere, vnam alteramue tantum nunc delibabimus, ſed breuiter ac ſtrictim.

§. II. Placet igitur ex Tomo I. Diſſertationem *de tutela regni, ſiue regnis ſub tutela conſtitutis* propius accedere. In hac poſtquam Excellentiſſ. Autor breuibus monuit, curam atque tutelam in regnis eodem iure cenſendas, quin & olim Romanis legibus ſubinde permiſtas, adeoque iuris poſitiui non naturalis, quoad differentiam eſſe, aggreditur ſpecies tutelarum iure Romano conſtitutas, & imprimis teſtamentariam, quam alii in regnis plane non, Grotius nonniſi in patrimonialibus, locum habere affirmant. Huius ſententiam a regnis non patrimonialibus tutelam teſtamentariam abſque cauſa remouentem, ratione deſtitui ex eo oſtendit, quod generaliter in eiusmodi regnis iudicandum ſit ex eo quod populus præſumtiue voluit: At vero, cui ſumma reipubl. delata, eidem & facultatem de tutela diſponendi collatam merito exiſtimari, tum & regnatoris intereſ-

ſe

ſe, vbi populus ſemel viam hereditariam elegerit, ne damnum in poſteritate forte patiatur; populi vero reſeruatum hic abs re præſumi, quia ſcil. hic inidoneum tutorem plane repellere, improbum rationes poſcere queat. Subiungit mox exempla, Caroli Sapientis in regno Galliæ, Alexandri in Macedonia, Henrici IIX. in Anglia, Philippi II. in Hiſpania, qui teſtamento de tutela diſpoſuerint, tum & recentiora Daniæ ac Sueciæ Regum, quorum illi libera facultas a populo *relicta*, quam regiminis rationem, minorenne regni herede futuro obſeruari velit, hic (Carolus Guſtauus(ipſo teſtamento tutelam filii in reginam & quinque Viros cum conſilio Senatus contulerit.

§. III. Inde porro in regno patrimoniali tutelæ teſtamentariæ locum eſſe confirmat, iſthoc argumento: Si pactum in vtilitatem regni comparatum, mortuo etiam rege perdurat, quid ni valeret vltima voluntas circa tutelam? Etſi non valeret, poſſe regem cum alio paciſci de tutela liberorum ſuorum poſt mortem ſuſcipienda, cui pacto robur haud dubie ineſſe putat. Inteſtato rege decedente, legitimam tutelam tribuit matri, propter tenerrimum erga natos affectum, nec non propter poteſtatem ex iure naturæ in liberos competentem patre mortuo. Eiuſmodi

modi tutorii regiminis exempla affert ex hiſtoria Turcica, Hiſpanica, Portugallica, Polonica, quin & Imperii noſtri. Ad propinquos vero nonniſi deficiente matre, extendit legitimam tutelam, licet proximam ſpem ſuccedendi habeant, cum tutela ad eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, vtilitatem (Cicerone teſte) inſtituta ſit, nec humanæ leges ſemper ſucceſſionis emolumentum, ſed pietatem & affectum, ut in tutela materna, reſpexerint.

§. IV. Porro in regnis non patrimonialibus tutelam quidem teſtamentariam obtinere docet, ita tamen vt populo ob graves cauſas ab vltima voluntate recedere integrum ſit: & hoc memorabili exemplo Ordinum Sveciæ illuſtrat contra teſtamentum Caroli Guſtavi, Adolphum Ioannem Palatinum ex numero tutorum atque omni parte regiminis excludentium, teſte Pufendorffio. Matri ad tutelam in his regnis adſpirare non permittit, niſi lex vel conſvetudo mulieres ſucceſſionis capaces pronunciet, nam per hoc etiam a tutela non excluſas intelligi putat; pari modo agnatis legitimam tutelam hic non competere, cum a iure naturæ nullam habeant prærogatiuam & Iure Romano tantum propter ſucceſſionis emolumentum tutelæ onus iis deferatur. Denique ſi regem captiuitate

vel alio quouis modo impediri contingat, inſtar tutelæ adminiſtrandum regnum aſſerit, nec capienti cum perſona regis iura ſimul atque regnum acquiſita cenſenda eſſe; itaque filio tutelam eo caſu cedere ad exemplum Iothami, cui ſuperſtitis Oziæ lepra laborantis anni in ſacra hiſtoria non tribuantur, indicio, Iothamum (filium) vicario nomine regnum adminiſtraſſe.

§. V. In Sect. 2. de annis curatelæ, intra quos regni adminiſtratio, regi minori non committenda, diverſorum diuerſas affert ſententias ac præ cæteris Grotii aſſertionem amplectitur, ſcil. ex probabilibus coniecturis, quas in regno patrimoniali penes domum regnatrciem, in non patrimoniali penes populum ſit diiudicare, rem omnem eſſe æſtimandam, imprimis cum Leges Romanæ in hac materia vix attendantur: euitandis tamen controuerſiis ac disſidiis optimum factu fore, vt expreſſa legis determinatio quoad annos accedat, Galliæ, Sueciæque exemplo. Dein diſputat contra Grotium, an ſumma poteſtas competat regni tutoribus, & cum Bœclero aliisque id regulariter negat, quoniam pupillo regi ius ac dominium omne ſaluum ſit ἐν κτήσει licet non ἐν χρήσει & quod ad tempus ceſſet, non pro extincto reputandum; Grotii tamen ſenten-

tiam ornat exemplo hiſtoriæ Gallo Byzantinæ valde notabili. Ultimo notat autoritatis aliquam diuerſitatem quoad regios & priuatorum tutores, ſiquidem illorum pacta cum extraneis inita rex minorennitatis obtentu infirmare non poſſit, alias enim ſecure cum tutoribus regiis nunquam pacta iniri, modo tamen mala fides abſit, nec ſi ipſorum autoritas a concilio aliquo ſuſpendatur, huius ratihabitio ſit neglecta. De cætero quicquid a regibus ut priuatis geſtum, in eo beneficium reſtitutionis in integrum obtinere, conſentiente Grotio concludit.

§. VI. In tomo 2. habetur diſſertatio *de hominibus propriis* non minus lectu digna. Prima ſectione Vir Excellentiſſ. Seruorum in Germania vetuſtisſimam originem poſt ea quæ Tacitus iamdum de ſeruitute memoravit, a victoria Francorum contra Alemannos & translatione Saxonum in Galliam & Belgium auſpicio Caroli M. facta deducit, ubi ſcil. ii qui in ſolo natali relicti ſeruili conditione viuere cœperint, adeoq; falſo ſibi quis perſuadeat, a Carolo M. ſeruitutem penitus fuiſſe ſublatam. Ortas de hinc varias diſtinctiones ſervorum in caſatos, ſeu glebæ addictos (quos & colonos LL. Boiaricæ appellitent) unde Coſſaten-Güter hodienum in terra Saxonica ſupereſſe ex Zieglero probat, &

non caſatos ſiue miniſteriales, qui in domum recepti, alio nomine Gaſindi iuxta Bignonium dicti fuerint, ſicut noſtri famuli das Geſinde: Ab his vero priuatorum mancipiis olim diſcretos fuiſſe fiſcales ſeu fiſcalinos h. e. ad ipſos reges pertinentes & Eccleſiaſticos, qui Eccleſiæ & regibus dono dati; priorum veſtigia quærit in Chronico Naſſouienſi an den Reichsleuten/ die die Graffen von Naſſau in ihren Graf- und Ritterſchafften haben. Slauos nouum genus ſeruorum acceſsiſſe putat Autor noſter ſeculo X. poſtquam ab Henrico Leone Sax. Duce & Alberto Urſo Marchione Brandenburgico ob latrocinia in vicinos Chriſtianos, a quorum religione diſceſſerant, magnam partem extirpati vel in ſeruitutem detruſi fuerint, ut adeo per totam Europam ſparſis gentile nomen in ſeruile ceſſerit. Circa manumisſionem notat §. 7. eam vel plene, vel minus plene contigiſſe. Plenæ qua nexu ſeruili ſerui penitus exſoluebantur, ceu ſignum olim adhibitas fuiſſe portas apertas liberam abeundi facultatem oſtendentes, & hinc vocem Paßport deſcendere. Minus plenam manumisſionem ſub conditione certi ſeruitii vel obſequii datam, qui modus manumittendi Epiſcopis vel Abbatibus valde ſolennis, ſimulque cauſa fuerit tot differentiarum inter homines in mona-

naſteriis & Epiſcopatibus viuentes, litos quippe, ſeruitores, Saxones, Slauos, colonos tributarios vno terrarum ambitu numeratos legi apud Browerum in Antiquit. Fuldicis cap. II.

§. VII. Secunda ſectione gratis dicta videntur Autori Noſtro, quæ Conringius de ſeruitute per vniuerſam Germaniam poſt annum Chriſti 900 penitus ſublata pronunciat; contrarium enim ex diplomatum poſt conditorum tenore ac tot. tit. X. de coniugio ſeruorum, Bartoli, Baldi atque Bodini teſtimonio luculenter probari. Igitur ſenſim in Germania ac maxime ſub Sueuicis Imperatoribus id contigiſſe arbitratur, ſub his etiam inualuiſſe, vt qui antehac ſerui, nunc homines proprii dicerentur: ac de hominibus propriis fatetur, paſſim per Germaniam ſupereſſe tales, qui tamen alibi propius ad naturam ſeruorum accedant, alibi nonnihil ab eadem recedant, inde in vniuerſum fluctuans hominum genus inter liberos & ſeruos merito dicendi.

§. VIII. Tertia porro ſectione recenſet aliquot reliquias ex iure ſeruorum antiquo in hominibus propriis hodienum extantes. Huiusmodi ſunt 1) quod proprii homines a ſeruis ortum ducant, adeoque nullatenus de iniquiore ſorte ſua conqueri debeant 2) quod

ius circa homines proprios vt olim ita & hodie non fluat ex ſumma poteſtate ſiue Iurisdictione aut ſuperioritate territoriali; poſſe enim aliquem aliquo iure proprietatis ad hunc, iure ſuperioritatis ad alium pertinere. 3) quod libera voluntate homo proprius quisque fieri poſſit, vti olim; imo ad Imperatorem in quibusdam regionibus pertinuiſſe ſpurios, Königs-Kinder inde appellatos, quales in Marchia Badenſi Carolo Marchioni Fridericus III. Imperator donauerit anno 1468. 4) quod in Pomerania & vicinis locis homines proprii ſine conſenſu dominorum matrimonia inire haud valeant, 5) quod plerumque ad ſeruitia vel operas præſtandas teneantur, Frohn-Dienſte/ vbi ſimul connotat, hanc vocem a primitiuo Frohn/ ſacrum quid ſignificante iuxta ſummarium Speculi Sax. deriuari, cui conueniant Frohnleichnam/ Frohnfaſte/ Frohnaltar/ primitus ergo iſtiusmodi operas locis ſacris deſtinatas, dehinc latius extenſas fuiſſe, 6) quod Dominis ſuis aliquid ſingulis annis, puta gallinam aut nummos pendere ſoleant, 7) quod in alios pacto vel teſtamento transferri poſſint & hoc ſubiecto exemplo ſatis declarat, 9) quod in Marchia Brandenburgica, Megapolitano Ducatu aliisque inferioris Germaniæ locis domino

minorum iure non ſuo prædia poſſideant, & hinc absque iniuria expellantur. 9) quod domini præcipuum quid ex hereditate hominum propriorum ſibi aſſerant Hauptrecht / Erbrecht. 10) quod a Dominis rei vindicatione repetantur. Contra hoc (olim das Beſatzungs Recht) multas ciuitates priuilegio cæſareo ſeſe muniuiſſe, imprimis Northuſanæ vrbis priuilegio clare teſtatur. 11) quod dimisſi homines proprii accipiant Codicillos manumisſionis, Laß-Brief/ Mann-recht. 12) quod præſtationes aliquas poſt manumisſionem hominum propriorum ſibi reſeruauerint domini, vnde feuda ruſtica a Beſoldo non incongrue deducta. Concludit tandem, vtut legum Romanarum in hac materia ſit aliquis vſus, attamen pleraque hactenus dicta Germaniæ noſtræ ſeruitutis quaſi lacinias eſſe.

§. IX. Sectione quarta aliud genus propriorum hominum ex nobilium ordine in ſcenam producit, miniſteriales olim vocatos (diuerſos tamen a vaſallis fuiſſe oſtendit in Diſſert. de ſubiect. territ. §. 11.) Dienſtleute/ item Edle Knechte nec eosdem cum militibus & famulis confundendos docet, quorum crebra in chartis mentio fiat: horum enim characterem omnibus etiam ſummi ordinis nobilibus communem & cum perſona extin-

ctum fuiſſe, at functionem miniſterialium in ſexto tantum nobilitatis clypeo conſtitutam & in heredes tranſitoriam. Occaſionem huius conditionis in miniſterialibus refert Autor ad natiuitatem vel ſpecialem traditionem ſui quaſi ex pacto, prout videre eſt ex allegatis exemplis Alberti von Steinau de anno 1331. & fratrum de Bramſtede, qui Eccleſiæ Bremenſis miniſteriales facti, ille vero Henrici ſenioris Ducis Bauariæ. Plurima quoque cum hominibus propriis communia habuiſſe §§. ſubſeq. ordine docet, dominis ſcil. competiiſſe poteſtatem ita reſtringendi matrimonia miniſterialium, vt extra terminos regionis ſuæ vxorẽ quærere haud licuerit, itemque poteſtatem vindicandi illos, permutandi, præcipuum ex hereditate defuncti miniſterialis capiendi & manumittendi; quo refert originem vſitati hodie moris in pueris nobilibus das wehrhafft machen: a nobilibus vero ſæpe diſtingui in chartis, quod & ipſi quidem miniſteriales nobiles, at inferioris ordinis fuerint, hinc alios reſpectu eorum *κατ᾽ ἐξοχὴν* nobiles dictos iudicat. Poſtremo deſiiſſe hos miniſteriales circa medium ſeculi XIV. cum cœpiſſe deprehendantur ſeculo XI. In fine annexa eſt obſeruatio de Baronibus in imperio noſtro, ſcil. nobiles illos, qui nulli Domino ſe mancipaſſent, liberos au-

audiiſſe, hincque factum vt nobilium filii primum, poſtea optimates omnes Barones vocarentur, Principes vero & Comites ex functione propriis titulis ſplendeſcerent, vt Baronum titulus apud liberos; nobilium, qui olim generalis fuerat, apud miniſteriales reſideret.

§.X. Eodem Tomo agmen claudit Diſſert. *de fide Diplomatum Germaniæ Imperatorum & Regum.* Prima ſectione in genere circa diplomata caute æſtimanda tam ratione externorum quam internorum aliquot traduntur obſeruationes; ſecunda ſectio in ſpecie de regiis diplomatibus & quomodo ab Imperatoriis diſcernenda ſint, agit. Initio igitur ad externa diplomatum refert linguam & non aliam niſi latinam vsque ad Rudolphum I. in conficiendis tabulis adhibitam eſſe diſerte aſſerit. Licet enim Francico ſiue Theodiſco ſermone ſcripta monumenta alia ex Carolino æuo ſuperſint, ac inſuper Schilterus Francici imperii populos (germanicæ originis) ſua lingua ſcriptas leges habuiſſe tradat, nondum tamen proferri potuiſſe teutonico ſermone ſcriptum diploma ante Rudolphi I. tempora; hunc autem (quicquid in contrarium de conſtitutione ab ipſo anno 1274 edita alii obiiciant) & ſucceſſores eius æque latina ac germanica lingua diplomata condi-

N 5 diſſe

diſſe vsque ad Fridericum III. ſicut hodienum vtramque in negotiis publicis vſurpari videamus. Porro linguæ genium attendiſſe plurimum ad detegendam chartarum falſitatem conferre notat, eaque occaſione obſeruat, titulum Maieſtatis etiam Francicos Reges primæ & ſecundæ ſtirpis, vt & Saxonicos Imperatores ſibi aliquando, quamuis raro, tribuiſſe. Tertio docet literas Germanicas Friderici II. Imperatoris tempore demum inuentas, hinc diplomata ante illum latinis literis, licet vernaculo ſermone, exarata in avtographis deprehendi. Literarum ductum variaſſe & abbreuiaturas iam ſub Merouingis & Carolingis vſitatas fuiſſe, v. g. Dni. D. Ihu. Xpi. Sc̃ti. nri. pro Domini, Dei, Ieſu, Chriſti, Sancti, noſtri. Vſum cifrarum probabiliter ſeculo XII. & XIII. cœpiſſe, cum Autore der Monatl. Unterredungen de anno 1693. m. Iunio conſentit. Monogrammata a Carolo M. vsque ad Fridericum III. viguiſſe, de quibus Anton. Mathæi ex inſpectione chartarum a ſeculo 12. obſeruauerit, nullum ſi bulla diplomati appenſa, monogramma adhibitum reperiri. De ſigillis notat, Merovingicos plerumque vſos annulis ſolo titulo N N. Rex Francorum & imagine ad collum vsque protenſa ornatis, gemmeoque diademate, præter Carolidarum effigies,

quæ

quæ thoreaceatæ, variis inſcriptionibus & laureo diademate circum caput cinctæ in nummis conſpiciantur: ad hæc ſigilla fuiſſe affixa olim non penſilia (quanquam ſub Suevicis demum Imperatoribus penſilia i.e. bullas introductas eſſe Leubero concedere Autor nolit) & in his aquilam bicipitem vſurpaſſe primum Ludouicum Bauarum, poſt Carolum IV. Scripturam atrô liquôre (interdum aureo) in membrana, rariſſime in charta vulgari, licet annis abhinc 500. inventa, exaratam. Hactenus externa Diplomatum. Ad interna refert principium diplomatis, vbi de formula Dei gratia, titulis ab antiquo præmiſſa, itemque de titulo, ſemper Auguſtus, Cæſar Auguſtus &c. varia memorat. De medio diplomatum notat, imprimis ſub Saxonicis Imperatoribus, nunquam obſeruari, eos in concedendis diplomatis ſcitu, conſilio aut aſſenſu Procerum Imperii vſos fuiſſe. Denique circa calcem Diplomatum de ſubſcriptione regis & referendarii, imo (nouo more Seculo XII. inducto) teſtium aliquot, annotatione item loci & temporis, ac tandem de diuerſitate Sigillorum erudite quidem diſputat ac multorum de hiſce rebus ſententias ex genuinis hiſtoriæ fontibus excutit, ſed noſtrum iam non eſt

ſin-

ſingula tranſcribere, quia maximam partem exemplis & ritibus iſta nituntur.

§. XI. Secunda ſectione enumerat Autor aliquot notabiles differentias, quibus diplomata regum ab Imperatoriis diſtinguenda. Ex his prima eſt quod rex olim ante inaugurationem Pontificis ſemper audierit, qui poſt eam obtentam Imperator Auguſtus fuerit appellatus. Secunda quod in ſubſcriptione diuerſa fuerint ab Imperatoriis regia monogrammata, quodque ſubſignationem aliam Imperatores adhibuerint atque Reges, quandoquidem hi ante coronationem Romanam non bulla ſed ſigillo vſi fuerint, in quo effigies regia, non imperiali, corona & aquila non biceps ſed vniceps apparet. Vltimo in notatione temporis Imperatoribus, qui reges fuerant, ſolenne fuiſſe notat, vt & regni & imperii tempus exprimerent, quæ omnia inductione haud paucorum exemplorum corroborantur.

§. XII, Tertium tomum operis Hertiani euoluenti mox in fronte occurrit elegans diſſertatio *de lege clauſula, ne abrogari posſit, munita*. In prima ſectione diſquirit quousque ſeſe extendat huiusmodi clauſularum vis, cum ſint diuerſæ ab inuicem opiniones, non quidem an licita ſit talis legis abrogatio, ſed an neceſſum ſit, eam expreſſe reuocari. Initio

itio autem Bartoli ſententiam profert, indi-
inćte ſentientis, poſterius ſtatutum non
alere, niſi expreſſam reuocationem prioris
ontineat, argumento a materia teſtamen-
aria ad LL. ducto: vbi quidem monet Au-
or noſter, videri omnino declaraſſe iſtam
rotestationem antecedentem, quod volun-
tas ſtatuendi in ſequente defuerit, & præſu-
mi, non ſponte factam legem, ſed alterius
ſuggeſtione extortam, quemadmodum de Iu-
re Canonico quoque ſecundum reſcriptum
contra primum non ſuſtineatur, niſi huius in
illo mentio fiat; attamen his non obſtanti-
bus accedit ſententiæ Baldi exiſtimantis, ſi
quando diſpoſitio præcedens deroget pote-
ſtati, clauſulam illam nihil operari, cum le-
gislator poteſtati ſtatuendi, quippe quæ ſit
iuris publici, renunciare nequeat; ſi ſolen-
nitati, ſecundam diſpoſitionem non valere,
neglecta forma in priori præſcripta; ſi volun-
tati, poſterius euertere prius, clauſula nem-
pe generali tantum firmatum: non obſtante
aliquo contrario. Sed & his notabilem ad-
dit limitationem, ſi ſummus imperans certæ
formæ in LL. ferendis ſeſe alligauerit: vti e-
nim ex l. 8. C. de legibus (vbi Theodoſius
ait: Scitote patres conſcripti, non aliter im-
poſterum legem a noſtra clementia promul-
gandam, niſi ſupra dicta forma fuerit obſer-
vata

vata) & Nov. 152. (vbi Iuſtinianus conſtituit, vt nulla Sanctio pragmatica de cauſis publicis concepta, robur habeat, priusquam præfecto Prætorio inſinuata & ab eo probata fuerit) clare pateſcat, ſummum Imperantem temperamentum poteſtatis ſuapte voluntate omnino inducere poſſe, ita quoque non dubitandum, ſi v. g. Rex nolit quidquam valere, niſi quod ſenatus approbauerit, irritum fore actum ea approbatione deſtitutum, qualis declaratio voluntatis non adimat *ipſi* poteſtatem. Cæterum poſtquam obiter de Reſcriptis Principum obſeruauit, ea huc non pertinere, vtpote priuatorum negotia ſpectantia, mouet quæſtionem de conſuetudine, quatenus hæc poſt legem derogatoriam introducta valere posſit: Et reſpondet, non valere, ſi lex ei expreſſa reſiſtat aut deroget; falſo enim a quibusdam doceri, quod ad legem obſeruantia, ſiue vt uſu ſit recepta, requiratur. Interim conſuetudinem, ait, vim ſuam exſerere in illis legibus, quæ non directo præcipiant, ſed varietatem arbitrii tantum excludant; item vbi lex aut legis ratio non ſit contraria, vel hæc ambiguitate *labo*ret, cuius conſuetudo optima interpres. Vltimo, ſi iuramento lex vallata, quod ipſum quoque clauſulæ derogatoriæ vim habere vulgo tradant, exiſtimat cum Grotio, ne quidem

em publicæ vtilitatis cauſa a talibus legibus
ecedendi ius eſſe, quoniam & de ſuo ciuitas
edere potuerit, & verba posſint eſſe ita aper-
a, vt nullam exceptionem admittant, ſi ta-
nen ſinguli iuraſſent, ſe legem ſeruaturos,
aaud dubie a collegio eam tolli poſſe.

§. XIII. Sectione ſecunda de fatis Legum
quæ hac clauſula munitæ, acturus Autor
tum ex Codice Theodoſiano, tum ex Iuſti-
nianeo multas huiusmodi leges recenſet,
ſpeciminis loco etiam ſecundum praxin ho-
diernam examinat L. hac edictali C. de ſe-
cund. nupt. tum ex Aurea bulla, quæ hac
clauſula ſæpisſime vtitur, octo mutationis
circa illam factæ capita ex mente Limnæi, ſu-
binde tamen adiecta cenſura ſua, repetit, ſi-
mul & occaſione quæſtionis, vtrum A. B. o-
mnium Statuum conſenſu mutari debeat,
vtriusque partis argumenta de nono Electo-
ratu acriter diſputata ordine exponit. Sed iſta
hic inſerere prout iacent, non eſt inſtituti
noſtri, imprimis cum apud alios frequens
eorum tractatio occurrat. Sectio Tertia
continet explicationem l. 19. ff. de Decurion.
& applicationem eius ad præſentem mate-
riam, quatenus ſcil. immunitatibus ab oneri-
bus publicis & donationibus rerum ad fiſcum
delatarum haud raro clauſula adiici ſolet,
quod hac lege non obſtante irreuocabiles eſ-
ſe

ſe debeant; ſed huius clauſulæ exiguam in tali negotio vtilitatem probe declarat.

§. XIV. Aliam adhuc non ignobilis argumenti Diſſertationem ſuperaddere placet, cui rubrum: *De vno homine plures ſuſtinente perſonas.* Diſtincta & hæc in aliquot ſectiones. Prima ſect. traduntur quædam regulæ, ex quibus intelligas, cuius perſonæ iura attendenda ſint, ſicubi plures in vno homine occurrant, quod fieri haud abſurde poſſe, tum ex principiis moralibus, tum ex ipſo vocabulo perſonæ docet, quippe cuius e ſcena ad munia vitæ ciuilis vſus fuerit translatus. Prima regula eſt; cum iura duarum perſonarum in vno coeant homine, idem ſeruari in vno, quod alias obtineat in duobus; ſic ergo plurium officiorum compotem, quibus ſingulis coniuncta ſalaria vel priuilegia, his perinde gaudere ac plures officia illa adminiſtrantes. Sic exercentem duas artes, quæ diuerſis ſubſint ſtatutis, ad obſeruationem vtriusque artis ſtatutorum obligari ex Card. Tuſcho concludit, niſi tamen vtriusque perſonæ eadem ſit ratio, vel ſibi inuicem eædem repugnent, v. g. iudicis & aduocati, vel denique conuentione aut lege aliud ſtatutum ſit. Secunda regula eſt: Quoties actus a duplicem perſonam gerente vnius tantum contemplatione fit, huius tantum iura attendun-

duntur. Vſum regulæ in materia præcedentiæ inſignem prædicat, ſimulque connotat, ab aliis eum ita concipi: Quatenus quis ex perſona vnius ius eligit, eatenus illius vicem ſuſtinet, ſed male; cum ius eligendi non ſemper competat ex arbitrio noſtro. Namque vnius eccleſiæ Epiſcopum & alterius ſimul Canonicum in hac, vbi Canonici munere fungitur, Epiſcopales honores minime prætendere poſſe, ſic & magiſtratui illatam iniuriam non mox vt magiſtratui illatam æſtimari, quia minimũ in delictis ſemper præſumatur. Hinc tertiam producit regulam: Quoties nulli fit præiudicium, is eligit, qui duplicem perſonam gerit, quam perſonam velit reſpici; id quod exemplo Imperatoris noſtri declarat, qui qua Archidux Auſtriæ legatos ad Turcarum Imperatorem mittat, liberaque, vi Capitulationis, poteſtate gaudeat, cum exteris ſub eodem reſpectu fœdera pangendi (quanquam iſtud magis reſtrictionem quam electionem arguat, præſertim ſi Capitulationis tenorem inſpicias) Quartæ regulæ is eſt ſenſus: quoties non conſtat, quo intuitu quid agatur & vnus homo duplicem ſuſtinet perſonam maiorem & minorem, maioris tantum ratio habetur. Ex hoc capite legatum Principi relictum Principis morte non expirare legibus noſtris recte de-

ciſum putat, in dubio enim illi, qua Princeps eſt, illud relictum videri, non qua ciuis reipublicæ. Vlterius quoque vſum huius regulæ recentiori exemplo diſceptationis, circa duplicem perſonam inter illuſtres anno 1687. coram Imperialis Cameræ iudicio inſtitutæ, comprobat.

§. XV. Secunda ſectione producit Autor varios caſus ex iure naturali potisſimum, quibus demonſtret duplicem perſonam ſuſtinentes duplici etiam iure gaudere. Sic patrem familias in domo ſegrege reſpectu aliarum domuum in ſtatu naturali viuere putat, adeoque fœdera cum aliis aut bellum facere poſſe, quo refert Abrahamum, Iſaacum & Iacobum ex hiſtoria ſacra: reſpectu vero partium domus ſuæ aliam ipſi tribuit perſonam vxoris, aliam liberorum, aliam ſeruorũ intuitu. Et in vxorem quidem proprie dictum imperium competere contra Pufendorffium defendit, ita vt ob grauiora crimina ſeuerius in eam animaduertere poſſit, itemque poteſtatem in liberos recte diſtingui in patre, qua pater eſt, & qua caput familiæ, at huius fundamentum non ex pacto tacito patrisfam. & liberorum, verum potius ex pacto, quod inter maritum & vxorem intercedit repetendum videri, dum enim recipiat vxorem in domum ſuam maritus animo li-

be-

beros gignendi adiumento & propugnaculo ſibi futuros, etiam citra horum conſenſum, eousque durare patris poteſtatem, quousq; commodum ei viſum fuerit, ex quo olim factum, vt ſegreges familiæ paulatim in parua regna coaleſcerent, teſte propemodum omnium populorum hiſtoria. Circa poteſtatem in ſeruos iterum abit a ſententia Pufendorffii exiſtimantis, qui vltroneo conſenſu ſe ſeruum alteri fecerit ſi delinquat atrociter in Dominum eiusque familiam, non ex iure imperii ſed tanquam hoſtem morte affici, opponit enim, cum pacto illo haud dubie imperium in alterum transferatur, conceſſa ſimul intelligi omnia ſine quib9 illud conſiſtere non poteſt. Pariter eundem patremfam. poſtquam in ciuitatem conceſſerit, non tantum vt caput familiæ ſed etiam vt ciuem & ſubditum conſiderari debere, adeoque iura illa quæ cum imperio ciuili ſimul ſtare non poſſunt v. g. ius cædis in delinquentes ſeruos, filios &c. amittere ſtatuit. Quoad ſummum Imperantem obſeruat, eum reſpectu exterorum in ſtatu naturali viuere, ſed in ciuitate, vel qua talem; vel qua pars ciuitatis eſt, reſpici, vnde proueniat ICtorum illud: Reges in contractibus vti iure communi; ſicut e contrario in actibus mere regiis nihil impediat, reges ſibimetipſis, teſtimonium perhibere

bere, quale quid in Anglicanis Legibus legiſſe ſe teſtetur Scipio Gentilis ad L. 3. de donat. inter vir. & vx. Interdum quoque regem in vno regno diuerſas perſonas ſuſtinere, ſi nimirum ipſe partem ſummi imperii habeat, partem alteram populus aut Senatus vt in mixtis rebuspubl. vbi ſecundum Grotium Regi in partem non ſuam inuolanti iuſta vis opponi poſſit, quia eatenus imperium non habeat. Porro Magiſtratus in ciuitate huc refert, quod ratione inferiorum & qua iudices publicæ ſint perſonæ, at ratione ſuperiorum & in cauſa propria priuati. Tandem addit plurium ciuitatum ciues, quatenus nõ dubitandum, obligationes inde ſuſceptas ſimul ſtare poſſe, maxime cum etiam peregrini in ciuitate ratione actuum, quos ibi celebrant, imperio eius ciuitatis ſubeſſe teneantur, licet ſuæ ciuitatis perſonam haud depoſuerint.

§. XVI. Tertia ſectione pertractat Autor aliquot ſpecies eorum, qui diuerſas perſonas gerunt in Imperio Romano Germanico. Ac primum quidem Imperatorem oſtendit, vel vt Romæ & Prouinciarum ad eam ſpectantium Imperatorem conſiderari, (qua occaſione contra Monzambanum copioſe probat, Carolum M. & poſtea Ottonem ſucceſſoresque

que multo plus conſecutos fuiſſe titulo Imperatoris, quam ius defenſionis & Aduocatiæ ſedis Romanæ, idque tum ex propoſito Pontificis populique Romani in conſtituendo Imperatore, tum ex modo quo ſe ei obligarunt, tum ex Iuribus ipſis quæ ab Imperatore exercita) vel vt Regem Italiæ, vbi diuerſos ciues & peculiaria olim iura habuerit, vel vt Archiducem Auſtriæ, quo reſpectu Carolus V. duplici formula Ferdinando fratri iura competentia confirmauerit, als Römiſcher Käyſer an unſer und ſein ſelbſt ſtatt und unſern löbl. Hauß Oeſterreich/ idemque ſibimetipſi mandaſſe legatur: vel vt Eccleſiarum quarundam Canonicum, vti imprimis Eccleſiæ collegiatæ Aquenſi nouiſſime Rom. Regem adſcriptum ex ſolennitatibus Coronationis eius narrat. Deinde breuibus etiam in Statibus Imperii duplices perſonas reperiri demonſtrat, quatenus aut diuerſæ conditionis territoria poſſidentes diuerſis Statuum Collegiis accenſeantur, aut qui ſimul Electores, multa præcipua iura exerceant, aut alii ſub Eccleſiaſticorum charactere vi ſuperioritatis territorialis ſeculares Principes agant.

§. XVII. Sectione quarta ſubiungit ex iure priuato exempla nonnulla duplicem perſonam ſuſtinentium, ſcil. ex l. 3. ff. de adopt.

opt. ſi conſul ſit filiusf. poſſe eum apud ſemetipſum emancipari vel in adoptionem dari: quam diſpoſitionem cum Doctoribus extendit ad omnia negotia voluntariæ iurisdictionis. Ex §. 4. I. de inoff. teſt. ſi tutor nomine pupilli ex teſtamento patris ſui inofficioſo legatum acceperit, poſſe nihilominus eum ſuo nomine de inofficioſo teſtamento patris agere. Item notarium qua talem, publicam teſtamento fidem conciliare, ſimul & inter 7. teſtes connumerari, imo proprium teſtamentum in inſtrumentum publicum redigere poſſe. Similem caſum ex Euerardi Locis legalibus allegat his verbis: reliquit aliquis teſtamento cuilibet fratrum Prædicatorum 10. ſcutatos, & Priori Biblia: hic Prior 10. ſcutatos habebit vt vnus ex fratribus & Biblia vt Prior. Vltimo dubii nihil habet quod cuiuis adminiſtratori duplicem perſonam aſſignat Autor v. g. tutori, procuratori, officiali: cum ex Legibus haud paucis conſtet, huius generis homines vt tales, non de ſua, ſed eius cuius nomine contrahunt, pecunia ſolutionem promiſiſſe cenſeri, nec depoſita adminiſtratione amplius obligari.

§. XVIII. Hactenus excerpta quarundam diſſertationum Hertianarum ab Amico transmiſſa. Mihi omnes & ſingulæ placent, non quod in omnibus cum ipſo ſentiam, (ea enim

eſt

eſt ratio Iuriſprudentiæ noſtræ, vt conſenſus ICtorum in omnibus ſperari non poſſit, nec adeo diſſenſus modeſtus alterutri diſſentientium dedecori eſſe debeat) ſed quod vbique deprehendantur multa lectio & autorum quidem optimorum ex antiquitate pariter ac nouioribus & modernis temporibus; coniunctio item philoſophiæ & Hiſtoriarum cum Iuriſprudentia, duorum videlicet luminum omnis diſciplinæ, ſine quibus in tenebris ambulant, quotcunque Iuriſprudentiæ ſacra adire & aliis viam monſtrare aggrediuntur, etſi plurimi & pene innumeri. Accedunt ſelectus materiarum, iudicium ſingulare, ac modeſtia rara & laudabilis, quoties Noſter ab aliis diſſentit, & rationes ſui diſſenſus exponit. Vt non poſſim non diſſertationes Hertianas iis qui iuri dant operam inſigniter commendare, etſi alias de diſputationibus Academicis (quarum pretio quidem nihil detraho, nec eas vilipendo,) ne meis quidem exceptis, varias ob rationes, non adeo magnifice ſentire ſoleam, iisque curtam eſſe arbitrer eruditionis ſupellectilem, qui vltra diſputationes nihil ſapiunt, aut quorum bibliothecæ præter myriades diſputationum nihil lectu dignum oſtentare poſſunt. Sed nulla regula præprimis apud ICtos eſt ſine exceptione. At exceptionem illam poſtulauit

rara eruditio, quæ in diſſertationibus Hertianis vbique & abſque oſtentatione quidem ſe conſpiciendam præbet.

§. XIX. Vt igitur maiorem adhuc ſalivam moueam Lectoribus, placet diſſertationum indicem huc tranſcribere. Diuiſit autem Vir Celeberrimus lucrubrationes ſuas in tres tomos, in quorum primo continentur meditationes ad iuriſprudentiam vniuerſalem pertinentes, ſecundus diſſertationes iuris publici & tertius ſelectiores materias iuris priuati exhibet. In primo agit de iuriſprudentia vniuerſali, de ſocialitate, primo iuris naturalis principio, de Colliſione legum, de lytro, de literis commeatus pro pace, de commeatu literarum, de matrimonio putatiuo, de modis conſtituendi ciuitates, an ſumma rerum ſemper ſit penes populum, ac denique de tutela regni.

§. XX. Tomo ſecundo diſſerit de Notitia ſingularis Reipublicæ, de iudicio Reuiſorio, de ſpecialibus Romano-Germanici Imperii Rebuspublicis, earumque diuerſis nominibus & figuris, de hominibus propriis, de ſuperioritate territoriali, de ſubiectione territoriali, de conſultationibus, legibus, & iudiciis in ſpecialibus Romano-Germanici Imperii Rebuspublicis, de Electione ArchiEpiſcopali Colonienſi, de Feudo Nobili, de feudis

dis oblatis, ac de fide diplomatum Germaniæ Imperatorum & Regum.

§. XXI. Tomus tertius ſiſtit diſcurſus de lege, clauſula, ne abrogari vnquam poſſit, munita; de tranſitione priuilegii perſonalis ad alios; de vno homine plures ſuſtinente perſonas; de conuentionibus dominii translatiuis; de pacto ne dominus rem ſuam alienet; de ordine cauſarum in iudicio tractandarum; de ſeruitute facto conſtituta; de condictione indebiti ciuiliter, debiti naturaliter; de obligatione mandantis & mandatarii, contemplatu tertii; de ſocietate facto contracta: de fructuum perſecutione in actionibus perſonalibus; de quaſi poſſidente probante; de inſpectione oculari; de herede occiſi vindice; de prælegatis; de iure ſuperficiario; de electione ex obligatione alternatiua debitori debita; & de obligatione alicui datorum factorumue.

§. XXII. Adiecti ſunt huic Tomo libri tres Parœmiarum iuris Germanicarum, antea diſputationibus publicis expoſitarum, quarum ſingulas Autor Conſultisſimus ſic explicat, vt originem pariter & vſum earundem tradat. Libro primo centum & viginti parœmias proponit ad ius priuatum pertinentes e. g. Iuriſten böſe Chriſten; Es iſt beſſer ein magerer Vergleich/ als ein fett Urtheil/

theil; Hand muß Hand machen; Was die Ege beſtrichen/ und die Hacke bedeckt hat/ folgt dem Erbe; Wer recht ſchweret/ betet recht; Wagen gewinnt/ wagen verliert; Kauff geht vor Miethe; Ein jeder Kauffmann lobet ſeine Wahr; Einen geſchenckten Gaul/ ſiehet man nicht ins Maul; Kinder und Narren reden die Wahrheit; Borchart iſt Lehnharts Knecht; Ein alter Mann/ ein junges Weib/ gewiſſe Kinder; Wer einen Heller erbt/ muß einen Thaler bezahlen; Der Todte erbt den Lebendigen; Wer ſäet/ der mäet; Herren und Heiligen gehen über alles; Lang geborgt iſt nicht geſchenckt; Man hängt keinen/ man habe Jhn denn; Hexen weinen nicht; Viel Handwercke verderben den Meiſter ꝛc. Liber ſecundus & tertius, ille viginti quatuor, hic octo parœmias ad ius publicum & vniuerſale ſpectantes ſiſtunt, v. g. Wenn der Käyſer ſtirbt/ ſetzt ſich der König in Sattel; Schirms Gerechtigkeit giebt keine Obrigkeit; Ein Ritters Weib hat Ritters Recht; Bürger und Bauer ſcheidet die Mauer; Worte brechen kein Geleidt; Wer darff jagen/ darff hagen; Am Geding iſt keine folge; Das Hembde iſt einen näher als der Rock; Viel Köpffe viel Sinnen ꝛc.

§. XXIII.

§. XXIII. Etſi vero ſingulares iſtæ virtutes ſupra memoratæ, ingeniū & iudicium Autoris demonſtrantes magnifaciendæ ſint; præprimis tamen æſtimanda eſt eius rara & in ſtudio Iurisprudentiæ vtiliſſima notitia antiquitatum Germanicarum, quæ paſſim & potiſſimum in Tomo II. atque in ſupra relata diſſertatione de hominibus propriis ſe conſpiciendam exhibet. Laborauimus hactenus iſto defectu, quod in ſtudio Iuris Hiſtoriam Germaniæ nimium quantum neglexerimus. Gloſſatores primi Iuris Romani omni notitia antiquitatum deſtituebantur. Poſt Alciatos, Balduinos, Hotomannos, Duarenos aliosque Iurisprudentiæ reſtauratores defectum illum, qui impediebat, quominus ius Romanum erudite explicari poſſit, vtcunque emendauimus, ſed iſta emendatione effecimus, vt ignoremus iura & antiquitates patriæ noſtræ. Nec errabimus ſi dicamus, poſt introductionem iuris Romani & ſtudii quod vocatur bonarum artium in Germaniam, nos peregrinos plane in patria fuiſſe effectos. Præterquam enim quod euidens ſit, bonas artes vniuerſali pene conſenſu ad ſtudia Latii & Græciæ ſolum referri, & fere adhuc pro piaculo haberi, ſi quis audeat doctrinam cuiuscunque diſciplinæ in idiomate Germanico proponere; vel Gloſſator

tor Speculi Saxonici oſtendere poteſt, quam inconcinne Iura Patria ex iure Romano exponantur. Et nihil aliud effecit Gloſſator iſte Gloſſis ſuis & interpretationibus Iuris Saxonici, quam vt nihil intelligamus de textu ſpeculi. Nec diſſimile mihi videtur iſtud genus commentandi, ac ſi quis iura Principum Germaniæ Euangelicorum circa ſacra, ex arcana quadam ordinatione Turcica de officio & poteſtate Muffti & iure Imperatoris Turcici in religionem Turcicam, commentatione quadam explicare intendat. Poſtquam ergo glosſis eiusmodi obſcuratum eſſet Ius Germanicum, ambitioſa huius Gloſſatoris imitatione, & nimio amore erga Ius Romanum eiusque contorta applicatione ad cauſas ſubditorum Germaniæ effectum eſt, vt Ius patrium, quod olim plerisq; de plebe etiam notum erat, plané ignoremus & nos torqueamus iure, quod nec ad ſtatum reipublicæ Germanicæ olim nec hodie, nec vnquam aptari potuerit. Certus enim ſum ex mille negotiis, quæ in foro tractantur, quæque non ex moribus communibus Gentium (quorum multa capita quidem in iure Romano recenſentur, ſed tamen non ideo in vſu ſunt, quia ibidem continentur) ſed ex peculiari ac ciuili ratione definienda ſunt, vix decem eſſe, quæ non ex legibus patriis longe

longe melius quam ex Iure Romano poſſint deduci, etſi ignorantia illius nos cogat ad Ius Iuſtinianeum recurrere, & exinde argumenta legum ſæpe longisſime quæſita petere, vel denique, ſi pudor aliquis ſaltem nobis reſtat, fateri, quod ea non habeant vſum.

§. XXIV. Quemadmodum autem iam a longisſimo tempore & ab ipſa Academiarum introductione ICti ob infauſtum illud Iuris Iuſtinianei ſcrutinium putarunt, piaculum eſſe, ſi vltra glebam illam, cui adſcripti erant, quicquam ſaperent, adeoque prudentiam omnem ciuilem neglexerunt, & ſolum ad cauſas priuatorum intricandas ſe applicuerunt, aut, ſi forte inter ipſum Imperatorem & Status Imperii horumque ſubditos quæſtio ageretur, vlna iſta ſua impertinente eam metiri aggreſſi ſunt; ita ſimul euenit, vt & ſtatum publicum Germaniæ, eiusque inſignes mutationes, a quarum cognitione tamen genuina legum Germanicarum interpretatio pendet, ob negligentiam illam ſtrenue ignoremus, adeoque cœci anteceſſores cœcos iuvenes poſt nos ducamus.

§. XXV. Debetur tamen & hoc, præter inſignia alia bonitatis diuinæ teſtimonia, prouidentiæ ſummi numinis, quod creſcente quotidie magis magisque ſtudio veræ ſapien-

pientiæ & genuinæ eruditionis, etiam ex ICtis quidam noſtris diebus a Deo deſtinati fuerint, qui poſtquam Conringius Medicus ruborem prius nobis excuſſerat, & ex ſomno quaſi expergefecerat, inſignem operam dederunt, mores patrios & hiſtoriam Iuris Germanici qua priuati, qua publici e tenebris iterum in lucem protrahendi. Iohannis Schilteri ICti Clariſſimi diligentia iam diu nota eſt, & loquuntur eximia eius commentaria ad Pandectas, & Speculum Iuris Sueuici, quantum ipſi Germania debeat. Iohannes Philippus Datt vnico de Pace Imperii publica Volumine edito, ibique potiſſima quæ ad intimiorem notitiam ſtatus publici in ſeculo XII. XIII. XIV. & XV. pertinent, quæque antea longe aliter concipiebantur, explicando, inſignem lucem legibus publicis & receſſibus Imperii accendit, cui quemadmodum reſpublica literaria pro egregie nauata opera multum debet, ita gratum animum non melius teſtari poterit, quam ſi illuſtri Autori a Diuino numine vitam longæuam & vires ac otium precetur, quo & reliqua, quæ in nunquam ſatis laudando illo opere hinc inde promittit, & ex quibus publicum non minorem vtilitatem ſibi pollicetur, quamprimum edere valeat.

§. XXVI. Sunt quidem minores tracta-

tus

tus, ſi chartæ quantitatem ſpectes, quibus illuſtres Duumviri Henricus Cocceius,&Hertius noſter, ille potiſſimum in Iurispublici prudentia, hic in volumine ſecundo diſſertationum,Iurisprudentiam publicam ornarunt ſed eo vaſtior in iis latet eruditionis apparatus, ſi quis partim incognita hactenus aſſerta hiſtorica ex antiquitate Germanica eruta, eorumque inſignem vſum in abiiciendis & refutandis præiudiciis, quæ hactenus cathedras Academicas occupauerant, partim multifariam lectionem optimorum autorum qui vbique citantur, conſideret. Si ex Coccеii Iuris publici prudentia vel ſola capita de Hiſtoria ſeptem Prouinciarum Germaniæ & de quatuor archiofficialibus regni, conferantur cum doctrina communi, quæ hactenus regnauerat,apparebit, in quantis tenebris hucusque ambulauerimus. Et ſi ex Hertii diſſertationibus vel ſola de hominibus propriis conferatur cum notisſima illa triga tractatuum de hac materia, Bonacoſtæ, Huſani, & Stammii, quos omnes exſcribunt & allegant, nemo non videbit, quid diſtent æra lupinis, & quam nihil ſolidi & eruditi hactenus de hominibus propriis docuerimus.

§. XXVII. Mihi, cum in hoc ſtudiorum genere non liceat eſſe tam felici, vt, ob curtam

tam ſupellectilem lectionis Hiſtoriarum, veritates Hiſtoricas inueniam & detegam, in id tamen incumbo, vt quacunque occaſione exhibita, eas ſincere quæram, & ab aliis inventas amplectar ac foueam, iisque in exterminandis erroribus communibus vtar. Non tamen diffiteor, me hinc inde adhuc hærere in multis, cuius rei defectum potisſimum adſcribo, quod multa capita de origine & progreſſu ſtatuũ in regno Germanico horumq; differentia vel a ſtatu perſonarum in aliis regnis, vel prout is hodienum in Germania ſe habet, adhuc lateant in obſcuro, vel certe nondum ſatis perſpicue ſint expoſita. Prima diuiſio perſonarum eſt in liberos & ſeruos. Liberi ſunt vel ignobiles vel nobiles. Nobiles vel nobiles in ſpecie vel maiori nobilitatis genere fulgentes. De ſingulis mallem vt a Viris antiquitats patrias callentibus dubia nounulla mihi eximantur.

§. XXVIII. Ac de ſeruis & hominibus propriis quidem præter ea quæ ab Hertio eruditiſſime ſunt tradita, dignum foret ſcire, an plane verum ſit, quod communiter traditur, in Germania ſeruitutem eſſe abrogatam. Video ipſum Hertium ea de re dubitare & rationes dubitandi afferre, ac tetigi ea de quæſtione nonnulla alibi, vbi de iure dandi ciuitates ſtatibus imperii competente, egi, ſed me-

meretur tamen res vlteriorem diſquiſitionem, neque puto in vniuerſum procedere, quod ſub Imperatoribus Sueuicis ſenſim ſeruorum conditio ſit ſublata, etſi ab illis temporibus hominum propriorum Eigen Leute mentio fiat. Nam homo proprius vel natura vocis eſt homo qui eſt in proprietate & dominio. At hic reuera ſeruus eſt. Non nego multos ex inſtinctu Epiſcoporum eſſe manumiſſos, nego quod omnes ne quidem ſucceſſiue manumiſſi ſint. Multa ſunt litigia etiam hodie circa præſtationem operarum ruſticarum, & de diſtinctione earum in operas determinatas & indeterminatas. Arbitror, in iis locis, vbi adhuc hodie ſunt homines proprii, ignorari determinationem operarum. In aliis prouinciis vbi diſtinctio illa viget, credo determinatas operas eſſe indicium manumisſionis, indeterminatas autem rudera antiquæ ſeruitutis. Credo quod hi ruſtici indeterminatas operas præſtantes habeantur pro liberis hominibus, non manumisſioni deberi, ſed errori Iure Conſultorum, poſt introductum in Academias Ius Iuſtinianeum ſtulte quærentium, an homines proprii ſint ſerui, eamque quæſtionem non ex principiis doctrinæ politicæ & hiſtoriæ patriæ, ſed ex principiis Iuris Romani ad ſtatum Germaniæ non quadrantis, ſtultius negantium. Credo ruſticos citius pro liberis hominibus haberi cœ-

piſſe iis in locis vbi Academiæ citius floruerunt: Credo iis in locis, vbi adhuc hodie iidem ſunt homines proprii ſeu ſerui, Ius Romanum non eſſe receptum, vel certe multo ſerius. Credo huic errori ICtorum originem debere Iurisdictionem patrimonialem, Iuri Romano plane incognitam. Credo hanc Iurisdictionem reuera, quoad originem, nihil aliud eſſe quam poteſtatem domeſticam, degenerantem in iurisdictionis aliquam ſpeciem, quæ a perſonis quæ in patrimonio ſunt (talis autem nemo præter ſeruos eſt) patrimonialis dicta fuit, &c.

§. XXIX. Hinc vaſtus ſe campus aperit disquirendi, de iure Germanorum in ſeruos manumiſſos, & de diuerſis conditionibus, ſub quibus manumiſſiones fiebant, deque diuerſis libertorum ſpeciebus. Ante extructas cum cura ciuitates ſi qui manumitterentur, puto manſiſſe ruſticos cum operis tamen determinatis, vel etiam cum impoſito cenſu. Cum autem Epiſcoporum ſuaſu multi multos vt in formula erat, pro ſalute animæ ſuæ manumitterent, ab his libertis ciuium der Bürger fundamenta eſſe iacta alibi monſtraui. Præſtaret igitur de origine & progreſſu ciuium, horumque a ruſticis differentia quoad mores & viuendi genera, per ſecula mutationes & augmenta docere, vti Hertius fecit in hominibus propriis.

Et

Et cum inter ciues etiam ſint diuerſæ conditiones, & vnum viuendi genus altero honeſtius haberi ſoleat, v. g. mercatura artibus manuariis, profeſſio liberalium artium mercatura &c. ex antiquitatibus Germanicis, ſepoſitis alienis doctrinis iuris Romani, explicandum foret, quid ſint in legibus Germanicis eigene und freye Leute / Bauergülden/ Pfleghafften/ Laſſen / Zinsleute/ Erbzins-Leute/ Schöppenbaar freye Leute / Ruchloſe Leute rc. Nam hi termini ſæpius in Iure Germanico occurrunt, & credo v. g. per doctrinam de emphyteuſi Romanorum, doctrinam der Zinſe und Erbzinſe ſeu Cenſuum in Germania magis eſſe confuſam & obſcuratam quam expoſitam. Et quod attinet homines liberos ad ſcabinatus aptos, Schöppenbaarfreye Leute/ quorum ſæpius in Iure Germanico fit mentio, puto per eos intelligi digniores ex ciuibus, qui in vrbibus, quæ non erant ſub regimine Nobilium der Geſchlechter/ ad regimen admittebantur. Credo enim primos libertos ab Epiſcopis in ciuitates translatos cauponandi arti dediſſe operam, vnde in Germania coctio cereuiſiæ das Bierbrauē eſt modus viuendi ciuilis, iſt eine Stadtnahrung/ tum ſucceſſu temporum hoſpitiorū mercenariorū & mercaturæ vſus a libertis illis fuit introductus. Quod vero o-

pificia manuaria attinet, eorum ante extructas ciuitates fuit vſus in pagis, ergo ruſtici erant opifices. Sed poſtea, cum nobiles illi præprimis qui aulam ſequebantur, etiam in ciuitatibus habitare inciperent, ſimul ſeruos ſuos opifices ex pagis in vrbes deduxerunt, vt adeo primis temporibus iſti opifices in vrbibus ob ſeruilem conditionem mercatoribus & hoſpitibus fuerint poſtpoſiti, nec ita ad Scabinatus admiſſi. Sed & hic multa de origine & augmento opificiorum ex antiquitatibus Germanicis erunt eruenda, quæ intacta reliquit Adrianus Beierus, cuius alias laudabilis eſt labor, quem in concinnando iure opificiario adhibuit &c.

§. XXX. Etiam de nobilibus multa nondum ad euidentiam deducta ex antiquitate eruenda reſtant. Vt enim alibi oſtendi, veroſimile eſt, eos quos hodie nobiles appellamus, olim fuiſſe omnes ingenuos, i. e. ruſticorum dominos ſeu domicellos Junghern/ nobiles vero antiquos ſeu etiam Adelingos dictos fuiſſe illos ex ingenuis, qui ſtrenue rem geſſerant in militia & digni erant quibus officia ducum & comitum conferrentur. Poſteaquam vero ciuitates extruerentur multis ciuitatibus gubernandis præponebantur nobiles, qui in vrbibus habitabant, & ad differentiam reliquorum appellabantur

Ge-

Geſchlechter. Apparet etiam ex dictis ratio cur nohiles Germaniæ abhorreant a mercatura, quia mercatura primitus in Germania exercebatur a libertis. Porro cum poſtea Henricus Auceps multas vrbes extrui curaret, & torneamenta inſtituerentur, & alia ciuium & alia nobilium augmenta & requiſita fuere introducta. Illud etiam diſquiſitionem meretur, qui factum, vt cum antiquitus, prout oſtendit Hertius de hominibus propriis, nobiles qui ſe ſeruitiis principum addixerant, pro ſeruis aliquo modo fuerint habiti, & qui ab aula eſſent remoti pro liberis dominis, ſucceſſu temporis aulici dignitatibus præcedant reliquos qui in libertate manent, remoti ab aula, &c.

§. XXXI. Lucem etiam ex his obſeruationibus accipiet doctrina de militia ſelecta veterum Germanorum, & imo totum ius Feudale Germanicum, quod æque per ius Longobardicum eſt corruptum hodie, ac ius prouinciale per Ius Iuſtinianeum. Nam puto ruſticos tanquam ſeruos ad militiam non fuiſſe admiſſos, ſed ſolos ingenuos ſeu nobiles militaſſe. Imo puto ciues tanquam libertos demum ſucceſſu temporis in militia fuiſſe vſurpatos. Vnde puto Ius Germanicum feudale eſſe ius Nobilium, ius prouinciale eſſe ius Nobilibus & ciuibus commune. Vti

verò nobiles omnia ſua bona in feudum accipiebant, ita & inueſtiebant ruſticos ſuos potiſſimum manumiſſos bonis, ita tamen vt non præſtarent ſeruitia militaria, ſed operas determinatas aut cenſum. Imo ipſi ciues in ciuitatibus de bonis inueſtiuntur adhuc hodie, idque in plerisque locis fit pileo tanquam antiquo ſigno libertatis. Non abſurda ergo foret opinio quorundam Doctorum, qui putant bona nobilium præſumi in dubio feudalia, etſi id ex principiis iuris Longobardici falſum eſt. Sola enim bona ciuium & ruſticorum manumiſſorum videntur olim fuiſſe allodialia, in quibus omnes heredes ſuccederent, quia pro iis non præſtabantur ſeruitia militaria ſed aliud quid. In ipſa autem militia nobilium fundabantur diuerſæ dignitates eorundem, ſecretæ diuerſis clypeis. Vnde doctrina iuris Germanici de ſeptem vel octo clypeis militaribus, quam quiprobe intelligit, & quid denotent diuerſi gradus libertatis der freyen / mittelfreyen / ſemper freyen / item der Ritter und Knechte / ille dimidiũ & plurimas partes iuris Germanici intelliget. Neque enim ſufficere hic videntur ea, quæ Schilterus in expoſitione Iuris Feudalis Alemannici quoad explicationem clypeorum militarium attulit. Et doctrina de

de valuaſoribus & valuaſinis rem magis obſcurat, quam clariorem reddit.

§. XXXII. Sed hæc omnia quis melius illuſtrare & demonſtrare poſſet, laudatis ſupra Duumviris? quos adeo publice rogamus, vt hunc honorem faciant moribus patriis, atque, cum nemo præter ipſos, quos ſciam, melius inſtructus ſit apparatu lectionis ad hanc rem neceſſario, & iudicio ſubacto & exercitato, rem & iucundam pariter & maxime vtilem ac proficuam in noſcendo iure, cuius concluſiones infinitæ ſe quotidie offerunt, fruſtra ex iure Iuſtinianeo deducendæ, aggrediantur, atque adeo ſitim & expectationem omnium, qui patrios mores amant, expleant. Hoc enim demum pacto, quod inter maxime deſiderata in ſtudio iuris prudentiæ refero, habebimus tandem aliquando iuſtum commentarium vel certe perſpicuam periphraſin & ſpeculi Saxonici & Sueuici.

OBSERVATIO XII.

CONTINVATIO OBSERVATIONIS XXI. TOM. I. DE GVILIELMO POSTELLO.

Σύνοψις.

ORdo dicendorum, §. I. *Male audit Poſtellus ob Virginem Venetam*, §. II. *Defenditur tamen a Florimundo Ræmundo*, §. III. IV. Ἐπίκρισις, §. V. *Prima eius hypotheſis inter pracipuas, veritatem & myſteria Chriſtianæ religionis ex ratione demonſtrari poſſe*, §. VI. *Altera hypotheſis, animam Chriſti ante conditum mundum creatam & τῷ λόγῳ vnitam eſſe*, §. VII. *Tertia eius hypotheſis de Alphabeto cœleſti* §. VIII. *A Poſtello eam ſumſit Gaffarellus, pluribusque fuit communis*, §. IX. *Inepte probatur a Gaffarello*, §. X. *Quousque admitti posſit*, §. XI. *Quarta eius hypotheſis de mundo ſex annorum millia duraturo*, §. XII. *Quinta eius hypotheſis de rerum omnium reſtitutione*, §. XIII. *Ex dictis iudicium de Poſtello formatur*, §. XIV. *Ex Richardi Simonis Epiſtola quadam hactenus dicta illuſtrantur, & confirmantur*. §. XV. *Libri eius indicantur*, §. XVI.

§. I.

PErſequemur nunc ea quæ de Poſtello dicenda reſtant. Primo autem de Virgine Veneta quam tantum non vt idolum aliquod coluiſſe dicitur, diſſeremus, tum præcipua doctrinæ eius, in quibus ſeorſim ab aliis ire videtur capita indiabimus.

§. II.

§. II. Gabriel Prateolus in elencho omnium hæreſium inter libros quibus Poſtellum infanda in orbem euomuiſſe ſcribit, hunc etiam refert, quem de *Veneta Virgine* edidit. Matthias autem Flacius in epiſtola *Tom. I.* harum obſeruationum inſerta, cum retuliſſet Poſtellum Venetiis libellum de Veneta Virgine velut alterum Montanum de ſua Priſcilla & Maximilla edidiſſe, tantos in eo errores & furores aſſeri addit, vt cloacam Satanæ id ſcriptum & eum hominem merito vocare poſſes. Sed notius eſt quam vt pluribus a nobis confirmari debeat, quod vel ob hunc ipſum libellum, & aſſertiones quasdam de Virgine Veneta, aliis eius ſcriptis inſperſas, tantum non apud omnes peſſime audiat.

III. Nihiloſecius defendere in hoc quoq; capite ac purgare Poſtellum aggreſſus eſt *Florimundus Ræmundus*, ſiue potius cuius ſtylo vſus eſt *Ludouicus Richeomius Soc. Ieſ.* in opere *de ortu, progreſſu & interitu hæreticorum huius temporis*, quod opus cum Gallice, latine & germanice prodierit, nobis tamen Germanica tantum verſione vti licuit. Sed tota iſta quam *part. II. c. XV. p. 322.* vbi de Mennoniſtis & Deiſtis agit, inſtituit, narratio de Poſtello ita comparata eſt, vt omnino locum hic ſibi vindicet. Primo itaque Poſtellum auctorem

Deiſtarum eſſe diſerte negat; magnam illi inferre iniuriam pronunciat, qui de illo eiusmodi quid affirmet. Atque vt innocentiam viri demonſtraret, ſe commotum dicit ad vitam eius paulo accuratius exhibendam. Primo itaque commemorat quod in Normannia natus, in Academia Pariſienſi bonis litteris eruditus ſingularem linguæ latinæ, Ebraicæ, ac Græcæ ſibi comparauerit notitiam; hinc in Italiam eum profectum tandem veniſſe Venetias, vbi in notitiam venerit piæ atque honeſtæ Virginis, quæ rerum omnium inopi ſumtus ad ſtudia continuanda ſuppeditauerit. Hanc itaque matris nomine inſigniuit, ſicut illa vice verſa Poſtellum filii inſtar habuit. Interim cum variæ circa religionem coortæ eſſent diſſenſiones, cum aliis Poſtellum quoq; eo adductum eſſe dicit Raimundus, vt aliquandiu incertus dubiusque hæreret, ad quam accederet partem. Per varias itaque orbis gentes peregrinatus, non apud Chriſtianos modo ſed Turcas etiam atque Iudæos veritatis quæſiuit veſtigia: variique generis libros hanc ob cauſam ſumma diligentia perſcrutatus eſt. Romam tandem delatus, inque hæreſeos ſuſpicionem adductus, Venetias remigrare coactus, vbi tamen a iudicio inquiſitionis captus iterumque Romam abductus & in carceres coniectus eſt, ex

ex quo quo pacto euaſerit, in priori iam a nobis dictum eſt obſeruatione.

§. IV. Poſt varia ergo fata in Galliam rediit, vt porro Raimundus docet, ibique magno omnium applauſu docuit, librumque iſtum de Virgine Veneta tandem edidit. Mox fama percrebuit Iohannam illam Venetam a Poſtello pro Redemtrice fœminarum venditari, vti Dauid Georgius pro ipſo Chriſto ſe venditaſſet. Aſt ſummam hoc ipſo Poſtello factam iniuriam Auctor iſte aperte contendit. Rationes ſunt 1) quod fieri vix poſſit, vt vir tam excellenti doctrina præditus, ad iſtum dementiæ peruenerit gradum: 2) quod ex eius ſcriptis nihil eiusmodi colligere liceat: 3) quod ipſe Poſtellus cachinno exceperit ſtultitiam hominum eiusmodi ſententiam illi tribuentium. Interim in honorem virginis iſtius Venetæ librum illum a ſe ſcriptum non inficiatus eſt, quam quod matris nomine inſigniuerit, nemini mirum videri poſſe, quippe cui plus quam matri ſuæ debeat, cum ab hac vitam equidem, ab illa autem media veram ſapientiam ſibi comparandi, conſecutus ſit. Multa alia idem Ræmundus de Poſtello affert, quæ partim in priori obſeruatione iam commemorata ſunt, partim huc non pertinent. Præcipue id evincere annititur, eum miſſo omnibus pere-

gri-

grinis opinionibus nuntio, bona fide eccleſiæ Romanenſis dogmata iterum amplexum eſſe, in iisque conſtantem ad vitæ vsque finem permanſiſſe.

§. V. Ego Poſtelli librum de Virgine Veneta nec vidi nec legi, adeoque non id mihi ſumo, vt meum interponere iudicium audeam. Quod ſi tamen ex iis quæ in aliis eius ſcriptis hac de re obſeruaui, quæque alii narrant, colligere liceat, quæ maxime videntur veroſimilia, ita de toto hoc negotio pronunciare nullus dubito. Primo exiſtimo Poſtellum in encomiis quibus virginem illam Venetam ornauit, omnino modum exceſſiſſe: id quod minime equidem laudandum: interim nec verba eius ſtrictius hac in re capienda ſunt, vt abſurda ſaltem inde varia colligantur. Poſtulant hanc æquitatem a lectoribus ſuis & auditoribus oratores, vt hyperbolis ac exaggerationibus, quibus haud raro vtuntur, dent veniam; eamque a plerisque impetrant. Cur ergo ea denegabitur Poſtello, ſtudio gratum animum declarandi ad hyperbolicas laudes in Virginem Venetam conferendas abrepto? Ne quid autem diſſimulem, hac ratione nonnulla equidem, non tamen omnia quæ de Veneta Virgine dixit, excuſari poſſunt: cuiusmodi illud eſt, quod in epiſtola ad Schwenckfeldium extat: *Mater*

ita-

itaque mundi quæ Chriſtus in ſui parte inferiori eſt, reſtituit omnia. Quin omnes prius damnati quam nati neſciunt quid faciant. Ipſa eſt ſacroſanctus ille ſpiritus & corpus cœleſte ſiue ſpirituale per quod ſine externo miniſterio infunditur vera ac rationalis naturalisque cognitio ſui & Dei ſumma. Aſt dubito an hæc & ſimilia omnino ad virginem Venetam referenda ſint, licet prima fronte ad eam referenda eſſe videantur. Etenim ſub hiſce ſimilibusque Poſtelli locutionibus συμβολικόντι latitare videtur, vt quicquid de *cœleſti Eua & matre mundi* diſſerit, ad naturæ reſtitutionem adumbrandam ab eodem referatur. Simile quid in *Valentino VVeigelio* deprehendi, qui itidem tres videtur ſtatuere Euas, vnam cœleſtem, quæ filium Dei pepererit, alteram quæ Chriſtum, & tertiam denique quæ eccleſiam, *part. II. Poſtill. p, 286,* & *part. III. p. 74. it. p. 76.* quæ ἀλληγορικῶς intelligenda eſſe nemo dubitauerit. Aperte autem Poſtellus, *Euam nouam reſtitutæ naturæ auctorem* vocat *in ſponſo ſuo, ſicut ipſe fuit reſtitutæ gratiæ.* Quicquid ſit, συμβολικῶς hoc ſimiliaque eum intellexiſſe valde eſt veroſimile; adeoque magna grauisſimarum accuſationum pars, quibus Poſtellus tantum non obruitur, ſua ſponte corruit.

§. VI. Sed de ceteris accuſationum capiti-

tibus vt nunc eo rectius ſtatui queat, ſummã doctrinæ Poſtellianæ per pleraque eius ſcripta diſperſæ, eundo per præcipua momenta paucis deſignabimus. Primo in omnibus fere ſcriptis ſuis id agit, vt religionis Chriſtianæ veritatem ex rationis rectæ ſcitis demonſtret. Dixerim non immerito hunc præcipuum ac primarium ſcopum eſſe, quem Poſtellus in omnibus ſuis ſtudiis & commentationibus ſuis ſibi præfixerit. In eo tamen negotio ita ſe gerit, vt non excludat ab eo ſcripturam, ſed rationem cum ſcriptura coniungat. Eum in finem concinnauit iſtam Trinitatis ex lumine rationis demonſtrationem, quam iam in obſeruatione priore §. XII. ex libro eius de *natiuitate mediatoris vltima p. 205.* attulimus. Eandem tamen iam vſurpauerat in libro *de orbis terræ concordia l. c. c. 3.* & iterum repetiit in libro *de rationibus Spiritus S. l. 1. c. 1.*

§. VII. Deinde altera hypotheſis regnans & cui doctrina Poſtelli innititur, eſt Cabbaliſtica illa de humana anima Chriſti ante conditum mundum a Deo creata & cum τῷ λόγῳ coniuncta, per quam vt creatio rerum omnium, ita & earum reſtitutio peragatur. Huc omnia fere tendunt quæ in libro de natiuitate mediatoris vltima diſſerit. Statuit enim ibi quatuor ſpirituum genera, Spiritum

Dei

Dei immobilem, Spiritum Chriſti mobilem & per quem omnia producta ſint, hoc eſt, vt ego capio, animam humanam iam ante mundum conditam, cum τῷ λόγῳ coniunctam, ſpiritum angelicum,& ſpiritum humanum. Hinc itaque quatuor mediatoris natiuitates aſſerit p. 103. ſeq. Primam namque eam intelligit, qua filius Dei ab omni æternitate a patre genitus eſt: quam dum explicat, repetit eam Trinitatis demonſtrationem, cuius antea iniecimus mentionem. Per ſecundam natiuitatem ſapientiam creatam, verbum creatum, veritatem creatam, vitam creatam & ceteras perfectiones finitas vnitas eſſe & coniunctas cum infinitis. Nimirum hoc niſallor eſt, quod Cabbaliſtæ etiam docent, ex quibus ſua hauſiſſe videtur Poſtellus. Mentem illorum ita ediſſerit Henricus Morus in Expoſitione Viſionis Ezechielis ſiue Mercauæ, quæ extat *Tom. I. Opp. Philoſ. p. 482. Animam Meſſiæ in mundo Aziluthico tantum profeciſſe, & tam arcto amore ac vnione cum diuino intellectu ſiue æterno logo coaluiſſe, vt tandem ſummo plane gradu Aziluthico vel potius hyperaziluthico & ſi ſcholaſtice loqui liceat hypoſtatico cum eo vnitus eſſet, adeo vt anima Meſſiæ vel diuinus logos vna fieret* פרצוף *i. e. vna perſona (vt anima & corpus vnus homo) quæ recte appellanda eſſet filius Dei.* Per tertiam natiui-

vitatem Chriſtum hominem factum aſſerit, eamque ſine opera maſculi fieri debuiſſe dicit per ſuum ſpiritum iam olim a Deo productum, & mobiliter de cœlo deſcendentem, carnemque noſtram in anima & corpore ex puriſſimo ſanguine & harmonia Virginis decerptam, aſſumendo. Quod autem talis natiuitas iterum rationi non repugnet prolixius probare annititur *p. 117.* Quartam natiuitatem conſtituit ipſam ſacroſanctiſſimam, vt loquitur, ſynaxeos confectionem ſeu factitationem, in qua ſola ſit ipſe Ieſus pure & ſine vllis exterioribus accidentium inuolucris per ſolum verumque ſubſtantiæ modum. De modo ſingularum originum aut natiuitatum in ſequentibus multa ſubtiliter & obſcure diſputat: ſed id tamen præcipue tum in hoc libro, tum alibi quoque, innuere videtur, Spiritum Chriſti eſſe ſpiritum mundi & totius vniuerſi rerumque omnium ſemen, a quo vt facta ſunt omnia, ita & per eundem omnia eſſe tum in ſpiritualibus tum in naturalibus reſtituenda. Notiſſima hæc eſt theoſophiæ ac cabbaliſticæ philoſophiæ hypotheſis, in ſcriptis etiam Poſtelli fere regnans.

§. VIII. Memoratu quoque digna eſt Guilielmi Poſtelli ſententia de Alphabeto cœleſti, pluribus expoſita a Iacobo Gaffarello *in Curioſitatibus inauditis c. XII. §. V. p. 268.* Etenim

tenim cum is Ebræos veteres ceu peritiſſimos admodum callentisſimosque artis characteres in cœlo deſcriptos legendi & interpretandi, & modernos etiam quosdam non plane rudes eius artis profeſſus eſſet, inter hoſce tamen Poſtello noſtro palmam tribuit. Affert ad illud comprobandum verba Poſtelli ex commentario eius in librum Iezirah: *Si dixero*, inquit ibi, *me vidiſſe in cœlo in ipſis linguæ ſanctæ characteribus ab Eſra primum publice expoſitis ea omnia quæ ſunt in rerum natura conſtituta, vt vidi non explicite, ſed implicite, vix vllus mihi crediderit, tamen teſtis Deus & eius Chriſtus, qui non mentior.* Recte autem coniicit Gaffarellus, Poſtellum hanc artem vel hæc commenta potius ab Arabibus accepiſſe. Certe Poſtellus in eodem commentario in librum Iezirah teſtatur, apud Iſmaelitas maxime huius artis ſe deprehendiſſe veſtigia. *Decreti itaque ſunt*, inquit, *demum delineati ſuisque figuris adumbrati igne diuino in aquis cœli ſcilicet expreſſo, ſancti characteres & tanta virtute in cœlis expresſi, vt poſſit etiam futurorum veritas haberi, cuius ſcientiæ adhuc veſtigium in Monacho ex multis aliis Iſmaelitarum ciuitatibus, licet ſint apud eos admodum deprauatæ & adulteratæ figuræ ſanctæ.* Ex his itaque fontibus cum iſta hauſiſſet Poſtellus, vt arcana hæc eo feliciori cum ſucceſſu cum Europæis communicaret, librum ſuum

de *configuratione ſignorum cœleſtium* ſcripſit, in quo demonſtrare annifus eſt, conſtellationes cœleſtes non animalium, ſed figurarum quadratarum potiſſimum ſpecies repræſentare, indeque ſibi perſuadebat figuras illas facile pro litteris hebraicis habitum iri, quod pleræque earum ad quadratam figuram accedant. Refert id Gaffarellus qui & hoc addit, hoc tractatu præmiſſo animum fuiſſe Poſtello telam quam exorſus erat in commentariis ſuis ſuper Zohar pertexere, atque hæc ſcripturæ cœleſtis arcana penitus manifeſtare: *In quibus*, ita loquitur Gaffarellus. *cum tot reconditæ eruditionis ſpecimina præter ea edidiſſet, vti ex libris eius impresſis videre eſt, non mirum quod tanta cura eius operis editionem hæredibus commendaret.* Nos nec commentarium Poſtelli in librum Iezirah, nec librum eius de configurationibus ſignorum cœleſtium vidimus: an etiam commentarius eius in librum Zohar prodierit, neſcimus: accepimus tamen a viro fide digno in Anglia apud Medicum quendam varia opera MSta Poſtelli latitare. In catalogo Bodleiano allegatur ſignorum cœleſtium vera configuratio & ſignificationum expoſitio: Pariſiisque ibi editus dicitur. A. 1553. in 4to.

§. IX. Is quem ſæpius laudaui Iacobus Gaffarellus hanc ſententiam de Alphabeto cœle-

cœleſti neſcio ſerione an ingenii oſtentandi gratia, certe vt omnia, magno eruditionis apparatu defendit. Imo vt defenderet, auctor illi exemplo ſuo fuit Poſtellus noſter, ſi credimus *Georgio Michaelis in notis ad Gaffarellum*, in quibus quicquid potuit eruditionis oſtentandæ cauſa congesſit. Sed pleraque ſine iudicio. *Guilielmus* *Poſtellus*, inquit p. 456. *Gaffarello noſtro impoſuit, qui ex Arabibus huiusmodi nugas de characteribus cœleſtibus compilauit, & orbi doctiori quem pueriliter credulum præſumſerat, obtrudere voluit.* Affert ad hoc comprobandum verba Poſtelli ex commentario eius in librum Iezirah, ſed eadem quæ iam protulerat Gaffarellus, vnde facile hoc labore ſuperſedere potuiſſet. Sed Gaffarellus tamen præter varias Ebræorum doctores laudat *Capnionem* quem primum in ſeculo barbaro de hac arte aliquid diſſeruiſſe autumat. Addit huic *Mirandulanum* Comitem, cuius inter problemata *qu. LXXIV.* hoc quoque legatur: *vtrum in cœlo ſint deſcripta & ſignificata omnia ſcienti legere?* His porro *Cornelium Agrippam*, *Pierium Valerianum*, *Vignerium*, *Borellum*, *Robertum Fluddium* ſubiungit: Georgius autem Michaelis illis annumerat Cicum Eſculanum, & quod de Roberto Fluddio dixerat Gaffarellus, vlterius confirmat.

§. X. Ex his itaque patet non fuiſſe ſolum Poſtellum qui eiusmodi quid orientalium populorum diſciplinam ſecutus aſſeruerit; conſentientes enim hac in re ſecum habet alios clarisſimos & ingenio doctrinaque præſtantisſimos viros. Sed ſi de re ipſa quid ſentiam, mihi dicendum eſſet, oppido quidem ieiuna, imo ridicula fere videtur illa argumentandi ratio, qua Gaffarellus vtitur ad euincendum, iam in Scriptura S. huius artis occurrere fundamenta, & prophetis ſanctisſimisque gentis Iſraeliticæ viris exploratam eam fuiſſe atque perſpectam. In Scriptura ſacra nimirum cum cœlum liber vocetur, vt *Eſa. XXXIV. 4. complicabantur ſicut liber cœli*, concludit, cum liber non ſit ſine literis & characteribus, cœlo quoque litterarum figuras atque characteres inſcriptos eſſe. Nullum quoque mihi dubium eſt, quin Origeni, Auguſtino, aliisque perperam hanc ſententiam tribuat. Ex eo enim quod docent ex aſtrorum poſitu atque configuratione futurorum documenta capi poſſe, nondum ſtatim ſequitur eos exiſtimaſſe pictas in cœlo eſſe litterarum figuras atque characteres. Sed pluribus forte hæc diſcusſit qui Gaffarelli librum ex inſtituto, teſte *Petro Bælio* in v. *Gaffarellus*, refutauit, *Sorellus* Georgium

n. Mi-

enim Michaelem ſedulo hoc egiſſe nemini dubium eſſe poteſt.

§. XI. Exiſtimo tamen diligentiorem rem iſtam mereri inquiſitionem. Gaffarellus cauſam prodidit, bona miſcendo malis, certa incertis. Georgius Michaelis quicquid carpit ac refutat, ideo refutat, ne nihil refutaſſe videatur. Poſtellus, Gaffarellus ceterique ex æquo illi vapulant. Sed quicquid huius ſit, litterarum characteres ac figuras in cœlo concipere, æque mihi facile videtur, quam neſcio quas animalium hominumque figuras. Certe lineæ & figuræ Mathematicæ, quibus fere Alphabetum Hebræum reſpondet, longe conuenienti9, vt ego puto, ad aliquid ſignificandum adhibentur, quam imagines animalium & aliæ quæuis figuræ arbitrariæ. Porro iſtæ figuræ Aſtronomorum Græcis, ni fallor, originem debent. Idque vel inde conſtat, quod in plerisque mythologiæ Græcanicæ rudera atque veſtigia lateant. Aſt in ſiderum ſcientia rebusque omnibus traditioni quæ innituntur, orientalibus plus tribuo quam Græcis. Purior enim apud illos manſit traditio quam apud hos. Antiquiſſimi nimirum mortalium a primis parentibus cum multa alia, tum de ſiderum quoque vi, efficacia, & ſignificationibus nonnulla ſine dubio acceperunt. Hæc autem

vt eo felicius propagarent, figuras quaſdam & characteres literarum ex ſiderum poſitu reſultantes animo conceperunt. Deinceps cum in varias gentes diuiſum eſſet humanũ genus, propagata cum aliis artibus ſideralis quoque ſcientia fuit, ſed vt quælibet gens pro libitu alios ad idem ſignificandum adhiberet characteres. Sic Arabes litteras Arabicas pro Hebræis ſubſtituerunt, Græci imagines beſtiarum & hominum; quos & reliqui Europæi hoc in capite ſecuti ſunt. Aſt quo crebriores fuere iſtæ mutationes, quas ſiderum ſcientia ſubiit, eo facilius corrumpi etiam & deprauari potuit, cum qui varia ſigna excogitarunt, aut non ſatis aſſecuti ſunt valorem & genuinam priorum ſignorum ſignificationem, aut alia ſubſtituerunt, quæ non ſatis vim priorum ſignorum exprimerent. Ergo ſi quid certi ſtatuendum eſt de efficacia & ſignificatione ſiderum, ad eos recurrendum apud quos purior hæc doctrinæ pars remanſiſſe videtur. Dolendum vero quod antiquorum Ebræorum monumenta hæc aliaq; philoſophiæ priſcæ capita exhibentia, ad nos non peruenerint. Scripta enim Rabbinorum quæ hodie extant hoc equidem indicant, priſcis Hebræis in pretio fuiſſe Aſtronomiam & Aſtrologiam, longeque aliam in hiſce diſciplinis tractandis eos tenuiſſe rationem

nem, quam nos qui Græcorum veſtigia premimus: ſed tam leuia ſunt iſta veteris ſapientiæ quæ apud eos comparent, rudera, tot insuper commentis fœdata, tot ambagibus obſcurata, vt vix certi quid & firmi hac de re ex iis hauriri queat. Equidem quod Gaffarellus eique ſimiles tradunt, cœlum litteris ita conſcriptum eſſe, vt ex illarum compoſitione formari voces rerum omnium indices queant, a ratione alienum eſt, nec vllo idoneo argumento comprobatum, Ebræos veteres ſimile quid vnquam docuiſſe: aſt quod pro figuris animalium alios adhibuerint characteres, & iis ſiderum efficaciam & ſignificationes indicauerint, id cum ex Iudæorum commentariis hoc colligere liceat, & a ratione etiam non alienum ſit, cur admitti nequeat, nullam plane video cauſam.

§. XII. Quemadmodum autem Poſtellus pleraque in quibus ſeorſim ab aliis abiit, ex Iudæorum philoſophia Cabbaliſtica accepit, ita ex eadem etiam hauſit ſententiam de mundo ſex annorum millibus duraturo. Neque hoc diffitetur, ſed innuit aperte in libro cui titulum fecit: *Alcorani* ſeu *legis Mahometi & Euangeliſtarum concordia*, vbi p. 117. & ſequentibus hanc ſententiam defendit: *Referunt*, inquit, *vetuſti & qui ante tempora Chriſti ſcripſere Myſtici Hebræorum Doctores, quos Cab-*

baliſtas vocant, Eliam diuinitus inſpiratum hominem a ſpiritu accepiſſe poſterisque tradidiſſe, mundum ſex annorum millibus duraturum, bis mille annis ſub naturali & deprauata hominum natura, bis mille ſub emendatoria lege, & totidem ſub inſtauratoria i. e. ſub Chriſto. Duæ periodi iuuentutis & virilis conſiſtentisue ætatis iam conueniunt dictis Eliæ. Si enim veritatem Ebraicam ſequamur, anno circiter bis milleſimo Abramus a Deo eſt inſpiratione ad emendationem nequitiæ humanæ inuitatus, cui data eſt legis diuinæ promisſio & arrabo. Ab eo ad Chriſtum ſunt paulo minus bis mille anni, vnde coniicere licet, cum veritatem duobus illis temporum articulis attigerit Elias, etiam tertio loco verum prædixiſſe. Multis porro rationibus adducor in eam ſententiam, quas ſubiungere illis propheticæ non pigebit &c. Diſputatum de hac ſententia varie fuit inter eruditos. Ego ſi meum quoque mihi interponere iudicium liceat, hanc ſententiam ita comparatam cenſeo, vt nec reiicere eam nec approbare pronum ſit. Multæ pro ea pugnant rationes, veroſimiles equidem tantum, fateor, non apodicticæ interim neutiquam contemnendæ. Etenim 1) ab antiquisſimis iudæorum hæc ſententia promanauit, qui ſine dubio eam a maioribus ſuis hauſerunt. Certe vt aliquid quicquid demum ſit, occaſionem tam conſtanti gentis Ebrææ traditioni præbuerit

buerit, neceſſe eſt. 2) id cumprimis notandum, aduerſari hanc ſententiam e diametro ſententiæ Iudæorum de aduentu Meſſiæ adhuc expectando. Vnde omnis ſuſpicio corruit poſt Chriſtum demum natum eandem excogitatam eſſe. Quis enim crederet Iudæos eidem adſtipulaturos fuiſſe, niſi nõnulli, ob continuatam, & a maioribus per multa ſecula ad ſe vsque propagatam traditionem velut neceſſitatem quandam illi ſubſcribendi ſibi impoſitam eſſe vidiſſent. Accedit 3) quod a multis veteris eccleſiæ doctoribus eadem fuerit approbata, vt a Iuſtino Martyre, Irenæo, Lactantio, Hilario, Hieronymo, Auguſtino aliisque quos allegat *Otto Caſmannus in Coſmopœia & Vranographia Chriſtiana c. V. quæſt. VII. p. 242.* qui tamen vt eandem ſuo calculo approbaret, a ſe impetrare non potuit. Scio equidem veritatem ex teſtimonio Patrum non eſſe æſtimandam, aſt hoc quoque ſcio, in iis quæ ad traditionem pertinent, eorum teſtimonia non eſſe negligenda. Hoc enim inde ſaltem euincitur, antiquiſſimam receptiſſimamque apud Iudæos pariter ac Chriſtianos eſſe hanc traditionem, de mundo 6 mille annis duraturo. Præterea autoritas patrum apud illos, quibus veneranda valde videtur, hoc efficiet, vt multo tolerabiliorem hunc Poſtelli errorem, ſi

Q 5 modo

modo error eſt, cenſeant, quam ſi ſolus aut ſaltem recentioribus aliquot, heterodoxias itidem ſuſpectis, ſtipatus, hanc ſententiam defendiſſet. Ineptum vero plane eſt, quo ſe nonnulli deterreri patiuntur, quominus huic ſententiæ ſubſcribant; quod Chriſtus nos ignorare voluerit diem extremi iudicii, & quo deſtruenda ſit hæc mundi quam conſpicimus, moles. Etenim iſta quam innuimus traditio, generales ſaltem oeconomiæ diuinæ periodos deſignat. Iam cum temporum rationes valde obſcuræ ſint & impeditæ, præſertim ſi ad momenta ſpecialiora deſcendamus, incertus nihilominus & incognitus nobis manet dies ille qui finem huic noſtro, quem inhabitamus, orbi allaturus ſit. Rurſus alii, ne quid deſit quod obiiciant, hoc ipſum incertas ſcilicet impeditasque temporum rationes obtendunt, itidem non expendentes poſſe omnes chronologorum diſſenſiones contentionesque cum hac traditione conſiſtere, quippe quæ generatim periodos ſaltem regni diuini nos condocet. Et quid ſi dicerem Chronologorum diſſentientium ſyſtemata ad hanc ipſam traditionem eſſe emendanda? Nihil ſane aſſererem quod non multis comprobare poſſem rationibus. Rurſus inſtant, Cabbaliſtas traditionisque huius defenſores non inter ſe conſen-

ſentire: aliis ſex, aliis ſeptem mille annis mundum duraturum aſſerentibus, quod perinde eſt ac ſi dicerem, noñullos Sabbathi diem ex numero dierum reliquorum eximentes affirmare hebdomadem ſex conſtare diebus, alios autem eum addentes, affirmare ſeptimum eſſe hebdomadis diem, & contenderem hos ita inter ſe diſſentire, vt conciliari nullo modo poſſent. Et eiusmodi tamen ſimilibusque argumentis pugnat *Georgius Michaelis in notis ad Gaffarellum* p. 175. hoc nomine tamen laudandus, quod Rabbinorum aliorumque Auctorum huic opinioni patrocinantium teſtimonia diligenter conuectaverit. Videri & ipſe *Gaffarellus* poterit *cap. II. §. VI. p. 44.*

§. XIII. Denique inter ſingularia Poſtelli placita referenda quoque eſt eius ſententia de ſperanda rerum omnium reſtitutione. Chriſtianus Gottlieb Kochius dum in ἀποκαταστάσεως ſolida & orthodoxa, vt vocat, expoſitione Sect. I. Art. III. ἀποκαταστάσεως defenſores tum veteres tum recentiores recenſet, nec Poſtelli obliuiſcitur, ſed mentem eius hac de re ex libro cui titulum fecit *abſconditorum a conſtitutione mundi clauis* ita complectitur: Poſtquam inquit, de creatione non-„ nulla dixerat, quatuorque eccleſiæ ætates „ pueritiam nempe, iuuentutem, virilem æ-„

ta-„

„tatem & ſenectutem finxerat, pergit nu-
„gando, eiusque ſenectuti non ſolum o-
„mnia bona cumulata adſcribit, ſed etiam
„reſtitutionem & tempora refrigerii pro-
„mittit, in quibus quicquid per Adamum
„amiſſum erat, poſteri eius cum fœnore re-
„cipiunt, ita vt reuera non ſicut delictum
„ita & donum, ſed omnes in hac vita docibi-
„les Dei quod nondum factum, longe latius
„patentem eccleſiam & Spiritus S. gratiam
„quam vulgo putatur, efflagitent. Siqui-
„dem Deus omnes omnino homines ex to-
„to terrarum orbe nullis exceptis ſaluos fieri
„velit, ad quam voluntatem exſequendam,
„opus erat mediatore Deo & homine, vt ſi-
„cut ſummum bonum eſt, ita & bonitatis
„lege omnino diſpenſabili & ad noſtras mi-
„ſerias accommodata eſſet, perfectaque pec-
„catorum remisſione, mors a peccato orta
„deſtruatur & aboleatur, quippe quæ non
„niſi victa deſtructaque morte obtineri po-
„teſt. Quæ omnium hominum ſalus o-
„mnino neceſſaria eſt, ni maximus & primus
„ſpiritus baptiſmus ipſeque ſacramentorum
„vſus eſſet fruſtraneus, quæ Chriſtus omni-
„bus omnino populis præter Synaxin, in la-
„tenti dat, hanc autem reſurrectioni reſer-
vat. Quæ piorum multis ante iudicium
extremum ſeculis principio nouisſimi diei,
ſed

ſed longo interpoſito ſpatio, Sabbatho nempe Sancto fiet, in qua adhibito omni huma-„ næ carni non antea communicatæ ſacro-„ ſancti corporis & ſanguinis ſacramento, in„ vnum ſumma & ima ad gloriam Chriſti &„ Dei in inferioribus concurrit usque ad ex-„ tremum iudicium ita quidem vt Pater fili-„ um ſuum in inferioribus prius agnoſci & ab„ omnibus eius crucifixoribus in loco ſuppli-„ cii plangi colique, quam ſibi Chriſtoque ſi-„ bi ſubiecto æternam laudem dari velit.„ Poſthæc perfecta omnium piorum vna fiet„ communio, non tantum in bonorum meri-„ torum a Deo datorum participatione ſed &„ in corporis Chriſti perceptione, impios au-„ tem certisſima manet extirpatio, quorum„ vt Eſau, Amalec &c. ſpolia Deo eiusque„ cultui dicare æquum eſt. Meritis autem„ piorum in vnum cumulum congregatis,„ vnus in orbe erit Pontifex, imperator, dux,„ Iudex primarius inſtar Adami, cuius ſedes„ eſt vbi Chriſtus fuit, vna lingua, vna mens,„ vnus cultus, vnus ſolus per Ieſum adorabi-„ lem Deus. His tandem finitis die octauo„ vita appropinquat æterna, quæ licet in ſab-„ batho iam æterna ſit, nondum tamen im-„ mortalis fuit. Hæc Poſtellus & ex eius mente Kochius quæ tamen obſcuriora fere ſunt, quam vt liquido de eius mente conſtare in-

de

de queat. Hoc ſatis inde liquet, cum ἀποκατάστασιν quandam aſſerere: neque id mirum cum ex Iudæorum philoſophia, cui penitus addictus fuit Poſtellus, hæc quoque ſententia fluxerit, fatente quoque Kochio & ad Menaſſe h ben Iſrael prouocante. Video tamen alibi Poſtellum hanc ſententiam reiicere, ſaltem æternas improborum pœnas diſerte adſtruere. Operæ pretium fuerit proferre hac de re locum ex libro eius de *rationibus Spiritus S.* vbi l. I. *cap. VIII.* ita diſſerit: *Pœnas eſſe propoſitas pernicioſis huius mundi ciuibus ſi quis negat, is Deum negat. Eum enim iniuſtum facit qui eos homines qui in naturæ totius perniciem aliorumque hominum & maxime bonorum cladem fuere ſemper intenti, inultas relinquat. Ut homo neceſſario eſt immortalis, neceſſario etiam loco nequitiæ ex animo amatæ æternas iunget æternitati ſuæ pœnas. Nam alioqui nulla eſſet iuſtitia Dei, nec eſſet præſtantiſſimus, cui æternæ iuſtitiæ vſus deeſſet. Non poteſt itaque fieri vt moderatio Origeniana vsquam contingat. Nec poteſt habere locum impietas Almarici & aulicorum Ceneuangeliſtarum vllum infernum eſſe negantium. Nam negant eſſe Deum & dæmones & peccatum & malos vltos, cum non eſſe Deo iuſtiſſimo vltionem dicunt.* Non tantum hic pœnas æternas impiorum adſtruit, ſed Originem etiam & alios ſecus ſentientes refellit. Quæ qua ratione inter ſe conciliari

pos-

poſſint non video, niſi dicamus *clauem abſconditorum* prodiiſſe demum poſt hoſce de rationibus Spiritus S. libros, ſuamque adeo Poſtellum vt in aliis quibusdam, ita in hoc quoque capite mutaſſe mentem. Certe ſi ſtilum & contenta libri de rationibus Spiritus S. conſiderem, facile vt hoc credam adducor, quibus accedit animus commotior in proteſtantes quos Ceneuangeliſtas vocat, quem in hoc quoque libro prodidit. Interim poſt eius reditum ex itinere orientali eum ſcriptum eſſe, ex his eius quæ ſtatim ſubiicit, colligitur verbis: *Ego antequam adirem partes orientis, conueneram ceneuangeliſtas primariæ famæ & potentiæ quorum infernus erat tum in animo, ſed cum rediiſſem omnino euanuerat.*

§. XIV. Si ergo nunc tandem quæras, quid de Poſtello ſentiendum ſit, paucis ita habeto: Fuit Poſtellus citra controuerſiam probus & honeſtus ſcelerumqne purus, & qui Atheiſmi ſuſpicionem nonniſi apud imperitisſimos aut ſumme maleuolos rerum ſuarum exiſtimatores ſubire poterat; fuit etiam excellenti, vt omnes fatentur, ingenio præditus, penetrauitque in intimos orientalis philoſophiæ receſſus, cuius multa in ſcriptis ſuis prodit arcana: idem tamen ob ſummam ingenii vim interdum iudicii expertus eſt defectum, imprudenterque ex orientalium ſci-

tis

tis arripuit & infeliciter cum Chriſtianorum ſcitis coniunxit quæ accuratiori prius ſubiicere examini debuiſſet. Errores varios & paradoxas opiniones in eius occurrere ſcriptis nemo inficias iuerit, quo ipſo tamen fatum omnibus magnis ingeniis commune expertus eſt. Atque ad excedentem imaginationis impetum illud quoque refero, quod reuelationes interdum & angelorum commercia commemorat, vtpote cum in libro de *Natiuitate Mediatoris* ſe myſteria quædam ab Angelo Raziele, quem & Adami præceptorem faciunt Ebræorum magiſtri, edoctum eſſe profiteatur. Conceptuum præterea, quibus ingenium eius abundabat, copia & rerum, quas ex multorum librorum lectione hauſerat, multitudo obſtabat, quominus ordine & diſtincte cogitationes ſuas proponeret, indeque inſuperabilis illa obſcuritas, quæ in plerisque eius ſcriptis deprehenditur, orta eſt.

§. XV. Hæc jam ſcripſeram, cum in manus meas inciderent epiſtolæ Richardi Simonis, in quarum XXI. cum de Poſtello ex inſtituto diſſerat, nonnulla, quæ ad hactenus dicta aut illuſtranda aut confirmanda, aut ſupplenda etiam ea, quæ forte a nobis prætermiſſa ſunt, facere videbuntur, paucis decerpemus. Primo itaque refert, a variis hæreſeos

ſeos illi notam inuſtam eſſe, & hoc nomine etiam ex decreto Iudicii inquiſitionis, quod Romæ eſt, in carcerem eum coniectum fuiſſe: deinceps tamen a Venetis inquiſitoribus cum ſe ſponte ſua ad purgandum ſe ab obiecta hæreſi ſtitiſſet, pro homine mentis non ſatis compote, minime autem hæretico fuiſſe declaratum. Conſentiunt hæc cum iis, quæ obſeruat. prior. §. 1. commemorauimus. Auctor autem ex ipſa Poſtelli apologia, quæ manuſcripta Pariſiis in bibliotheca Regia extet, vlterius hæc confirmat. Et hanc quidem apologiam eum compoſuiſſe docet., vt accuſationibus cuiusdam Matthæi Antonii ſub quo nomine Viretum latitare ſuſpicatus ſit, obviam iret, in qua tamen ſubinde ſua placita denuo defendat, tantum abeſſe vt obiecta diluat. Præcipuum eius errorem eum fuiſſe contendit, quod cum Gnoſticis Apoſtolos pro hominibus rudibus & literarum expertibus habuerit, ſibique perſuaſerit, ſe naturali rationis vſu omnes omnino homines multum ſuperare. Ex verbis Poſtelli, quæ Simonius adducit putes, hæc eum velle, Apoſtolos fide donisque gratiæ reliquis omnibus præſtare, aſt exiſtere tamen poſſe, qui donis naturalibus vſuque rationis Apoſtolos vincant. Hinc & illi cumprimis propoſitum fuiſſe reducere orbem vniuer-

ſum ad verum vſum rationis. Hunc in finem etiam A. 1544. eum ad Jeſuitarum ſe contuliſſe ſocietatem, vt hac ratione eo facilius voti ſui compos fieret: miraturque Auctor, Ignatium Lojolam hunc hominem per multos annos inter ſuos toleraſſe. Hæc autem, quæ de vſu rationis naturalis revocando Simonius obſeruauit, rurſus confirmant ea, quæ & nos ſupra §. 6. jam judicauimus, inſtitutum Poſtelli præcipuum fuiſſe Chriſtianorum dogmata ex ratione demonſtrare, & ita ductu rationis omnes a Chriſtiana religione diſſentientes, noſtræ doctrinæ veritatem condocere. Pergit Simonius ad Virginem Venetam & elogia, quibus Poſtellus eam cumulauit, refert, dicitque impreſſum eum librum Pariſiis eſſe A. 1553. quo in loco multos ſui admiratores habuerit Poſtellus. Matthæum iſtum Antonium occaſionem hinc arripuiſſe addit, obiiciendi Poſtello, quod exemplo Muhammedis, Apollinis, Numæ, cum matre Iohanna nouam cudere vellet religionem, quod tamen ita a ſe amolitus ſit Poſtellus, vt ſancte teſtatus ſit, nihil vnquam eiusmodi in mentem ſibi veniſſe: Iohannam inſigni rationis naturalis vſu fuiſſe præditam, ab ea ſe plurima edoctum, nihilque amplius ſibi conſtitutum eſſe, quam argumentis ex ratione depromptis debellare

diſ-

diſſentientes a religione chriſtiana, & ad huius veritatem agnoſcendam eos adigere. Fatetur autem Simonius, ſe nullibi in ſcriptis Poſtelli inueniſſe quod aſſeruerit , Ieſum Chriſtum tantum mares ſaluaſſe, Iohannam autem eſſe redemptricem fœminarum, quod tamen multi audacter Poſtello imputant: imo diſerte negare Poſtellum, quod vnquam aſſeruerit, fœminas a Chriſto non eſſe redemptas. Nec tamen diſſimulat occurrere in eius ſcriptis nonnulla, quæ eo trahi queant. Atque hoc etiam eſt, quod & nos docuimus ſupra §. IV. Sed cumprimis placet quod porro docet Simonius, vnde fabula quod Poſtellus videri voluerit, ac ſi a mortuis reſurrexiſſet, quam & nos obſerv. I. §. 1. attigimus, orta ſit. Nimirum & Matthæus ille hoc illi obiecit, vt impoſturæ conuinceret. Aſt reſpondit Poſtellus, ſe quidem dixiſſe, quod reſurrexerit, aſt non a mortuis, ſed ab errorum prauarumque opinionum tenebris, poſtquam præeunte Iohanna, maiori quodam lumine intellectus ſui perfuſus ſit. Reſurrectionem itaque metaphoricam mentis, non propriam corporis Poſtellus indigitabat. Atque hoc dum refert Simonius ὡς ἐν παρόδῳ ſimul addit, agnouiſſe tandem Poſtellum, quod in laudanda euehendaque Iohanna iſta, modum exceſſerit. Philoſophiam

Poſtelli ex Averroiſtica, Platonica & Cabbaliſtica Iudæorum compoſitam fuiſſe pronuntiat, quæ interdum in errores eum induxerit. Extare quidem in bibliotheca Regia retractationem eius, ipſius manu ſcriptam, aſt non omnia dogmata ſua eum retractare, ſed quædam, cumprimis ſententiam de ſapientia creata ſeu anima mundi acriter defendere. Ex quo rurſus intelligitur, quousque admittendum ſit, quod §. *II.* ex Ræmundo attulimus, eum bona fide Eccleſiæ Romanæ dogmata iterum eſſe amplexum, ſimul confirmatur, quod §. VI. autumavimus, inter præcipuas eius hypotheſes, hanc fuiſſe, animam Chriſti ante conditum mundum creatam, & cum τῷ λόγῳ vnitam eſſe. Quæ Poſtelli de trinitate perſonarum mens fuerit, indicauimus in obſerv. prior. §. XI. XII. Nempe, quod eam adeo non negauerit, vt ex ratione etiam demonſtrare anniſus ſit. Idem obſervat Simonius, ſed addit tamen, eum ſubinde paradoxa huic dogmati admiſcere, aſſerendo præter Trinitatem intelligentiam quandam, quæ omnes humanas & angelicas intelligentias complectatur. Forte per hanc intelligentiam nihil aliud deſignat, quam animam Meſſiæ, quam & animam mundi eſſe ſtatuit, qua de re iam ſupra dictum. Hæc & alia minime probantur Simo-

mo-

monio, qui tamen negare nequit, multa ſcitu dignisſima in Poſtelli ſcriptis occurrere. Primum eum inter recentiores fuiſſe dicit, qui Samaritanorum & Pentatevchi Samaritani iniecit mentionem. Per eum etiam innotuiſſe ſectam Caraitarum, quæ inter Iudæos eſt. Franciſcum I. Galliæ Regem eius opera ad MSta orientalia conquirenda vſum fuiſſe. Ferdinandum Imperatorem, tum quidem Regem Romanorum Viennam eum euocaſſe ad Academiam Viennenſem priſtino nitori reſtituendam, & ad N.T. lingua Syriaca edendum. Namque Poſtellum primum exemplum N.T. Syriaci ex oriente ſecum attuliſſe. Imo & euangelia Arabica eum ex oriente attuliſſe, quæ ab eo conficta eſſe Geneuenſes equidem aſſeruerint, aſt perperam. Cauſam Poſtelli diſerte hic agit Simonius. Vt vero iſti impoſturæ perperam reum egerunt Poſtellum; ita non minus peccauit, vt recte idem Simonius docet, cum aſſeruit librum de tribus impoſtoribus Cadomii a Caluini diſcipulis editum fuiſſe. Certe acerbiorem, quam decebat, in Proteſtantes eum fuiſſe iam in obſerv. prior. demonſtrauimus. Finit epiſtolam addito epitaphio Poſtelli:

Poſtellus poſtquam peragrauit plurima paſſus
Pro pietate polos Pariſiis petit
Obiit 6to Septembris 1581.
Mœrens ponebat Adrianus Tertrier, Medicus.

§. XVI. Non abs re fuerit, librorum Poſtelli, qui ad noſtram peruenerunt notitiam, hic ſubiicere catalogum:

De Magiſtratibus Athenienſium. Baſileæ ex officina Io. Oporini A. 1543. in 8.

De orbis terræ concordia, duas vidi editiones, vnam in folio, alteram in 8, vtramque ſine loci & temporis mentione.

Alcorani ſeu legis Mahumeti & Euangeliſtarum (Euangelicorum) concordiæ liber, in quo de calamitatibus orbi Chriſtiano imminentibus tractatur: additus eſt libellus de vniuerſalis conuerſionis iudiciiue tempore, & intra quot annos ſit expectandum, coniectatio, ex diuinis ducta auctoribus, veroque proxima. Pariſiis A. 1543. in 8.

De rationibus Spiritus S. Pariſiis A. 1543. in 8.

Sacrarum Apodixeon ſeu Euclidis Chriſtiani libri II. Pariſiis A. 1543 in 8.

De Etruriæ regionis quæ prima in orbe Europæo habitata eſt, originibus, inſtitutis, religione & moribus, & imprimis de aurei ſeculi

culi

culi doctrina & vita præſtantiſſima, quæ in diuinationis ſacræ uſu poſita eſt. Florentiæ A. 1551. in 4.

De Natiuitate mediatoris ultima nunc futura & toti orbi terrarum in ſingulis ratione præditis manifeſtanda, opus in quo totius naturæ obſcuritas, origo & creatio ita cum ſua cauſa illuſtratur exponiturque, ut vel pueris ſint manifeſta quæ in Theoſophiæ & philoſophiæ arcanis hactenus fuere, auctore Spiritu Chriſti, exſcriptore Guilielmo Poſtello, Apoſtolica profeſſione ſacerdote: ſine loci ac temporis mentione, in 4.

Πανθενωσία Compoſitio omnium diſſidiorum circa æternam veritatem aut veroſimilitudinem verſantium, quæ non ſolum inter eos qui hodie infidelium, Iudæorum, hæreticorum & catholicorum nomine vocantur orta ſunt & vigent, ſed iam ab admiſſis per peccatum circa noſtrum intellectum tenebris fuere inter eccleſiæ peculiaris ac communis membra, ſcriptore Elia Pandochæo, ſine loci & temporis mentione in 8.

Abſconditorum a conſtitutione mundi clauis, qua mens humana tam in diuinis quam humanis pertinget ad interiora velaminis æternæ veritatis, Guilielmo Poſtello ex diuinis decretis exſcriptore, una cum appendice pro pace religionis Chriſtianæ, editore

tore A. Franc. de Monte S. (Abrahamo de Franckenberg) Amſtelodami A. 1646.

His porro ex catalogo Bibliothecæ Bodleianæ addi poſſunt.

De Phœnicum litteris ſeu de origine Græcæ & Latinæ linguæ. Paris. 1552 in 8.

Signorum cœleſtium vera configuratio & ſignificationum expoſitio Pariſ. 1553. in 4.

De Originibus ſeu de Hebraicæ linguæ ac gentis antiquitate, deque variarum linguarum affinitate Pariſ. A. 1538. in 4.

Duodecim linguarum characteres & legendi ratio. lib. in 4.

De la republique & religion de Turcs & de l'Empire Turc, & l'Hiſtoire de l'origine de Tartares, Perſiens, Arabes, Turcs. ibid. in 4.

Liber de cauſis ſeu principiis & originibus Naturæ utriusque Ibid. A. 1552.

De Uniuerſitate ſeu de Coſmographia præſertim Terræ S. Ib. in 8.

Præterea a Clariſſimo Arnoldo in Hiſtoria Hæreſeon Tom. I. p. 318 commemorantur

Liber de Monarchia.

Doctrina ſeculi aurei vel de Euangelio regni IEſu Chriſti Regis, gallice.

Liber de æterno Chriſti in inferioribus regno.

De

De VII. ſigillorum libris ab agno apertis.
De oſtio operto æterni myſterii.
De Euangelio æterno ſeu de naturæ & gratiæ coniugio.
Clauis ſcripturarum.
De formidando Eliæ aduentu.
De forma Eupolitiæ, ſeu opus reformationis ad aurei ſeculi vitam reſtituendam.
De Satanæ Monarchiæ deſtructione.
De filio perditionis.

Ipſe tamen profitetur multos inter eos quorum ibi catalogum texit, nondum eſſe impreſſos, ſed manu ſaltem ſcriptos ceu cimelia in bibliothecis aſſeruari.

OBSERVATIO XIII.

De SORTIBVS SACRI CODICIS, VIRGILIANIS ET HOMERICIS.

SVMMARIA.

§. I. Noah ſorte terrarum orbem diuiſit inter liberos. §. II. Bocharto contradicenti reſpondetur. §. III. Ex iſta ſortium ratione, diuinatoriæ ortæ. §. IV. Sortes Virgilianæ & Homericæ quæ. §. V. Virgilianarum exempla. §. VI. Homericarum exempla. §. VII. Inde Chriſtianorum ſortes ortæ, apoſtolorum dictæ & ſanctorum. §. VIII. Modus harum

ſortium quis. §. IX. Pſalterium & euangelia maxime euoluebant.. §. X. Libros etiam prophetarum. §. XI. Græci ligno in codicem inſerto ſortem capiebant. §. XII. Ex verbis diaconi quæ ex codice ſacro legebat, ſortes capiebant. §. XIII. Haſce ſortes quoque in epiſcoporum electione adhibebant. §. XIV. Sortes quoque in epiſcoporum vita & factis conſulebantur, quæ dicebantur prognoſtica. §. XV. Ipſi nouiter conſecrati ſortes capiebant. §. XVI. Prognoſticon epiſcopale obtinuit apud Græcos. §. XVII. Clerici ab hac ſorte dicti. §. XVIII. Mos hic a ritu imponendi conſecrandis euangelia, ortus. §. XIX. Mos imponendi euangeliorum librum ab apoſtolorum temporibus male ducitur, eiusque ratio. §. XX. Obtinuit idem & in eccleſia Græca. §. XXI. Obtinebant & ſortes in conſecrationibus Canonicorum. §. XXII. Sortes per breuia quæ fuerint. §. XXIII. Interdictum hiſce ſortibus fuit per varios conciliorum canones. §. XXIV. Sortes in genere quomodo diuidantur. §. XXV. Sortes ſi ſponte oblatæ adprobandæ ſunt. §. XXVI. Sortes etiam quæſitæ licitæ ſunt, ſi modo rite conſultæ, quod ex Auguſtino probatur. §. XXVII. Quid

Quid vt ſors iuſta ſit requiratur. §. *XXIIX. Firmatur ſortis iudicium auctoritate & exemplis ſacræ ſcripturæ.* §.*XXIX. Melius eſſet ſi tales ſortes introducerentur iterum.* §.*XXX.*

§. I.

Res antiqua eſt ſortis iudicium eo tempore nata, quo dominia diſtingui cœperunt. Notum enim eſt ex ſacris hiſtoriis, diſperſos fuiſſe in omnem terrarum orbem Noachi poſteros, quod ſortis iudicio factum fuiſſe adſerere non dubitat Epiphanius * dum ait: Νῶε γὰρ σωθεὶς ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ϗ ἡ αὐτοῦ σύμβιος σὺν τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ, ϗ τρισὶ νύμφαις, μόνος διαιρῶν τὸν πάντα κόσμον τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ τῷ Σημὶ ϗ χὰμ καὶ Ἰάφεθ διεῖλε, βαλὼν τοὺς κλήρους ἐν Ῥινοκορούροις, ὡς καὶ ἡ ἀκολουθία ἔχει, καὶ οὐδὲν κενόφωνον, οὐδὲ παραπεποιημένον. *Noe a diluvio cum vxore tribusque filiis, ac totidem nuribus ſeruatus, orbem terrarum vniuerſum ſolus inter tres liberos, Sem, Cham & Iaphet partitus eſt, iactis apud Rhinocorurorum oppidum ſortibus: vti conſentanea fama vulgatum eſt, cui nihil vanum ſubeſt, aut temere confictum.*

§. II. Contradicit quidem Bochartus, ** vero non eſſe ſimile putans, in certum locum ex

* *Hæreſi LXVI.* §. 83.

** *Phaleg lib. I. c. XVI.*

ex pacto conueniſſe, vt mundum ſorte diuiderent, poſtquam linguarum diuerſitas illos ſibi mutuo barbaros reddidiſſet. Potius ergo credit, hanc ſeceſsionem factam fuiſſe impetu quodam θεηλάτῳ, illo ipſo ſpiritu, qui nouas linguas inſpirauerat, eosdem agente arcano motu in orbis partes remotiſſimas. Sed licet in eo quod Rhinocoruram definit Epiphanius, eidem non adſentiamur, cum eandem vrbem in Aegypti & Syriæ confiniis ſitam, longe poſt hæc tempora fuiſſe conditam ex Diodoro Siculo conſtet, forſan tamen in regione non aberrat, certe ad patrum traditionem ſe refert. Neque hoc ſortis iudicium poſt confuſionem demum linguarum factum fuiſſe ſequitur, ſed ſtatim poſt diluuium factum innuit Epiphanius. Νῶε enim inquit, σωθεὶς ἀπὸ τȣ͂ κατακλυσμȣ͂ βαλὼν τȣ̀ς κλήρȣς. Licet enim gentium diſperſionem poſt linguarum confuſionem demum fuiſſe factam certum ſit, illud tamen ſortitionem ante factam non excludit. Sortitio poſt diluuium ſtatim facta, poſt confuſionm uero ſecundum ſortitionem diſperſio. Nec per ſortem hancce diuinæ derogatur directioni, cum & in ſorte lateat θεήλατον, quod exemplis multis ex ſacris patet, & infra demonſtrabitur pluribus.

§. III.

§. III. Ex iſto priorum temporum dominia diſtinguendi more ſortem quoque poſteriora tempora in familiæ herciſcundæ & communi diuidundo iudicium introduxerunt. Atque ex iſta ratione ſortium vſus ortus eſt, definiendi hominum fata. Hæc enim hominum eſt inſanies, ut de præſenti parum ſolliciti, in ea tantum inquirant, quæ futura. Ad hæcce vtebantur gentes modis variis per tabulas, talos, menſam magicam, micabant digitis, euocabant animas & quæ alia ſacra erant nefaria, de quibus alibi dictum.*

§. IV. Inter haſce non minimæ in vſu privatorum erant Virgilianæ atque Homericæ. Moris enim erat, vt antequam rem aliquam adgrederentur de euentu quis futurus, ſolliciti Homerum atque Virgilium pöetarum patres, euoluerent, ex uerſibus qui primo ſtatim intuitu obueniebant, iudicium ſumentes ad propoſitum, quam diuinationis ſpeciem ϛοιχειομαντείαν, ῥαψῳδομαντείαν & ῥαψῳδομαντικὴν vocabant Græci.

§. V. Exempla huius ſortilegii apud ſcriptores hiſtoriæ Auguſtæ reperimus varia. De Adriano quidem teſtatur Aelius Spartianus*, quod cum de Traiani erga ſe iudicio ſol-

* *Syntagm. antiquit. Rom. de ritibus ſacris cap. VI. p. 298.*

* *cap. II.*

ſollicitus eſſet, Virgilianas ſortes conſuluerit, ſorte ex Virgilii ſexto Aeneadum ** ita excidente:

Quis procul ille autem ramis inſignis oliuæ,
Sacra ferens? noſco crines incanaquementa
Regis Romani: primus qui legibus vrbem
Fundabit, Curibus paruis, & paupere terra,
Miſſus in imperium magnum.

Quod Adriano præſagium imperii fuiſſe arguunt ſcriptores. Alexandro Seuero cum parentis hortatu animum a philoſophia ad muſicam aliasque artes traduceret, Virgilii verſus imperium prædixiſſe putat Lampridius. * Tales autem ſunt ex eodem ſexto Aeneidos. **

Excudent alia ſpirantia mollius æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus
Orabunt cauſſas melius: Cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento,
[hæ tibi erunt artes] pacique imponere morem.
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Claudius Gothicus † cum de ſe ſortes conſuleret, incidit in verſum Virgilii:

Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas

nec vltra biennium imperauit: cum de poſteris:

His ergo nec metus rerum nec tempora pono.

At-

** *6. 7. 98.* * *cap. XIV.* ** *6. 837.*
† *Trebellius Pollio in vita c. X.*

Atque has Virgilianas ſortes antiquos Gallos quoque fuiſſe imitatos teſtatur Stephanus Paſcaſius,** qui & laborum vxoris parturientis finem, recens nati vitam atque fortunam eo modo ſe inquiſiuiſſe profitetur, licet & ipſe tali diuinationi nullam tribuat fidem.

. VI. Sic non minus vtebantur ſortibus Homericis. Socrates quidem in carcere audiens recitari Achilleum illud apud Homerum:

ἤματί κεν τριτάτῳ Φτιὴν ἐρίβαρτον ἱκοίμην,

Aeſchini ſe poſt triduum eſſe moriturum, prædicebat. Brutus ††† de ſucceſſu prœlii Pharſalici ſollicitus, in hunc Patrocli verſum apud Homerum incidit:

Ἀλλά με μοῖρ᾽ ὀλοὴ ϗ Λητȣ͂ς ἔκτανεν ὑιὸς

Opilius Macrinus an ad imperium peruenturus, ſciſcitans, in hos incidit Homeri verſus:

Ὦ γέρον ἦ μάλα δή σε νέοι τείρȣσι μαχηταὶ,
Σὺ δὲ βίη λέλȣται, χαλεπὸν δὲ γῆρας ὀπάζει.

Conſulebant non minus aliorum poëmata. Sic Onomacritus † ab Hipparcho Piſiſtrati filio Athenis eiectus fuiſſe dicitur, quod deprehenſus fuerat inter Muſæi ſortes hanc etiam

** *Eſtienne Pasquier lettres à Mr. Bigot lib. II. p. m. 92.*
††† Valerius Maximus *lib. I. c. V. ex. 7.*
† Herodotus *Polymn. c. VII.*

iam inſeruiſſe, fore vt inſulæ Lemno adiacentes mari ſubmergerentur.

§. VII. Hunc gentium ritum moremque imitati fuere Chriſtiani medii temporis; non quidem paganorum ſequentes pöemata, ſed ſacrorum euoluentes codicem. Exempla huius rei apud eccleſiaſticos ſcriptores extant varia. Vocabantur iſtæ ſortes apoſtolorum. De quo Auguſtinus †; *Sors enim non aliquid mali eſt in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem: nam & ſortes miſerunt Apoſtoli.* Et Petrus Bleſenſis ex Iſidoro *ſortilegi ſunt, qui ſub nomine ficta religionis ſuperſtitioſa quadam obſeruatione rerum pollicentur euentus. Quod genus ſortes apoſtolorum & prophetarum & diuidentium continet: inſpectio tabellæ quæ Pythagorica adpellatur: obſeruatio quoque cuiusque caſus, id eſt rei de qua quæritur ſignificatione ſub eo continetur.* Adpellat Bleſenſis etiam ſortes diuidentium, cum & ſors medii æui ſcriptoribus diuiſionem notet. †† Iſiodorus ſortes ſanctorum vocat ††† concilium item Agathenſe & Pœnitentiale Romanum. †††† In concilio Veneto * *diuinationis ſcientia ſub no-*

† *Conc. II. Pſalmi XXX.*

†† *origg. lib. VIII. c. IX.*

††† *Can. XLII.*

†††† *apud Rheginonem Prumienſem de diſciplina eccleſiaſtica lib. II. c. CCCLVIII.*

* *can. XVI.* vid. Henr. Linck. *de ſortibus ſanct. c. II.*

nomine conficta religionis per ſanctorum ſortes dicitur. Rationem adpellationis ex Beda & Torreblanca variam adducit Henricus Linckius: *mihi videtur potiſſima, quod ex inſpectis ſanctorum atque apoſtolorum libris ita fuerint denominatæ. Id quod etiam probat Petrus Bleſenſis, ** qui eas ſic dictas ait, *vel quod Pauli apoſtoli epiſtolæ, vel quod euangelii ab apoſtolis deſcripti codices inſpicerentur, vel denique quod ab apoſtolis miſſas ſortes conſtet.*

§. VIII. Modus ſortis talis erat, vt ſi de re aliqua dubii eſſent, de voluntate Dei, vel etiam de futuris fatis ſolliciti, ad eccleſiam vel ſepulcrum ſancti cuiusdam pergerent, preces ad Deum mitterent, ut voluntatem ſuam ipſis declarare velit, ſæpe & miſſæ præmitterent ſolennia; atque tunc aperto ſacro codice, ex verbis primo loco obuiis auſpicium caperent, quod de voluntate Dei interpretabantur. Videmus id in vita S. Conſortiæ virginis, * vbi dicitur: *ſi vultis, pergamus ad eccleſiam, agatur miſſa, ponatur euangelium ſuper altare, & communi oratione præmiſſa, codice patefacto, inſpiciamus Domini voluntatem ex illo Capitulo quod primum occurrerit.*

(4) S §.IX.

* Henricus Linck *de ſortibus ſanctorum cap. II. §. 2.*
** *apud Carolum du Freſne voce. ſortes ſanctorum.*
* *cap. IX.*

§. IX. Libros quos euoluebant, pſalterium præ cæteris erant atque euangelia. Andronicus quidem ſenior,* cum Conſtantinum Deſpotem in carcerem conieciſſet, & nunc quid agendum, dubius hæreret, pſalterium aperuit, deciſionem exinde quærens, ἀνοίξειν ἔκρινε δεῖν ἐν ψαλτηρίῳ τὸ πρόβλημα τῶν οἰκείων ἀπορειῶν: cui ſtatim oblatus eſt verſus, *dum cæleſtis diſſociat reges, niue conſpergentur in Selmon.* Gregorius Turonenſis,** cum a Leudaſte inſidias multas aliaque mala experiretur, de ſeipſo: *Hæc ego audiens, dum in domo eccleſiæ reſiderem mœſtus turbatusque ingreſſus oratorium, Dauidici carminis ſumo librum, vt ſcilicet apertus aliquem conſolationis verſiculum daret. In quo ita repertum eſt: eduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.* Euangelia autem aperuiſſe Heraclium teſtatur Cedrenus,* ſortem ex iis petens an apud Albanos hybernaret, & inuenit ea ſic concedere. Simile exemplum, nulla tamen addita ſcriptoris autoritate adducit Berneggerus,** cuius hic adducemus verba: Langfranci in Cadonenſi cænobio auditor Gandulphus cum condiſcipuli ludendo dicerent,

* *Nicephorus Gregoras lib. VIII. p. m. 162.*
** *Hiſtor. lib V. c. XLIX.*
* *p. m. 412. ed. Pariſ.*
** *obſ. hiſtor - polit. XXVIII. p. 305.*

rent, experiamur reuolutione foliorum (librum forte evangeliorum in manibus habebant) quis noſtrum ſit futurus epiſcopus? quis abbas? Gandulphus inuenit locum: fidelis ſeruus & prudens, quem Deus conſtituet ſuper familiam ſuam. Waltherus vero: Serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Tertio autem in minus gratum locum incidente, exortus eſt cachinnus, cuius cauſſam, vbi Langfrancus, Cantuarienſis poſtea factus epiſcopus cognouit, Gandulphum epiſcopum, Waltherum Abbatem, tertium vero ſordidæ artis hominem futurum prædixit, cui prædictioni paullo poſt reſpondit euentus. Addit & aliud exemplum monachi Galli, qui verbis Apoſtoli monitus monaſterium deſeruit, veræ religionis guſtum ſecutus.

§. X. In extremis neceſſitatibus, & quæ publicæ rei ſtatum concernerent, ex omni ſacri codicis parte, ſortes petebant. Sic Gregorius Turonenſis de Merouæo, quod, cum patris Chilperici iram experiretur, ad baſilicam ſancti Martini fugerit,* & cum Pythoniſſa illi regnum prædixerat, cui adſerto non credens, rei tamen incertus, *tres libros ſuper ſancti Martini ſepulcrum poſuit id eſt pſalterii, Regum, Euangeliorum: & vigilans tota nocte, petiit*

S 2 vt

* *hiſt. lib. V. c. XIV.*

vt ſibi beatus confeſſor, quid eueniret oſtenderet, & vtrum poſſit regnum capere, an non, vt Domino indicante cognoſceret. Poſt hæc continuato triduo in ieiuniis, vigiliis atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, reuoluit librum qui erat Regum. Verſus autem primus paginæ quam reſerauit, hic erat: pro eo quod dereliquiſtis Dominum Deum veſtrum, & ambulaſtis poſt Deos alienos, nec feciſtis rectum ante conſpectum eius, ideo tradidit vos Dominus Deus veſter in manibus inimicorum veſtrorum. Pſalterii autem verſus hic eſt inuentus: Veruntamen propter doloſitatem poſuiſti eis mala: deieciſti eos, dum adleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitates ſuas: In euangeliis autem hoc eſt repertum: ſcitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. In his reſponſionibus ille confuſus, flens diutisſime ad ſepulcrum beati antiſtitis, adſumto ſecum Guntheramno duce, cum quingentis aut eo amplius viris diſcesſit. Hæc verba Turonenſis. Aliud exemplum, quod Diuione contigit, idem narrat Turonenſis: * *Erat ibi,* inquit, *tunc ſanctus Tetricus epiſcopus, poſitis clerici tribus libris ſuper altarium, id eſt prophetiæ, apoſtoli, atque euangeliorum, orauerunt ad Dominum, vt Chramno quid eueniret oſtenderet: aut ſi ei felicitas ſuccederet,*

aut

* *lib. IV. c. XVI.*

aut certe ſi regnare poſſet, diuina potentia declararet. Simulque vnam habentes conniuentiam, vt vnusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad Miſſas etiam legeret. Aperto ergo primum omnium prophetarum libro, reperiunt: auferam maceriam eius, & erit in deſolationem: pro eo quod debuit facere vuam, fecit autem labruſcam. Reſeratoque apoſtoli libro inueniunt: ipſi enim diligenter ſcitis fratres, quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. Cum dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus illis ſuperueniet interitus: ſicut dolores parturientis, & non effugient. Dominus autem per euangelium ait: qui non audit verba mea, adſimilabitur viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: deſcendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & inruerunt in domum illam, & cecidit & facta eſt ruina eius magna. Simile quid videmus apud Ionam in vita S. Huberti. * *Ad amica* inquit, *ſibi ſubſidia ſe vertentes orationi atque ieiunio ſeſe triduano mancipauere. Vtque voluntatem ſuper negotio Domini noſſe poſſent, ab eo totis niſibus popoſcere. Ac tertio tandem ieiunii die inſtante, duos libros ſuper altare depoſuere, quorum vnus ſacratisſimum euangelii retinebat textum, alter vero benedictiones atque conſecrationes, quibus miſſarum peragitur ſacramentum: ſcilicet vt a diuinis libris addiſcerent,*

S 3 *quæ*

* *cap. XV.*

quæ ſibi de his agenda forent. Reſeratum autem euangelium hanc primum legenti ſententiam obtulit: ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Dominum. Liber etiam ſacramentorum in ſui apertione hoc primum videnti obiecit: dirigi viam famuli tui.

§. XI. Aliud genus ſortium reperimus in epiſtola Nicolai Papæ ad Bulgaros, vbi Græci codicem accipientes in manibus clauſum vnus ex iis accipiens paruiſſimam particulam ligni, hanc intra ipſum codicem condit, & ſi vndicunque aliqua vertitur ambiguitas, per hoc adfirmant, ſe ſcire poſſe quod cupiunt.

§. XII. Nonnunquam ex verbis diaconi, quæ dum templum ingrederentur, efferebat, ſortes omenque captabant. Singulare hac dere exemplum adducit Auguſtinus de Antonio, quod ex euangelica lectione, cui forte ſuperuenerat, admonitus fuerit, tanquam ſibi diceretur, quod legebatur: vade vende omnia, quæ habes & da pauperibus & habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me, & tali oraculo confeſtim ad Chriſtum eſſe conuerſum. Simile exemplum reperimus in Gregorio Turonenſi * de Childeberto Francorum rege: *nam in die ſancto Paſchæ ſtante fratre meo Sygiberto in eccleſia, procedente diaco-*

* *Confeſſ. lib. VIII. c. XII.*
* *hiſt. Franc. lib. VIII. c. IV.*

cono cum ſancto euangeliorum libro, nuncius regi aduenit, vnaque vox pronuntiantis lectionem euangelicam, ac nuntii dicentis, filius natus eſt tibi: vnde factum eſt, vt omnis populus in vtraque adnuntiatione proclamaret pariter: Gloria Deo omnipotenti. Frequens id fuit Cypriano de quo Metaphraſtes in Octobri: ** εἰσιὼν τοίνυν εἰς τὸ κυριακὸν δεξιὸν ἐποιεῖτο σύμβολον τῆς εἰς τὸν ναὸν εἰσόδου, εἰ τῷ σκοπῷ αὐτοῦ, καὶ τὰ τῆς ἀκροάσεως ῥήματα συμβαίνοντα ἔχοι. εἶχε δὲ παραδόξως καὶ τὸν Διάκονον ταῦτα δὴ τὰ τοῦ Ἀποστόλου διατρανοῦντα. χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου. *Ingrediens in Dominicum, ſive eccleſiam, dexterum & felix omen fecit ingreſſus ſui in templum, ſi verba lectionis congruentia cogitationi ſuæ haberet. Habuit autem ex inopinato diaconum hæc apoſtoli verba expreſſe recitantem: Chriſtus nos redemit ex maledicto legis ipſe pro nobis factum maledictum.* Eadem ratione Diogeni * Imperatori clades fuit prædicta. Cum enim is aduerſus Azanem Sultanum expeditionem ſuſcepiſſet, Priennius Dux hoſtium multitudine preſſus ab Imperatore petebat ſubſidium: Imperator hoſtium ignorans potentiam Priennii reprehendit formidinem. Accidit au-

** adducente locum Iulio Cæſare Bulengero *erudito tractatu de ſortibus lib. I. cap, I.*

* Zonaras *III. Annal. circa fin.*

autem, ut ſacerdos eo tempore euangelium recitans, hæç verba caſu legeret: *ſi me perſecuti fuerint, perſequentur & vos Ioh. XV. v. 20.* Nec multo poſt, cum Nicephorus Baſilacius (cum Priennio cum parte copiarum miſſus eſſet ſubſidio) tum Imperator ipſe infelici pugna viui in poteſtatem hoſtium venerunt. Aliud ſortis ex lectione ſacri codicis oblatæ exemplum plane ſingulare in hiſtoria reperimus Francica. Clodouæus equidem Francorum rex, cum aduerſus Alaricum Viſi-Gothorum regem Arrianum bellum gereret, & iam agrum Turonenſem cum exercitu transiret, *miſſos aliquot ad baſilicam Sancti Martini viros attendere iusſit, num auſpicium aliquod victoriæ cernerent. Ac, datis muneribus, quæ offerrent, dixit: ſi tibi Domine cordi eſt, vt ego hanc gentem impiam, & nomini Tuo inimicam vlciſcar, fac, vt ſignum aliquod tuæ eluceat voluntatis. Nuncii vero, qui misſi erant, baſilicam ineuntes primicerium incinentem hanc antiphonam audierunt: præcinxiſti me Domine virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicorum meorum mihi dediſti dorſum, & odientes me diſperdidiſti, idque perſolutis donis regi ipſi renunciarunt.* Cum autem lætus ille propterea motis caſtris Gothorum exercitum adortus eſt, atque ipſo Alarico rege occiſo, ingen-

gentem de iisdem reportauit victoriam. ** Aliud exemplum ex Garimberto adducit Berneggerus, *** de Petro Benchio patricio Veneto, qui accepto oraculo *Petre ſequere me*, curiam Romanam relicta republica ſequi cœpit, donec ad Cardinalatum adſcenderet. Qvod tamen inter ſpuria potius retulerim.

§. XIII. Alius ſortium mos obtinuit quoque in eccleſia, circa epiſcoporum electionem. Res antiqua erat & Hebræorum eccleſiæ non infrequens, vt per ſortem ſummus eligeretur pontifex, quam & prima Chriſtianorum eccleſia in conſtituendo in Iudæ locum apoſtolo ſecuta fuit. Iſtæ ſortes piis præmiſſis precibꝯ ideo inſtitutæ, vt de voluntate diuina certi nutum ſequerentur Dei omnipotentis. Hunc primum eccleſiæ morem ſecuta eſt ea ſequioris temporis. Cum enim duo adeſſent epiſcopatus candidati, in re tali dubia ſortes conſulebant apoſtolorum. Concilium quidem Barcinonenſe can. III. idem adprobat, vt duobus aut tribus, quos ante conſenſus cleri & plebis elegerit, Metropolitani iudicio, eiusque Cöepiſcopis præſentatis, quem ſors præeunte epiſcoporum ieiunio Chriſto

S 5 Do-

** Sigonius *de regno Occidentali lib. XVI. ad ann. 506. p. m. 274.*

*** *obſeru. hiſtor-polit.* XXVIII. §. 12.

Domino terminante, monſtrauerit benedictio conſecrationis adcumulet. Licet & hoc in Hiſpaniam nunquam fuiſſe praxi receptum contendat Gontzalerz * ſed huic per concilium Toletanum abrogatum. Rationem in eccleſiaſtica hierarchia adſignat hanc Dionyſius Areopagita, ** pontifici non competere motu proprio ſacros ordines conferre, *ἀλλ᾽ ὑπὸ Θεῷ κινοῦντι ταύτας ἱεραρχικῶς καὶ οὐρανίως τελεσιουργεῖν ſed iſtos inſtinctu Dei hierarchice & diuinitus perficere.* Exemplum habet vita Aniani epiſcopi Aurelianenſis, in qua totum huncce morem clare videmus deſcriptum verbis ſequentibus: *cumque varia electio populi fieret, ille eos paterno adfectu caſtigans, eisdem dixit, ſi vero paſtorem vultis electum a Domino fratrem & compresbyterum meum Anianum noueritis in meo conſtitui loco. Atque vt id ipſum diuina electionis clareſceret, cum triduanum ieiunium more eccleſiaſtico indixiſſet, breuibus & libris ſuper altare poſitis, nec dum loquentem paruulum adferri praecepit, vt ipſe breuia ab altari ſubleuaret. Tunc vero Chriſti operante virtute, cum puer manum inieciſſet altari, mox vt breue tetigit, vox inconſueta nouella verba prodidit, teſteque populo, proclamauit Anianus, Anianus, Anianus iſtius ciuitatis a Deo Pontifex eſt inſtitutus. Mox vt verba compleuit, aetatis tempora*

* *ad cap III. de ſortileg. p. 391.* ** *cap. V. §. V.*

pora lingua recognouit. Sed vt votis omnium fieret ſatisfactum, aperto pſalterio, verſum quem primum inuenerunt legentes, dixerunt, Beatus quem elegiſti &c. Prolato quoque Apoſtolico codice, in primo repererunt ſermone, fundamentum aliud nemo poteſt ponere &c. Sed & in euangelii pagina hanc primam repererunt ſententiam: ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam &c. His ergo virtutum inſignibus in Cathedra Aurelianenſis eccleſiæ ſanctus inſtitutus eſt Anianus. Sic in electione Martini Turonenſis epiſcopi cum obſiſterent quidam, tali ſorti res fuit commiſſa, vti Venantius Fortunatus † rem declarat, dum canit:

Accidit vt Turonum præſul peteretur ad urbem.
Nec tamen educi posſit de limine cellæ:
Ruricius quidam, ſimulata febre iugalis,
Obtinet egreſſum ſancta ad veſtigia ſupplex:
Vrbibus ex reliquis noua conciliabula currunt,
Lætificata ſimul ſanctam ſe ferre rapinam.
Ne tamen effugit, iuſtum cuſtodia vallat.
Interea, paucis tunc obſiſtentibus, inſons eligitur, trahitur, ſacratur & arce locatur.
Aemulus vnus erat Defenſor Epiſcopus, obſtans ne Martinus oues paſtor curaret alendas.
Nec mora, iudicio Domini, lectore canente
Verſiculo pſalmi Defenſor ſponte notatur;

† *lib. I. cap. II. de vita Martini*

Ex ore infantum & lactentum perſice laudem,
Nunc Defenſorem qui ſic bene deſtruis, inquit.
Mox fragor aſtra petit, clamor vagus atria complet.
Et docet ille fauor de Defenſore reatum.
Addictusque vir eſt, ſe iudice, teſte propheta.

Clarius adhuc dicta Fortunati verba explicat Sulpitius Seuerus, dumin eiusdẽ Martini vita ita ait: *Inter epiſcopos qui adſuerant, præcipue Defenſorquidã nomine, dicitur reſtitiſſe: vnde animadverſum eſt, graviter illum lectione prophetica tunc notatum. Nam cum fortuito lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus a populo defuiſſet, turbatis miniſtris, dum expectatur qui non aderat, vnus e circumſtantibus ſumto pſalterio, quem primum verſum invenit, arripuit. Pſalmus autem erat: ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & defenſorem, quo lecto clamor populi tollitur, pars diuerſa confunditur. Atque ita habitum eſt, diuino nutu pſalmum hunc lectum fuiſſe, vt teſtimonium operis ſui Defenſor audiret, quia ex ore infantium atque lactentium in Martino Domini laude perfecta, & oſtenſus pariter & deſtructus eſt inimicus.* Quare & inter crimina Valdenſibus imputata hoc quoque refertur,* eos laicos, qui ſorte ſanctos eligunt in altari, deridere. Ex quo etiam videmus, vsque ad ſeculum decimum quartum huncce morem du-

† *Rainerus de Valdenſibus c. V.*

duraſſe. Licet iam antea hunc in epiſcoporum electione ſortis vſum Honorius III. perpetua prohibitione damnauerit. ††

§. XIV. Alia diuinationis erat ſpecies, quam poſtquam iam conſecrati erant epiſcopi, adhibebant, non ut in re dubia, ſed de epiſcopatus adminiſtratione, e piſcopi fatis, & vitæ fine. Vocant illam diuinationem ſcriptores prognoſticon. De quo libellus ſupplex capituli Aurelianenſis ad Alexandrum III: *apertæ ſunt cataractæ cæli vt credimus, & de cæleſtibus ſtillat indignatio; & apoſtolicæ manus fortitudinem induantur, vt denudetur iniquitatis fundamentum vsque ad collum & finem iniquitatis ſortiatur, quem in die ſuæ promotionis ſermo diuinus ei prognoſtica ſignificatione propoſuit: aperto enim ſicut moris eſt, euangeliorum libro, ſermo qui primus occurrit, ſic erat: adoleſcens autem relicta ſyndone nudus profugit ab eis.* Sic & Guilielmus Malmesburienſis * de Lanfranco epiſcopo Anglo dicit: *aiunt eius prognoſticon: date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis. Quo ille ab adclamantibus hilari vultu ad Dominum direxit: certemus ergo mutua viciſſitudine tu dando, ego diſpertiendo.* Ritus conſtabat in eo, vt inter conſecrandum ab epiſcopis ſuper candidatum apertus teneretur euangeliorum codex, & poſt peractam conſecrationem, verba obuia auſpicium

†† *cap. III. X. de ſortileg.*

* *lib. I. de pontif. Anglic. p. m. 214.*

cium datura inſpicerentur. Patet id ex eodem Malmesburienſi † qui de Anshelmo: *inter ſacrandum pro ritu eccleſiæ, codex euangelii ab epiſcopis ſuper eum apertus tenebatur. Conſecratione autem peracta, cum codex inſpiceretur in paginæ ſummitate hæc ſententia eſt reperta: vocauit multos & miſit ſeruum ſuum & cœperunt ſe excuſare.* Licet & hæc apertio codicis ſacri atque diuinatio, antequam archiepiſcopo præſentaretur ordinandus, locum haberet. Docet id Aegidius monachus aureæ vallis de Alberto epiſcopo Leodienſi, dum ait: * *cum autem a duobus epiſcopis ante euangelium miſſæ, ſicut ſancti Patres ſanxerunt, ordinandus in epiſcopum Archiepiſcopo præſentaretur, Archiepiſcopus librum, qui ei erat oblatus, aperiens, in prima parte libri legit: Miſit Herodes Rex & tenuit Ioannem & vinxit eum in carcerem. Et poſtea ſequitur: & decollauit eum in carcere. Statim archiepiſcopus fremens in ſemetipſo ſpiritu contrito, quaſi lacrymando intuens in eum dixit: Fili, accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia & timore & præpara animam tuam ad tentationem, tu enim martyr es futurus.* Ita & Guibertus † de ſe in Abbatem Nouigenti electo: *cum obuiam mihi procedere para-*

ra-

† *p. 219. et Matthæus Pariſienſis ad ann. 1093.*
* *cap. LXIV*
† *lib. II. de vita ſua cap. III.*

rarent, textum euangelii ex induſtria ſuper altare hac attentione aperuit, vt quod capitulum oculis primum occurreret, pro mei auſpicio haberet. Mox: *aperuit ergo librum, cui iuxta morem extrinſecus labra depreſſeram.* Plura exempla ſuppeditat du Freſne in gloſſario ſuo † & qui ex eo habet venerabilis Abbas Ioannes Andreas Schmidtius in ſua de cultu euangeliorum diſſertatione. ††

§. XV. Obtinebat quoque, vt ipſi, qui noviter conſecrati, euangeliorum librum aperientes, occurrentem fortuito verſiculum pro more legerent. Exemplum in Metropolitano Cherſoneſi habet Syluester Scyropulus in hiſtoria concilii Florentini: ††† *cum ſacra* ait, *euangelia manibus Patriarchæ ſibi tradita prehenſaret, & caſu librum aperiret, vt occurrentem fortuito verſiculum pro more legeret, proiecit in hæc verba: ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt: Hæc obſeruabant nonnulli, & in non minus durum omen trahebant.* Omen forſan nimis certum, quod & hodie ſi contigerit in ſimili caſu, forſan non falleret.

§. XVI. Eadem episcopalis prognoſtici ſpecies obtinuit etiam apud Græcos, de quo teſtatur Pachymeres: † ὡς δὲ ὁ καράκαλος Νικομηδείας τὸ ζυγὸν τοῦ εὐαγγελίου ἐτίθει, καὶ ἤδη

τ

† *Voce ſortes ſanctorum*
†† *§. VIII. & IX*
††† *ſect. XII. c. IV.*
† *lib. V. c. XV.*

τ̃ θεῖον χρησμὸν ἔμελλεν (φέρουσι γὰρ τι κἂν τούτων ἐπὶ τοῖς τελουμένης οἱ πολλοὶ πίστεις. κἂν οὐκ ἀναγκαῖα ἡ ἐπισήμανσις) τὸ εἰς κόλασιν ἀπόφημον ἐν τῷ ἱερῷ εὐαγγελίῳ ἐνεφανίζετο, τὸ δὲ ἦν, τῷ διαβόλῳ κ̀ ἀγγέλοις αὐτοῦ.

Vt vero Caracalos Nicomediæ iugum euangelii imponeret, & iam diuina conſulturus eſſet oracula (multi enim de conſecrati fatis aliqua ducunt argumenta, licet non neceſſarius ſit ſignificatus) infauſtum quidpiam atque ad vindictam in ſacro adparebat euangelio, quod erat: diabolo & angelis eius.

§. XVII. Videmus inde, cur iſti qui ſacris præſunt, dicti fuerint clerici, a Græcorum κλῆρος, quod ſortem notat. Quod & quodammodo innuit Auguſtinus, * dum ait: *Cleros ſors græce dicitur, & ſortes ex promisſione Dei partes hereditatis vocantur, quæ populo ſunt diſtributæ. Nam & cleros & clericos, hinc adpellatos puto, qui ſunt in eccleſiaſticis gradibus ordinati: quia Matthias ſorte eſt. electus, quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum. Clericus enim dicitur a κλῆρος id eſt ſorte, quia ſorte in ſortem domini adſciſcitur.* Quod ex Auguſtino quoque hauſit Iſiodorus.* Sic & Hieronymus ** clericos quaſi ſorte ele-

* *in pſalm. LXVII.*
* *Origg. lib. VI. c. XII.*
** *ad Nepotianum ep. II.*

electos dicit. Licet &alibi*** eos ita dictos velit, quia Dominus ipſorum ſors ſiue pars eſt. Quibus male clerici noſtræ ætatis ſic dicti abutuntur, quaſi ipſorum ſolum ſors ſit dominus, alios omnes excludentes; cum Petrus alias κλῆρον **** vocet omnem populum Chriſtianum. Omnes ergo Chriſtiani ſunt clerici, quorum ſors eſt dominus. Ea tamen ratione qua ſorte electi, (vtinam non per matrimonium vel per Simoniam) clericorum adpellationem illis ſolis lubenter relinquimus.

§. XVIII. Bruno quidem Signienſis epiſcopus excuſare quodammodo conatur has in epiſcoporum conſecratione ſanctorum ſortes atque prognoſtica, dum ait: *non ad ſortes inquirendas, vt ſtulti opinantur, euangeliorum liber eius, qui conſecratur, humeris imponitur; ſed vt per hoc intelligat, cui labori & oneri ſubiiciatur, & pondus euangelicæ prædicationis eum circumquaque ferre non pigeat.* Sed ex locis ſupra adlegatis ſatis clare patet, pro auſpicio id factum, quare & prognoſticon illud dictum. Non tamen diffiteor, prognoſtica hæc ſenſim irrepſiſſe ex iſta euangeliorum codicis impoſitione. Vti enim ipſa fides corruebat per tempora, ſic & ex iſta conſuetudine impo-

(4) T nen-

*** *de veſtimentis epiſcop. cap. cur fiant prænoſtica in conſecr. epiſc.*

**** *I Pet. V. v. 3.*

nendi conſecrandis apertum euangelii codicem ortum eſt, vt ex verbis primo loco obviis omen caperent, quaſi diuinitus datum.

§. XIX. Ritum autem hunc imponendi euangelia ab Apoſtolis quidem ducit Iacobus Goar, † ea ex ratione, quod inter conſtitutiones apoſtolicas, †† quæ Clementi Romano collectori attribuuntur, eiusdem ritus quoque fiat mentio his verbis: τῶν διακόνων τὰ θεῖα εὐαγγέλια ἐπὶ τῆς χειροτονȣμένȣ κεφαλῆς ἀνοιγμένα κατεχόντων, *diaconis diuina evangelia ſuper ordinati caput aperta tenentibus.* Conſtat tamen inter eruditos has conſtitutiones nec Clementis eſſe, nec ad apoſtolorum tempora attingere. Nihilominus antiqua res eſt, quam ab aliis comprobatam videmus eccleſiæ ſcriptoribus. Dionyſius quidem Areopagita † idem teſtatur: ὁ ἱεράρχης inquit, ἐπὶ τὴν ἱεραρχικὴν τελείωσιν προσαγόμενος ἄμφω τὼ πόδε κλίνας ἐπίπροσθε τȣ̃ θυσιαστηρίȣ ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὰ θεοπαράδοτα λόγια, καὶ τὴν ἱεραρχικὴν χεῖρα. *Pontifex ad initiationem Pontificiam ſuscipiendam accedens, vtroque genu flexo ante altare, ſuper caput habet diuinitus tradita verba impoſita, & Pontificiam manum.* Nec tamen ex hoc adlegato loco

† *notis in Euchologium Græcorum p. m. 32.*
†† *lib.* VIII. *c.* II.
† *de eccleſ. hierarchia c. V.*

co probare licebit, ab apoſtolorum ſtatim temporibus hoc ita obtinuiſſe, quod inter patres apoſtolicos alias referatur Areopagita. Cum certum ſit hæcce ſcripta non eſſe genuina, nec a primis patribus recepta, ſed ſeculo quinto demum innotuiſſe. †† Potius probari poterit, circa Carolina primum tempora huncce morem inualuiſſe, vti ex fragmentis Caroli M. de ritibus veteris eccleſiæ a Wolfgango Latzio editis patet, verbis ſequentibus: † *illud vero, quod epiſcopi tenent codice[m] e-vangeliorum ſuper caput eius & vno funden[te] ſu-per eum benedictionem, reliqui qui adſunt e[piſco]pi, manibus ſuis ſuper caput eius tangunt, non [r]eperi-tur in auctoritate veteri, neque noua, ſed neque in Romana traditione.* Rationem autem cur hoc fiat, exponit Chryſoſtomus, †† vt ſcilicet argumentum ſit ipſum eſſe poteſtati ſubiectum, dum ait: ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν ἱερέων τὸ εὐαγγέλιον τȣ̃ χριςȣ̃ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τίθεται. ἵνα μάθῃ ὁ χειροτονȣ́μενος, ὅτι τὴν ἀληθινὴν τȣ̃ εὐαγγελίȣ τίαραν λαμβάνει. ϗ ἵνα μάθῃ εἰ ϗ πάντων ἐςὶ κεφαλὴ, ἀλλ' ὑπὸ τȣ́τȣς πράττει τȣ̀ς νόμȣς, πάντων κρατῶν, ϗ τῶν νόμων κρατȣ́μενος. πάντα νομοθετῶν, ϗ ὑπὸ τȣ̃ νόμȣ νομοθετȣ́μενος,

†† *Vid.* Ittigii *diſſertat. de patribus apoſtolicis p. m.* 152.

† *p. m.* 71.

†† *orat.* ὅτι τῆς παλαιᾶς ϗ καινῆς διαθήκης εἷς ὁ νομοθέτης *Tomo* VIII *p. m.* 721.

δὶα τȣ̃το γεννᾶιος τις τῶν ἀρχαίων, Ιγνάτιος ἦν ὄνομα αὐτῷ. ȣ̃τος ἱερωσύνῃ ϗ μαρτυρίῳ διαπρέψας, ἐπιςέλλων τινὶ ἱερεῖ ἔλεγε μηδὲν ἄνευ σȣ̃ γνώμης γινέϑω. μηδὲ σὺ ἄνευ γνώμης Θεȣ̃ τὶ πράττε. τὸ τοίνυν ἔχειν ἀρχιερέα τὸ ἐυαγγέλιον σημεῖόν ἐςι τῶν ὑπ᾿ ἐξȣσίαν εἶναι. *In eccleſia, in ordinationibus epiſcoporum euangelium Chriſti, eorum capiti imponitur; vt diſcat ordinatus, ſe veram euangelii tiaram accipere: atque vt diſcat etiamſi omnium ſit caput, his tamen ſe ſubiici legibus: & in omnes quidem habentem imperium, ſed legibus ſervientem: omnia legibus moderantem, ſed legi eſſe ſuppoſitum. Quapropter ex antiquis quidam Ignatius nomine, ſacerdotio & martyrio illuſtris: ſcribens ad quendam epiſcopum, aiebat: Nil ſine tua voluntate fiat, neque tu ſine Dei voluntate quidquam agas. Quod igitur habeat Pontifex euangelium: argumentum eſt, eum eſſe poteſtati ſubiectum.*

§. XX. Quare & hæc euangeliorum codicis impoſitio apud Græcos quoque in epiſcoporum ordinatione recepta fuit. De quo Euchologium:* ϗ ἀναπτύσσων ὁ ἀρχιεπίσκοπος ἐυαγγέλιον, ἐπιτίϑησιν αὐτὸ ἐπὶ τ̄ κεφαλὴν αὐτȣ̃, ϗ τ̄ τραχηλὸν, παρεςώτων ϗ ἄλλων ἐπισκόπων, ϗ ἐφαπτομένων αὐτῶν τȣ̃ ἁγίȣ ἐυαγγελίȣ, *& aperiens archiepiſcopus euangelium, imponit ſuper eius caput & collum adſtantibus & aliis*

† p. 304.

aliis epiſcopis, & ipſis ſanctum euangelium tangentibus. Atque hoc in ordinationis ſtatim initio, quod circa manuum impoſitionem repetebatur denuo, ita vt ſuper caput apertus teneretur codex, vt eſt in Euchologio: †† εἷς δὲ τῶν ἀρχιερέων, ἤγουν ὁ πρῶτος λαμβάνει τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον, καὶ τοῦτο ἀνανεώξας τίθησιν αὐτὸ ἐξάπινα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, ἐπὶ προσώπου κρατοῦντες αὐτὸ, οἱ ἕτεροι ἀρχιερεῖς ἔνθεν κἀκεῖθεν. *vnus vero pontificum nimirum primus ſanctum evangelium accipit & aperiens illud confeſtim ponit ſuper caput ipſius.* Tenebant ergo codicem ἐπὶ προσώπου in prima parte, quæ aperta, ex quo ſine dubio ortũ, vt verba primo loco ſtatim obuia auſpicii loco notarent.

§.XXI. Similes autem ſortes non in epiſcoporum duntaxat obtinebant electionibus cõſecrationibuſque, ſed & in Canonicorum. Adducit enim du Freſne formam recipiendi Canonicum in eccleſia Bononienſi in Morinis, quam extare dicit apud Iacobum Petitũ poſt Pœnitentiale Theodori, in qua hæc habeantur: *Decanus vel eo abſente Præſidens, promiſſa legens, indutus Stola, adſpergit aquam benedictam ſuper Canonicum receptum, & a ſingulis ſecundum ordinem admittitur ad pacis oſculum: deinde aperto codice euangelico capite primi folii*

†† p. 310.

quæ ſcripta reperit, & verba adnotantur ad memoriam ſuæ receptionis.

§. XXII. Adfines hisce ſortibus codicis ſacri erant ſortes per breuia, quarum & ſupra in electione Arriani mentionem factam videmus: *breuibus & libris ſuper altare poſitis, nec dum loquentem paruulum adferri præcepit, vt ipſe breuia ab altari ſubleuaret. Tunc vero Chriſti operante virtute, cum puer manum inieciſſet altari mox vt breue tetigit, vox inconſueta nouella verba prodidit &c.* Modus talis erat, vt duas pluresue epiſtolas ſeu ſchedulas ſub altaris palla confuſe poſitas, quibus vel nomina eligendorum vel adfirmatio vel negatio negotii inſcripta erant, quæque poſt ſolennes preces ac ieiunia indicta capienti occurrebant, ea pro indicio habebantur diuino. Illuſtrat hunc modum contentio, quæ de corpore S. Leodegarii fuit, quod ſibi vindicabant epiſcopi Pictauẽſis, Auguſtodunenſis & Atrebatenſis, de qua Baldericus: † *Donec ex ſententia cæterorum pontificum tribus epiſtolis, horum trium nominibus ſubſcriptis, & confuſe ſub palla altaris obiectis, factaque in commune oratione, Pictauenſi epiſcopo ex indiciis ſanctum corpus deberi declaratum eſt.* Qualem ſortem etiam priuati de rebus ſuis conſulebant, vti exemplum adducit Gregorius

† *lib.* I. *Chronici Cameracenſis cap.* XXI.

rius Turonenſis, †† dum ait: *Tunc pro hoſpitio quoddam breuibus conſcriptis poſuit ſuper altare, vigilans & orans tribus noctibus, vt quid ei dominus iuberet, dignaretur manifeſtiſſime declarare. Sed pietatis diuinæ inclyta miſeratio, quæ cum præſciens eremitam eſſe decreuerat, breuem illum accipere iubet, vt eremum properaret.*

§. XXIII. Sed licet hæ ſanctorum ſortes nō inter priuatos ſolum, ſed & in eccleſias frequenti vſu eſſent introductæ, interdictum tamen hiſce fuit per varia conciliorum & canonum decreta. Concilium Venetum † quidem quod tempore Leonis I. ſeculo V. fuit habitum eum clericum, qui detectus fuerit conſulere vel dicere tales ſortes, ab eccleſia iubet eſſe extraneum. Suffragatur concilium Agathenſe, quod ſub Symmacho Papa anno 506. inſtitutum plane prohibet: Canon enim XLII. ita decernit: *ac ne fortaſſe id videatur omiſſum, quod maxime fidem catholicæ religionis infeſtat, quod aliquanti clerici, ſiue laici ſtudent auguriis, & ſub nomine fictæ religionis per eas, quas ſanctorum ſortes vocant, diuinationis ſententiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum inſpectione futura promittunt. Hæc quicunque clericus, aut laicus detectus fuerit, vel conſulere, vel docere, ab eccleſia habeatur extraneus.*

T 4 Quem

†† *de Vitis ſanctorum cap. IX.*

† *Can. vi.*

Quem canonem in ſuum etiam Decretum compilauit Gratianus. †Sic & canon XXX. Concilii Aurelianenſis primi, ab eccleſiæ communione pellit, *qui diuinationes & auguria obſeruant atque ſortes mentiuntur ſanctorum.* Antiſſiodorenſis concilii canon IV. præſcribit: *non licet ad ſacrilegos vel auguria reſpicere, nec ad caracteres, nec ad ſortes quas ſanctorum vocant, vel quas de ligno aut de pane faciunt, adſpicere, ſed quæcunque homo facere vult, omnia in nomine domini faciat.* Si quis autem tali ſortilegio fuerit vſus, pœnitentia præſcribitur. Pœnitentiale quidem Theodori atque Romanum † ita habet *In tabulis, vel in codicibus ſorte futura non ſunt requirenda, aut nullus in pſalterio, vel in euangelio, vel in aliis rebus ſortiri præſumat, nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus obſeruare. Quod ſi fecerit, XL dies pœniteat.* Eundem canonem decretalibus inſeruit Gregorius, †† qui tamen ex Pœnitentialis verbis emendandus. Pro tabulis tamen alii ††† legunt in taleis, quale ſortilegium priſcis olim Germanis non ignotum. †††† Quidnam vero ſit pœnitentia XL dierum explicat c. IX. de accuſationibus ſcilicet in pane & aqua, quod carenam vocabant. Immo & ex com-

†† *c. 26. qu. 5. c. 6.*

† *tit.* VI. *c.* VII. †† *c.* IX. *de ſortileg.*

††† *Cironus lib.* I. *obſeru. c.* III. Gonzaletz *ad d. c.*

†††† Linck *de ſort. ſanct. cap.* I. §. II.

communicationis fulmen vibrabant in eos, qui haſce obſeruarent ſortes, ita tamen vt pœnitentiæ locus ſit. De quo Regino ex pœnitentiali: *auguria vel ſortes, quæ falſo dicuntur ſanctorum, vel diuinationes, qui eas obſeruaverit, vel quarumcunque ſcripturarum, vel vota vouerit, vel perſoluerit, ad arborem, vel ad lapidem, vel ad quamlibet rem, excepto ad eccleſiam, omnes excommunicentur. Si ad pœnitentiam venerint, clerici annos III laici vnum annum & dimidium pœniteant.* Ita & Carolus M. in Capitulari tales ſortes plane prohibet, *vt nullus vel in pſalterio, vel euangelio, vel in aliis rebus ſortiri præſumat, nec diuinationes aliquas obſeruare.*

§. XXIV. Sed dubium forſan eſſe poſſit, an hæc ſortium ſpecies licita ſit, atque legitima? Diſputatum de eo iamdum fuit inter Thomam Gatackerum, Gisbertum Voetium & Guilielmum Ameſium, licet præcipua inter hoſce controuerſia fuerit, de ſortibus ludicris, an illæ ad licitas diuiſorias ſint reducendæ; quas cum Danæo, Voetio & Ameſio plane damnamus. Aliæ ſortes contradicente licet Gatackero, diuiduntur in diuiſorias, conſultorias & diuinatorias. Noſtra, quæ ex ſacro codice petuntur, vel conſultoriæ ſunt vel diuinatoriæ, de quarum nunc diſ-

† *Capit. com. gen. can. 4.*

quiremus iuſtitia. Neque tamen de aliorum ſolliciti erimus ſententia, ſed noſtram potius explicare conabimur.

§. XXV. Adprobamus quidem omnes ſortes quæ ſponte oblatæ. Sæpius accidit, vt dum vel in ſtatu quodam peruerſo viuamus, vel in re dubia quid agendum, ſimus neſcii, codicem dum euoluimus ſacrum, non vt diuinam exploremus voluntatem, ſed ſine vlla tali cogitatione; ſub primum ſtatim adſpectum verba cadant, quæ de diuina certiorem nos faciant voluntate. Nonnunquam altiori quodam inſtinctu ad lectionem ſacri codicis ducimur, atque tum oracula videmus obuia, ſtatui noſtro quam maxime accommodata. Exemplum præbet Auguſtinus, † qui cum dubius eſſet vxoriamne vitam an cœlibem ageret, audiuiſſe ſe ait de vicina domo, vocem canentis & crebro repetentis tolle lege, tolle lege. Qua voce diuinitus ſibi iuberi putabat, vt aperiret codicem & legeret, quod primum caput inueniſſet. *Arripui*, inquit, *aperui & legi in ſilentio capitulum quo primum coniecti ſunt oculi mei: non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentiis.* Quo ipſo

† *lib.* VIII. *Confeſſ. c.* XII.

ipſo ſe vt cœlibem vitam ageret, dicit eſſe admonitum. Ipſe noui hominem, Chriſtum nunc ſerio anhelantem, qui cum ante aliquot annos Hamburgi viueret, vitam tum agens naturalem, tamen decoram. Huncce Deus per varios ductus ad ſe ducere tentabat, ſed fruſtra. Ex improuiſo tamen quaſi diuinitus monebatur dicto Ioannis: *iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt, omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Quibus verbis ductus, de meliori vita agere & magis pia cœpit.

§. XXVI. Quod ſi autem ſortes noſtræ non oblatæ quæruntur, licitæ ſunt, ſi modo rite conſultæ. Auguſtinus quidem ſortes haſce condemnare videtur, dum ad Ianuarium † ſcribit: *hi qui de paginis euangelicis ſortes legunt, etſi optandum eſt, vt id potius faciant, quam ad dæmonia conſulenda concurrant; tamen iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia ſecularia & ad vitæ huius vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula velle conuertere.* Sed abuſum damnat & ſortes diuinatorias, quas æque reiicimus, non conſultorias. Alio enim loco Auguſtinus, ſi tollatur abuſus, ſortem tanquam rem licitam laudat atque commendat. †† Sic enim ait: *ſors non aliquid mali eſt in dubitatione humana diuinam indicans volun-*

† *ep. CXIX.* †† *pſalmo XXX. conc. II.*

luntatem: nam & ſortes miſerunt apoſtoli. Quæ & eiusdem verba Gratianus † in decretum ſuum digeſſit. Rationem vero qua id fiat, ſenex ille medicus, qui Auguſtino ſuaſor fuerat, vt diuinatoria illa & aſtrorum iudicia, quibus antea deditus, abiiceret, ab Auguſtino interrogatus, qua ex cauſſa fieret, vt multa inde vera pronuntiarentur: †† *reſpondit ille vt potuit, vim ſortis hoc facere in rerum natura vsque quaque diffuſam. Si enim de paganis poetæ cuiuspiam longe aliud canentis atque intendentis, cum forte quis conſulit, mirabiliter conſonus negotio ſæpe verſus exiret: mirandum non eſſe dicebat, ſi ex anima humana ſuperiore aliquo inſtinctu, neſciente quid in ſe fieret, non arte ſed ſorte ſonaret aliquid, quod interrogantis rebus factisque concineret.* De ipſa tamen ratione, qua ſors in naturalibus eueniat, alibi vbi de naturæ effectibus agemus, pluribus dicemus.

§. XXVII. Vt dicam quod res eſt, ſortem modus facit vel licitam vel plane illicitam; ſæpe & impiam atque chriſtiano homine indignam. Licitas putamus ſortes omnes in re dubia pie quæſitas conſultorias. Mens tamen oportet, adſit pia, intentio iuſta, & ab omni reſpectu humano aliena, animus ſimplex diuinam voluntatem pro norma habens, ſolum quærens quod Dei eſt, non quod

† *c. 1. c. 26. qu. 2.* †† *Confeſſ. IV. c. III.*

quod noſtrum. Atque tum ſi hæc ita ſint, ſortes obſeruemus in ſacro codice obuias, de diuina perſuaſi voluntate. Parrheſia tamen quoque vt adſit, neceſſe eſt, & ea, quæ filium decet, erga Deum patrem noſtrum fiducia. Nec enim ſibi perſuadeat homo, inquit Iacobus, † qui dubitat, ſe accepturum eſſe quidpiam a Domino.

§. XXIIX. Firmari id ipſum poterit variis ex ſcriptura ſacra petitis locis atque exemplis. Prouerbiorum quidem ſcriptor † *ſortes mittuntur*, ait, *in ſinum, ſed a domino temperantur.* Hebræus textus omne ſortis iudicium a Deo eſſe dicit, ita vt Deus ſortem dirigat ad explorandum eius iudicium. Dependet ergo a prouidentia diuina, quæ humana regit. Quare & tot ſortis conſultæ in ſacris reperimus exempla, quæ ſatis hoc prouerbiorum dictum comprobant, ſortis iudicium a Deo fieri. Primum quidem ſortis iudicium in Leuitico †† occurrit, vbi ſuper duos hircos ſortem mittere iubetur ſacerdos. Quo vero id modo factum, ſcriptura tacet. Ebraei tamen duas ſortes in vaſculum fuiſſe proiectas autumant, in quarum vna ſcriptum לעזאזל in altera ליהוה. Exporrecta itaque dextra ſortem adripiebat ſacer-

† *cap.* I. *ϐ.* 7.
† *cap. XVI. ϐ. ult.* †† *cap.* XVI. *ϐ.* 8.

ſacerdos, cui ליהוה inſcriptum, & ille ſacer Deo habebatur, alter vero ad ſiniſtram in deſertum mittebatur, cum populi peccatis. Porro ſorte vſus eſt Ioſua † in explorando furto de anathemate, modumque ibi ſervatum prolixe explicat Toſtatus. Idem Ioſua ſorte vſus in diſtribuenda terrra Canaan. †† Sorte vtebantur in eligendo rege populus Iſrael, † atque in adſignandis officiis inter filios Aaron. †† Sortis adhibebant iudicium ad explorandos eos qui peccauerant, † ac denique per ſortem in locum Iudæ eligebatur Matthias Apoſtolus. †† Hæ omnes ſortes erant conſultoriæ, nullæ diuinatoriæ de rebus fatisque futuris. Hæ autem quas recenſuimus, ſortes, diuini quidpiam in ſe habuiſſe euentus ſatis clare monſtrat. Quodſi igitur apud Iſraelitas tales ſortes diuinitus conceſſæ, quidni etiam apud Chriſtianos, niſi per ἀπιστίαν noſtram a Deo ſimus alieni.

§. XXIX. Saluæ ergo ſunt tales ſortes atque Chriſtianis licitæ, nec male ageremus, ſi in iudicia noſtra tum ciuilia tum criminalia, (ni tam eſſent corrupta) introduceremus ſor-

* *cap.* VII. *v.* 14. ** *cap.* XVIII. *v.* 10.
* I. *Samuel.* X. *v.* 20. 21.
** I. *Paralip.* XXIV. *v.* 5. & XXV. *v.* 8.
† I. *Samuel.* XIV. *v.* 41. 42. †† *Act.* I. *v.* 26.

ſortis iudicium; ita enim melius decidi poſſent lites, quæ prauorum iudicum aduocatorumque nequitia ſæpius in infinitum protrahuntur: melius indagari poſſit veritas, quam quæſtionibus atque torturis, quæ innocentes ſæpe condemnant, & e Chriſtianis rebuspublicis plane relegandæ, vt alia taceam.

§. XXX. Damnamus vero cum beato parente † omnes ſortes diuinatorias, quibus Deum tentamus; ſiue ex ſacro codice, ſiue ex aſtris, geomantia & aliunde ſint petita. Dum enim de matrimoniis, diuitiis, officio publico & fatis reliquis disquirimus, fiduciam illam, quam in Deum, patrem noſtrum, habere competit, relinquimus, cum hæc a directione dependeant diuina. Et licet quidem aſtris ſuos non denegemus effectus, vti alibi demonſtrauimus, ſortes tamen inde petitas, tanquam illicitas reiicimus, cum Chriſtiano homini indignum ſit inquirere in ea, quæ ſolius ſunt prouidentiæ diuinæ. Quare etiam pleraque exempla ſuperius adlata haut adprobare velim. Ita potius viuamus, vt diuinæ nos linquamus voluntati; & ſic certi ſumus, omnia noſtra fata eſſe in manu Dei, nec nobis poſſe accidere, niſi quæ ſalutaria: hoc pium eſt & Chriſtianum.

OBS.

† Struue *de inuocatione nominis diuini aph. XXXVII. p. 221.*

De

DIFFERENTIA MIXTI, AGGREGATI, INDIVIDUI.

Synopſis.

Veteres & recentiores iugiter negligunt mixti & texti differentiam. §. I. *Dignam tamen conſideratu.* §. II. *propter confuſionem principiorum alias ſolennem,* §III. *Mixtum quid nobis ſit.* §.IV. *Et modus mixtionis* §. V. *Negligendo veterum opinionem.* §.VI. *Complectimur hic ſub mixto etiam compoſitum.* §. VII. *Textum quid nobis ſit.* §.VIII. *Et e quibus conſtet* §. IX. *Differentiæ.* §. X. *Magnitudo mixti exilisſima* §. XI. *texti ſpatioſa* §. XII. *Conſtitutiua mixti numero pauca,* §. XIII. *Texti numeroſa.* §. XIV. *Illius heterogenea, huius etiam homogenea.* §. XV. *Mixti figura abſolute inſenſibilis.* §. *XVI. Texti contra.* §. *XVII. Mixti combinatio intima* §. *XVIII. Texti laxa.* §. *XIX. Mixti nullus finis organicus notus.* §. *XX. Texti contra.* §. *XXI. Textum & aggregatum differunt.* §. *XXII. Aggregatum etiam ſpecioſe concinnatum, in nullum finem hoc habet.* §. *XXIII. Texto ſpecialiſſima conſtructio eſſentialis eſt.* §. *XXIV. Siquidem aggregata talia nullum, texta certum habent ſco-*

ſcopum organicum. §. XXV. Differentia indiuidui phyſici & aggregati. §. XXVI. Vana diuiſibilitatis acceptio. §. XXVII. Verior. §. XXVIII. Inſtrumenta requirens proportionata. §. XXIX. Et nullum eſſentiæ detrimentum. §. XXX. Reiicitur diuiſibilitas linearis & puncticularis veterum & recentiorum. §. XXXI. Vtilitas harum differentiarum. §. XXXII. Cuius defectu hodierna phyſica fruſtra a chymicis mutuatur. §. XXXIII. Quæ alienis & minus certis nominibus efferat. §. XXXIV. Numerum vero partium conſtituentium ita abſolute neſcit. §. XXXV. Imo materialis conſideratio, prærogatiuam efficaciæ certorum mixti conſtitutiuorum ſpondet, alteri hypotheſi imperſcrutabilem.

§. I.

VEtus videri poterit querela, quamvis a non ita multis demum luſtris coorta, ſi Ariſtoteli rerum phyſicarum male tractatarum dicã ſcribere ſuſcipiamus: Interim nouam hanc potius apparituram arbitramur, ſi non æque ipſi Ariſtoteli, quam recentibus quoque eius in hac materia cenſoribus, communem notam incutia-

mus; Quod quidem non poſſumus euitare, vbi de differentia mixti atque texti agere nobiscum conſtituerimus. Certe enim nusquam, quantum nobis quidem innotuerit, non magis apud recentiores, quam Ariſtotelicos, hoc negotium condigne euolutum proſtat.

§. II. Quanta vero ſit eius dignitas, ex eo præcipue innoteſcit, quod ex huius differentiæ neglectu, aut minore quam par erat, conſideratione, innumeræ confuſiones affectionum mixti ſimpliciter, texti ſimpliciter, & vivi, ab omni, adminimum ab Ariſtotelis, æuo, in hodiernum vsque diem perennent; Quin etiam nulla inde ſpes ſuperſit, ſumme neceſſariam illam, *mechaniſmi* ſimpliciter, & *organiſmi* differentiam, recte conſtituendi, quamdiu præſens hoc diſcrimen defecerit.

§. III. Imo, videtur nobis huic eidem fundamento inniti, ſolennis illa confuſio, quæ apud recentiores vigere videtur, inter principia *mixtorum* & *compoſitorum*, *proxima* & *remota*, *materialia* & *formalia*, *mechanice & phyſice* conſiderata. Vnde tot diuerſis, ſed tamen vndique conſideratu digniſſimis reſpectibus, tanto magis inducimur, ad rem hanc tanto exquiſitius reſpiciendam.

§. IV. Quod dum aggredimur, ante omnia neceſſe erit, ipſarum illarum rerum, de qui-

quibus agere ſuſpicimus, indolem deſcribere, vt hinc omni ambiguitati obex ponatur. Intelligimus itaque primo per vocem *Mixtum*, corpuſculum, ad ſenſus noſtros comparando, ita *minimum*, vt hos plane ſubterfugiat atque fallat, neque niſi *numeroſo agmine* facto, iisdem demum perceptibile euadat; Concretum nihilominus, e *numero pluribus* adhuc minoribus corpuſculis, diuerſæ *mobilitatis*, propter differentem tam *magnitudinem*, quam *figuram*, & præterea *mouentium* aliorum proportionatorum, maiorem vel minorem copiam.

§. V. Conſentimus interim recentioribus, quod *mixtionis*, (*mixtionis* inquam, non *mixti*) cauſa materialis, proprie ſit proportionata *conuenientia figuræ & magnitudinis*; cauſa *inſtrumentalis* occurſus *motuum*, ab aliis in motu conſtitutis corpuſculis: cauſa *formalis*, exquiſitisſima inter ſe inuicem *applicatio & implicatio*. Et hæc quidem mixtionis *in genere*; Mixtionis vero *in ſpecie* cauſa materialis, præter dicta, etiam numerus certus.

§. VI. Ita, vt hac ratione non faciamus cum intricata illa Veterum opinione, quod mixtio partium conſtituentium, talem penetrationem inuoluat, vt hæ, partes inquam conſtitutiuæ, propriam ſuam *formam*, ſub nouæ illius mixtionis coalitu, penitus exuant:

Ex quo conceptu ſterilis illa ſpeculatio de *Priuatione*, in negotio generationis, ortum ſuum duxit. Sed potius agnoſcamus, quod etiam in *ſtatu mixtionis principia* mixti conſtitutiua, nihilominus eſſentialem ſuam *magnitudinem, figuram*, & ab his pendentem *mobilitatem*, retineant; Non niſi exquiſita iuſta *poſitione, applicatione*, & interdum implicatione, & *motu* rerum *ambientium*, cohæreant: &, ſi iuſta *inſtrumenta*, & iuſtæ *directiones* proportionatorum motuum, adhibeantur, e mutuo hoc ſui *nexu* dimota, antiquas ſuas & proprias affectiones denuo exhibeant & exſerant.

§. VII. Imo vero, accipio hoc loco nomen *Mixti*, etiam latius, ut ſub illo & *compoſitum* comprehendam; vtpote quod ipſum, licet non immediate e *ſimplicisſimis* minimis, coaluerit, ſed e talibus, demum *mixtis*, numero pluribus & ſpecie diuerſis: Nihilominus ipſum quoque eius *tenuitatis* atque teneritudinis eſt, vt in *indiuiduo*, imo vero niſi *numeroſa* aggregatione, omnes *ſenſus* noſtros externos eludat.

§. VIII. *Textum* vero, non *generalisſimo* illo ſenſu hic accipimus, quo ſimpliciter omnem *combinationem* & implicationem, etiam paucisſimorum quorumlibet conſtituentium principiorum, denotare poſſet; Sed vtimur

timur hoc vocabulo ſenſu magis proprio & *recepto*, nempe de *aggregato*, plus minus individualiter etiam, in *ſenſus* noſtros incurrente; Formato per admotionem, compoſitionem, *coordinationem*, conſtructionem, ſiue magis *fortuitam*, ſiue plane *deſtinatam*, & ad vlteriorem & nobiliorem *finem* ita directam, vt niſi hæc textura, ita & non aliter, coordinata fuiſſet, *finis* ille obtineri non valeret, cuius hæc textura, hac ratione, verum atque ſolidum *inſtrumentum* hoc ipſo agnoſci debeat.

§. IX. Hoc ſenſu acceptum *Textum*, eminentisſime, & vere *κυρίως*, occurrit in corporibus reuera *viuentibus*; Tanto magis vero *ſentientibus*, & *locali motu* inſtructis: quæ omnia, quantula vel quanta demum cunque mole conſtent, coagmentata vtique ſunt, e *numeroſisſimis*, imo innumerabilibus, *mixtorum & compoſitorum* corpuſculorum *indiuiduis*, in vnam, & ordinatisſimam quidem illam *ſtruem*, non ſolum aggregatis, ſed exquiſitisſima proportione coordinatis: Adeoque pro materialibus ſui principiis, non habent immediate corpuſcula illa *primordialia*, *ſimplici* figura atque magnitudine determinata: ſed & *numero* & *ſpecie* multiplici diverſa, & non niſi admodum mediate, imo difficillime, in prima iſta ſui principia reducenda.

§. X. Ex his ipſis deſcriptionibus, poteſt quidem iam ſic ſatis diluceſcere, quantum, imo vero quomodo, inter ſe differant, *mixtum* atque *textum*, ſi vtræque inter ſe mutuo comparentur. Interim placet nobis huius quoque laboris lectori compendium facere, & differentias has, & quæ forte aliæ propius ab hiſce proficiſcuntur, ob oculos exponere.

§. XI. Prima *Mixti* affectio, in ordine ad ſenſus noſtros, eſſentialis, perpetua, & inſeparabilis, eſt, quod ſit molis ita ſumme *exiguæ*, vt ſenſus noſtros quosuis abſolute effugiat, neque vnquam niſi in *aggregato*, longe maximum *numerum* eius generis corpuſculorum comprehendente, his occurrat aut ab illis animaduertatur.

§. XII. *Textum* contra (ſi a nuda illa *combinatione*, quæ inter numero plura corpuſcula mixtim complicata, aut quacunque aggregatione inter ſe congregata, coaleſcunt, nomen hoc abſtrahamus,) non modo indifferenter ſe habet, ad ſpatioſam etiam magnitudinem atque molem; ſed & fere in diffuſiore quantitate, tanto plus formalis ſuæ conſtitutionis, nempe *texturæ* eo ipſo habeat & exhibeat: tanto magis ſi, quod fere fit, non in vniuerſum homogeneus ordo atque ſitus corpuſculorum, e quibus conſtructum ſeu contextum eſt illud textum, ſubſit, (quod fortaſſe

fortaſſe aliquis pro aggregato textorum habere & interpretari poſſet) ſed ita diſpar, vt notabilis diuerſitas vel ipſo ſenſu diſcerni posſit: Interim tamen etiam diſparis ordinis textum, illam habeat harum ſui partium συζυγίαν, vt ad *vnum* aliquem *communem* effectum conſpirent; vel ad diuerſos quidem, attamen illi *vni* eidemque texto, competentes.

§. XIII. Proxima mixti affectio eſt, quod e *diuerſis* numero & ſpecie differentibus, *paucisſimis* licet, coaluerit. Vnde quidem ſenſu in ſuo facile abundare patimur, quicunque ingenioſam *Democriteorum*, & inter hos primatis *Carteſii*, conſiderationem, de *figura* primordialium corpuſculorum, ad *innumeras* ſpecies extendunt; Sed eo ipſo nihil, niſi opiniones & ſpeculationes, non vero verarum & actualium rerum certitudines atque ſcientiam, in phyſicam inferunt; adeoque a poſteriori deinde, ne leuisſimarum quidem realium demonſtrationum, circa *numerum & ſpeciem* principiorum primorum, compotes ſunt: Nos vero, arte & experientia duce, *paucisſimas* numero eſſe *ſpecies* primordialium corpuſculorum ſeu *mixti principiorum*, ſatis certo ſcimus.

§. XIV. *Texti* contra, dum neceſſario *aggregatum* aliquod eſt, vera indoles, poſcit o-

mnino, vt e *numeroſis* conſtituentibus corpuſculis conſtruatur.

§. XV. Porro cum Mixtum, vt modo dictum, neceſſario e *ſpecie* quoque pluribus ſeu *diuerſis* componatur; *Textum* indifferenter ſe habet ad hanc circumſtantiam, & poteſt etiam ex *homogeneis* formari.

§. XVI. *Mixtum* non habet *viſibilem*, aut alio ſenſu determinabilem, ſed conceptibilem tantum in genere, *figuram*; Eam tamen neceſſariam, ſcilicet e figuris & mutua proportione illorum *primordialium* corpuſculorum, e quibus ipſum coaluit, reſultantem.

§. XVII. *Textum* vero, habet etiam plus minus *ſenſibus* dignoſcendam certam figuram; Sed non tam *neceſſitati figuræ* corpuſculorum, e quibus conflatum eſt, reſpondentem, aut ex eiusmodi *arctiſſima* illorum vnione proficiſcentem: Sed potius e nexu, & *implicatione* veriſimilius quam undique exquiſita *complicatione* prognatam, quæ magis *flexilitati*, aut variæ mobilitati, nempe *organico* vſui atque deſtinationi ipſius texti, quam alteri cauſæ, adaptata ſit.

§. XVIII. *Mixti* denique conſtitutiuorum corpuſculorum vnio ſeu mutua applicatio & combinatio, ita exactiſſima & vndiquaque *exquiſita* eſt, vt propterea non niſi difficillime, tenerrimis atque aſſiduis *motibus*, &

pau-

paucisſimis plane, quæ nempe proportioni vnius vel alterius conſtitutiui mixtorum principii (quæ pauca eſſe iam monuimus) reſpondeant, *inſtrumentis*, ex hac vnione, iterum dimoueri posſint: Quod quidem vix facilius ſuccedit, quam ſi in *nouam* aliquam *mixtionem*, e priſtina illa, transſumantur, ac veluti abripiantur.

§. XIX. *Texti* contra conſtitutiuorum corpuſculorum *laxa* cohæſio & infirmus nexus, diluceſcit præcipue, e facili & expedita illa *dimotione* atque reſolutione, cui ita obnoxia ſunt, vt fere ſingularibus *conſeruatoriis* artificiis indigeant, quæ ſpontaneam velut illorum fatiſcentiam, & promptum a ſe invicem receſſum, operoſe arceant.

§. XX. *Mixtum* denique, directe & proprio veluti fine, vix vlli alii *ſcopo* deſtinatum eſſe intelligi poteſt, niſi illi ſolum, vt inſerviat, vel potius ſpecie plura mixta, inſeruiant, pro materia, plurium inde progignendorum *compoſitorum*; Quod præſtant, magis *indiuiduali* ſui concurſu: Vel vt inſeruiant pro materia aggregatorum atque textorum, quod præſtant *numeroſo* acceſſu. Habent ſeſe vero hic magis pure *mechanice*, vt nempe quantum *figura* ipſorum ſubire poteſt, nouas tales *combinationes* admittant, iisque accedant.

§. XXI. *Textorum* vero, quotquot præſertim e diuerſorum generum corpuſculis conflata fuerunt, & non nudum, magis fortuitum, plus minus homogeneum, aggregatum exhibent, habent *deſtinationem*, atque ſcopum communiter magis *organicum*, vt vel certis, vel variis, *vſibus*, circa aliorum aggregatorum *congregationes* aut *diſgregationes*, inſeruire poſſint.

§. XXII. Sunt hæ *potisſima* differentiæ quibus *mixtum* a *texto* diſcrepat; Non alienum erit, etiam diuerſitatem *Aggregati* ſimpliciter & *texti* paucis attingere. Conſiſtit vero illa in eo, quod *aggregatum* ſimpliciter habeat quidem hoc cum texto commune, vt e *numeroſis* corpuſculis minoribus formetur: Interim nullum ſpecialem alium *ſitum* atque *poſitum* horum requirat aut ſupponat, quam qui ex ipſa *proportione* corpuſculorum illorum inter ſe inuicem, aut habitudine illorum ad res ambientes, inter quas ipſa coalitum ſuum nacta ſunt, reſultat.

§. XXIII. Adeo, vt licet interdum appareant plane *ſingularem* ſtructuram nacta eſſe varia aggregata; Quale quid v. g. in mineralium quorundam concrementis, in certas quaſi figuras anguloſas diſtributis, ſeſe exerit: Nihilominus nullum penitus, ne vlla quidem ſuſpicione attingendum *finem* hic ordo

ordo indigitet, ſed indifferens potius ſit, ſiue in molem & maſſam conſpicua tali coordinatione deſtitutam confluxiſſet, ſiue in hanc ſtruem otioſius coaluerit.

§. XXIV. *Texti* e contra, *ſtrictiore* noſtro ſenſu ſumpti, talis ſpecialisſima, qualem conſpiciendam exhibet, ſtructura, habet hoc vtique eo ſenſu inſeparabile, vt niſi præciſe hanc, & non aliam, coordinationem partium ſui conſtitutiuarum obtinuiſſet, *effectuum* illũ cui ſpecifice inſeruire debet, non magis quam quodlibet aliud forte fortuna coaceruatum aſſequeretur, nulli hinc ſpeciali vſui idoneum eſſet.

§. XXV. Quemadmodum autem hac ratione *aggregatum* ſimpliciter, & *textum* ſtrictiore ſenſu, proprie ita differunt, vt *ordinata* illa ſtructura, quæ in ipſo etiam huiusmodi aggregato oculis occurrit, ad ſummum a *materiæ necesſitate* dependeat; in *texto* vero ſtrictioris ſenſus, nequaquam *necesſitatem materiæ* ſequatur, quæ potius prompte varios, & longe alios, poſitus atque ſitus ſubire, apta nata deprehenditur: Ita conſpicuum ſatis quam communisſime eſt, quod vtique hoc ſenſu *texta*, euidentem aliquam habeant *vtilitatem*, ad vlteriores quosdam effectus, *inſtrumentali* energia perpetrandos, cum nudis talibus *aggregatis*, e ſola *materiæ necesſitate*, quan-

quantumcunque etiam *ſpecioſe* concretis, nulla vndique probabili ratione, tale quidquam attribui poſſe compareat.

§. XXVI. Euidentisſima omnium merito eſſe debebat; differentia inter *Indiuiduum* & *aggregatum*, ſicut etiam confido me minimum negotii ad hanc deſignandam habiturum; illud vnum tamen neceſſarium inuenio monere, quod *individui* nomine, proprie hoc loco *phyſice* vtar, pro tali *indiuiſibili*, e quo ſi aliquid auferretur, ſiue illud *diuideretur* ſeu ſepararetur, confeſtim *eſſentia eius* periret: Quod quidem veteres *phyſici*, Ariſtotele in hoc genere perſpicaciores, hoc eodem nomine græco, videlicet *ἀτόμȣ*, notauerant. Intelligitur vero vtique *indiuiſibilitas* etiam, vel ad minimum maxima diuidendi difficultas, vel denique diuidendi *ſalua Concreti eſſentia* impoſſibilitas, *phyſice*. De quo negotio non abs re erit, duo verba monere.

§. XXVII. Alieno videlicet plane ſenſu interpretatur *diuiſibilitatem* corporum phyſicorum Ariſtoteles, quando *mathematicam* illam diuiſibilitatem, abſurdis hypotheſibus ſuperſtructam, iisdem tribuit; quod nempe, cum omne corpus naturale ſit *materiatum*, omne materiatum *quantum*, omne quantum *extenſum*, omne extenſum habeat *partes* extra partes, quod propterea ita omne *materia-*

tum

cum ſit *diuiſibile in infinitum.* Quam quidem ſtolidam in *phyſicis* aſſertionem, etiam acutis noſtris recentioribus placere adhuc potuiſſe merito mirari liceret, niſi cauſa ſic ſatis liqueret, quam tamen ne odioſus ſim, non ediſſero.

§. XXVIII. Interim *phyſica* diuiſibilitas, ſicuti circa ſubiectum verſatur *corporeum*, ita non fit vsquam *immediate*, ab *immateriali* quocunque, *immanente* aut *emanante*, interno inquam aut externo, principio, & abeſt ſane hinc quam longisſime otioſus ille *motus eſſentialis* internus, *inſitus*, immanens, ſeu vt vocant, *niſus*, *vis*, & quibus aliis venditatur nominibus. Sed eget diuiſio, quæcunque *phyſice* hic inſtitui debet, *inſtrumentis* non minus *corporeis*, quæ non *inſitum* illum *motum* (qui ſunt modernæ philoſophiæ floſculi) nude ſuſcitent, ſed ſane eundem potius *adferant*, & *diuidendis* illis atomis, imo illorum *partibus* intimis, inferant & *communicent*.

§. XXIX. Sicut autem inter *inſtrumentum*, & rem cui adhibetur, *proportio* aliqua requiritur; Eaque in noſtro negotio in eximia prorſus *ſubtilitate*, etiam ſolum ad attingendum, nedum ad penetrandum, ſita eſſe apparet; quid proinde mirum, ſi diuiſibilitas etiam reſpectu huius circumſtantiæ, videlicet *inſtrumentorum* ad diuiſionem neceſſa-

rio-

tiorum deficientium, difficillima ſit: adeoque *atomus* etiam denotet tale corpus, quod non facile *actualem* diuiſionem ſubeat, ſeu actu diuidi ſoleat.

§. XXX. Interim non negamus, nobis etiam ipſis potiorem videri illam *atomi*, ſeu *indiuiſibilitatis* acceptionem, qua corpus tale, præcipue *ſalua ſua eſſentia* diuidi non poſſe vlterius, intelligitur. Cum vero eſſentia corporis naturalis, ad minimum *materialiter* non conſiſtat, niſi vel in *mixtura*, vel in *textura* determinata; *Mixtura* vero proprie in coniunctione, aut *contiguitate intima* conſtitutiuorum corpuſculorum: Facile ſane, quicunque non nimium quam turbulenti eſt conceptus, comprehendere valuerit, quid ſit, vltra per corporea inſtrumenta diuidi non poſſe, quin ad *ſolutionem conſtitutiuorum* corpuſculorum, adeoque *eſſentiæ*, ſeu vnionis principiorum intime contiguæ, deveniatur.

§. XXXI. Vbi quidem ego (niſi quidem omnia me fallunt, non immerito) aſpernor illam diuiſibilitatem Ariſtotelicam, in quælibet *puncta* & lineas, de toto mixto portiunculam *integrantem*, *mixtam* & ipſam, & infinito quidem numero, reſcindere compotem. Aſpernor inquam, re prorſus eandem, ſolis vero vocabulis diuerſam, iuniorum, *abraſionem*

atque

atque *detritum* per *lineas phyſicas* & *puncta* phyſica: Quæ vtraque, nulla hiſtorica aut experimentalis veritas nobis adumbrat, nedum ſuadet aut perſuadet, ſed contra *experientia* teſtatur, quod mixtorum etiam ſolum *indiuidualis*, ex aggregatis ſuis, diuiſio ſeu ſolutio, communiter ita comparata ſit, vt non temere ita prompte, aut multis atque variis modis, ſed vix vno aut altero, ſic ſatis commode perpetrari poſſit: *Eſſentialis* vero illa diſſolutio adeo ſumme difficilis, vt *ſinceriora mixta* diſſoluere, talis labor & operatio ſit, qui promptis illis phantaſticis diuiſoribus, ne in mentem quidem facile veniat, a manibus vero illorum, quantum cœlum a terra, diſtet & abſit.

§. XXXII. Interim hæc ſane differentia, inter *ἄτομον* ita intellectum, & *aggregatum*; nec non inter mixtum & textum, quantum in antiqua & recenti phyſica negligatur, & quantas, in vlteriore ſcrutinio *materiæ mixtorum*, *numeri principiorum*, *reſolutionis* & *transformationis* mixtionum, tenebras & lacunas relinquant, nemini vni innoteſcere poteſt, niſi illi ſolum, qui & ingenio, & ſtudio præpotens & diſtinctionis huius iugi memoria compos, ſpecies mixtorum ad hanc amuſſim examinare, cordi habuerit: Neque illud vero per vanas ſpeculationes, aut abſurdos canones

im-

imperitorum & otioſorum hominum: Sed ſane per *operationes* partim ſponte in macrocoſmo fientes, partim arte tam *chymica*, quam *chymico-mechanica*, in variorum opificum officinis, perpetrandas. Vbi, ſi præiudicia vulgatarum traditionum theoreticarum ſuperauerit, & a *ſimplicioribus* ad intricatiores progredi cordi habuerit, longe ſane alia rerum mixtarum principia hinc colliget, quam *ſimplices* illas particulas, non niſi *nuda figura* inter ſe inuicem diſtinctas: Aut ſane, ſi maxime formam velut horum corpuſculorum, *magnitudine & figura* præcipue abſolui, conſentiat, *materialiter* tamen ſub aliis ſchematibus aut nominibus, ad ſuam certe rem commodius illas agnoſcet atque deprehendere diſcet, vnde easdem variis experimentis petere, colligere, atque in vſum ſuum vertere valebit.

§. XXXIII. Certe enim odioſum prorſus hoc eſt, hodiernæ philoſophiæ phyſicæ ſcandalum, quod niſi *chymicæ* artis aliquo ſubſidio, nempe a nuda experientia, nusquam vllius ſuppoſitæ figuræ corpuſcula aut principia odorari vel venari poſſit; Interim, cum ipſa etiam chymia immenſum quantum adhuc abſit ab experientia etiam mediocri ſolum, circa *mixta*, & vix corticem circa *compoſita* lambat, in aprico eſt, quomodo hic etiam

cæcus

cœcus cœcum ducat. Adeo, vt ſi verum inde colligere valuerimus, nihil hinc certius, quam id vnum tandem effecerimus: Cum Chymia hactenus vſitata, nihil quicquam circa *mixta*, ſed vix circa *compoſita*, plurimum autem circa ſola nuda *aggregata*, perfecerit; *Aggregatorum* vero principia, *compoſita* demum & *mixta*, ipſa quoque adhuc e *diuerſis* aliis conflata, exiſtant; Quod hinc ſane quam ridicule phyſica noſtra ita cito ad nominanda principia rerum talium *figuralia* prolabatur, tanquam *prima* magis & ſimplicia: Ignara videlicet penitus *proximorum* & ab illo gradu vltra *ſecundam* aut *tertiam* ſeriem remotorum.

§. XXXIV. Quod tanto magis inutile, imo abſonum eſt, quandoquidem ſuppoſitæ talis *figuræ* nullam *ſpecificam* ſuſpicionem, nedum certitudinem, expromere poſſunt; adeoque temere ſane *materialia* principia, quæ *vſitatioribus* nominibus, æque ac penuaria illorum deſignare valerent, ſilentio prætereant, atque negligant.

§. XXXV. Imo vero, omnem illorum ſuſpicionem fallit atque fugit, *Numerus* ſpecierum, quæ ad conſtituendam talem aliquam *Mixti* aut *Compoſiti* ſpeciem, concurrant; Vnde quidem emolumentum haud leue capiunt, ex *confuſione* aggregati, & atomi ſeu

Indiuidui Phyſici: Siquidem de aggregato aliquo *maioris* molis, minus odioſum eſt audire, conflatum illud eſſe, e Corpuſculis *numeroſisſimis*, variarum figurarum, & forte plerarumque πολυγόνων, quæ in conceptum cadunt, iisque præterea *ſolidiſſimis, impenetrabilibus, mobiliſſimis, & vi* ſeſe mouendi & omnia impedimenta eluctando vincendi, inſtructis: At vero, ſi de *Indiuiduo* adeo ſubtili, vt omnes omnino ſenſus eludat, nænias has occinere audeant, nemo tam ſimplex ſit, qui temere credat.

§. XXXVI. Quod quidem conſideratu tanto dignius eſt, quia ex hac *materiali* notitia non raro ſatis euidenter apparet, quod variæ tam diſſolutionum quam combinationum rationes, tam *promptitudinis*, quam *firmitudinis* intuitu, manifeſto pendeant ab vno aliquo conſtitutiuorum; Adeoque ſi ſecundum *formalitatem* hanc *mechanicam*, figuralem, loqui placeat, ex vno certo *latere* figuræ, non vero ab ipſius vniuerſo ambitu, dependeat: Quid magis ad ſcientiæ ſimilitudinem accederet, quam talia diſertius & diſtinctius denotaſſe, & ſi maxime latus ipſum, eiusque *dimenſio*, determinari non poſſit, ad minimum *rem ipſam*, quæ illud *latus* ex hypotheſi conſtituit atque efformat, tantiſper denotare. Sed quis hæc expectet a plerisque phy-

phyſicis, niſi chymicis, neque tamen profe-
cto etiam his quibusuis.

OBSERVATIO XV.

NOTITIA ORBIS ANTIQVI
ſiue
Geographia plenior ab
Ortu Rerum publicarum ad Conſtanti-
norum tempora Orbis terrarum fa-
ciem declarans.
CHRISTOPHORVS CELLARIVS
EX Vetuſtis probatisque
monimentis collegit & Nouis Tabulis
Geographicis ſingulari cura & ſtudio
delineatis illuſtrauit.
Lipſiæ impenſis GLEDITSCHI, Senioris
A. M. DCCI.

CONSPECTVS.

§. I. *Veteres non multum præſtiterunt in Geographia.* §. II. *hinc vtilis eorum opera, qui antiquam illuſtrant.* §. III. & IV. *Iudicium de Strabone, Mela, Plinio &c.* §. V. *item de Antonini Itinerario & Stephani Byzantini libro de Vrbibus.* §. VI. *Hiſtoricorum & Poetarum antiquorum Lectio commendatur.* §. VII. *qui ta-*

 men

men grauiter ſæpe errarunt. Curtius maxime. §. VIII. *pauci enim Polybium & Diodorum Siculum imitantur.* §. IX. *Nepos Mycalem fruſtra oppidum Cypri facit.* §. X. *Refutantur, qui eum defendunt.* §. XI. *Præiudicium eſt, Claſſicos Scriptores non erraſſe.* §. XII. *Contrarium oſtenditur e Floro, Virgilio, Petronio Manilio &c: Arriano.* §. XIII. *Salmaſius præ reliquis Criticis laudatur.* §. XIV. & XV. *quorum methodus vt inconcinna reiicitur.* §. XVI. *Sabellicus Danos cum Dacis confudit.* §. XVII. *Eraſmus Studii Geographici parum peritus.* §. XVIII. *Hinc Senex propemodum Tabulis Geographicis incubuit.* §. XIX. *Hominum imperitorum obiectio.* §. XX. *Ea ſoluitur.* §. XXI. *Veteres ſine adminiculo Geographiæ non percipiuntur.* §. XXII. *Eraſmus multa non intellexit.* §. XXIII. *Merceri & Adrichomii in Geographia Sacra errores attinguntur.* §. XXIV. *Chazellius laudatur.* §. XXV. *Itineraria Terræ ſanctæ cur fabulis plena?* §. XXVI. *Guilielmus Sanſon notatur.* §. XXVII. *Quenſtedius, item Baudrandus.* §. XXVIII. *Næui in Geographia recentiori craſſiores.* §. XXIX. *Galli hic maxime impingunt.* §. XXX. *Oſtenditur Germanos aduerſus Gallorum obtrectationes retorſione vti poſſe.* §. XXXI. *Qui tamen nolunt.* §. XXXII. *Inſigne* παρόραμα *eius qui Bongarſii literas vertit.* §. XXXIII. *Ludouici Morerii.* §. XXXIV. *Pontierii, Malleti.* §. XXXV. *Scuderiæ.* XXXVI. *Feri.*

§. XXXVII.

§. XXXVII. *Ludouici Iacobi.* §. XXXVIII. *Puiſegurii.* §. XXXIX. *Chriſtophori Cellarii Notitia Orbis antiqui commendatur.* §. XL. *Media, quibus perfecerit, indicantur.* §. XLI. *Votum additur. &c.*

§. I.

NOn ita rudis atque barbata fuit antiquitas, vt omnibus ad Geographiam pertinentibus ſubſidiis deſtitueretur. Dedit, quantum potuit; elaborauit, quantum ſciuit; effinxit, quantum tum temporis ſat fuit, perfectionem relictura poſteris, aut ſaltem maiorem diligentiam, ſed quam ad noſtra vsque tempora deſiderauimus, longiusque deſideraremus, niſi altiori inſtinctu Viri in quauis elegantiori literatura verſatiſſimi concitati, hic etiam, quod ſuarum eſt partium, peragerent.

§. II. Itaque quo rarius tales conatus effulſiſſe certum eſt, eo magis vtilis eorum opera æſtimanda venit, qui inter denſiſſimas tenebras aliquam lucem adfectarunt, doctorumque iudicio nonnihil laudis adepti ſunt. Eram enim hucusque, & adhuc forte ſum in ea ſententia, Geographiam quæ noſtri temporis orbem illuſtrat, non æque antiquioribus illuminandis ſufficere; tum quod imuta-

mutata hodie omnia, motiſque prouinciarum finibus confuſa cernantur, tum quod idonei duces deſint, aut apta media deficiant, quibus ſuperare obuenientes difficultates liceat, aut vincere impedimenta, quæ tantum non videntur innumera.

§. III. De antiquis Scriptoribus non opus eſt, vt ſim multus. Exiguum eſt, quod ab eorum manibus accepimus; Læta *Strabonis, Melæ, Plinii, Ptolomæi* nomina ſunt; ſed ſi libere velimus loqui, ſitim magis excitant, quam reſtinguunt, fabulis ſæpe abundant, erroribus non carent, ſuſpecti ſunt, parci interdum, interdum ſine ratione diffuſi, audaces, ita vt parum ſolatii in lectores redundet, niſi quidem ex *Ioachimi Vadiani, Eliæ Veneti, Ioſephi Moletii* commentariis, ac notis ſapere velint, qui plus ſæpe obſcuritatis, quam lucis adfundunt.

§. IV. Reliqua, quæ præſtare adhuc aliquam vtilitatem poſſent, aut temporum iniuria deprauata ſunt, aut librariorum incuria corrupta, aut hominis imperiti opera in peius mutata.

§. V. De *Antonini* quod vocant *Itinerario* loquor, quod infinitis pene mendis ſcatet; itemque de *Stephani Byzantini libro de Vrbibus*, vt communiter appellant, qui inſcitia *Hermolai* Grammatici, nulliuſque iudicii hominis

nis ita deformatus eſt, vt ea quæ hauriri inde commoda potuiſſent, ad minutias fuerint redacta; licet *Sigonius*, *Cauſabonus*, *Scaliger*, *Salmaſius*, *Holſtenius* non parum laborauerint, vt qualemcunque nitorem ei reſtituerent.

§. VI. Hiſtoricorum igitur monumenta ſi tollas, & Poetarum hinc inde diſperſa loca, magnum ſane ſubſidium tolles, quo Viri eruditisſimi his temporibus vſi ſunt, iunctis ſimul Geographis antiquis, quos indicauimus partim, partim veluti notos poſuimus.

§. VII. Vbi tamen monitos velim quoscunque, ne hanc etiam viam ſatis tutam arbitrentur; ſalebroſa eſt, & ſcopulis ſæpe abundat. Longis ambagibus opus foret, ſi quosuis notare errores, & antiqua omnia excutere ἀτοπήματα velimus. Αγεωγράφητος ſit oportet, qui cum *Curtio* Caucaſum montem apud Indos quærat, aut Caſpium mare cum Euxino confundat, aut Euphratem in Mediam releget, aut in Lybia miram cœli temperiem fingat. vid. *Clerici ars Critica Vol. II. part. III. ſect. 3. cap. 2, §. 7. ſeq.*

§. VIII. Tantum hoc velim ſcias, paucos nobis *Polybios* eſſe, qui antequam manum hiſtoriæ ſuæ admouerent, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ fines perluſtrarunt, vt antiquorum igno-

gnorantiam corrigerent; nec plures Diodoros Siculos reperiri, qui, ne cum vulgo ſcriptorum peccarent, Aſiæ & Europæ partem peragrarunt.

§. IX. Ipſe *Nepos* in *Cimone*, cap. 2. minus hac parte cautus eſt. Perſarum & Cypriorum claſſem *apud Mycalen* deuictam eſſe dicit, contra reliquorum Scriptorum omnium fidem, qui *Eurymedontem* fluuium deſignarunt. Hinc niſi *Mycalen* oppidum Cypri facias, quod tamen falſum eſt, inter ancipitia hærebit *Nepos*, nullumque remedium adoratoribus eius reliquum erit, quam vt verba: apud *Mycalen* a ſciolo quodam inſerta fuiſſe adfirment, ne cultisſimo, vt aiunt, Scriptori craſſus adeo error impingatur. vid, *Ioh. Andr. Boſii not. ad illum loc.*

§. X. At enim vero quid opus eſt hiſce pigmentis? aut cur inuitis omnibus MSS Scriptis talia excogitantur? Dic, quæſo, *Cornelium Nepotem* erraſſe; habebunt nihilominus ludimagiſtri, quod in eo laudent; Latinitas ſatis terſa eſt. Hoc ob παρόραμα a pulpitis ſcholarum non remouebitur; perſiſtetque eius auctoritas; licet etiam in *Hannibalis* cap. 4. §. I. *Rhodanum cum Eridano* ab eo fuiſſe confuſum adſeras.

§. XI. Sed eſt hoc a teneris ſtabilitum præiudicium: Autores Claſſicos nolumus

facile

facile falli: Inde tot latebras quærimus; tot noua loca confingimus; tot vrbes exſtruimus non niſi in cerebro vmbraticorum hominum reperiundas.

§. XII. Quare rectius meo quidem iudicio agunt, qui Veteres in Geographia grauiter eſſe hallucinatos contendunt. De *Floro*, *Virgilio*, *Ouidio*, *Petronio*, *Manilio*, *Lucano* res clara eſt, qui omnes immani errore miſcuerunt *Philippos Phtiotidis in Theſſalia* vrbem, vbi *Caſar* & *Pompeius* de imperio dimicarunt, cum *Philippis* Macedoniæ vrbe, vbi *Brutus* & *Caſſius* ab *Antonio* & *Caſare* victi ſunt. Quod ipſum iam *Lipſius* obſeruauit ad *Velleii Paterculi lib. 2. cap. 70. §. 3.* & ex *Luca Holſtenio Ioh. Clericus art. Crit. part. 1. cap. 1. n. 2.* *Arrianus* multo rudior eſt, dum Veteres Germanos ad Ionium mare collocat, & *Telmeſſum* Lyciæ vrbem cum *Termeſſo Piſidiæ* confundit. vid. Dictionaire Critique de Mr. Baiyle in voce Telmeſſus lit. F.

§. XIII. Magnus *Salmaſius* in exercitationibus Plinianis pag. 784. eum propterea in viam reducit; non tamen ea methodo, ac ratione, qua cæteri Commentatores vtuntur, qui vbi *Curtius* lapſus eſt, vbi *Nepos* cœcutiit, vbi Virgilius titubauit, ex vano in veteres ſcriptores amore omnem lapidem mouentes, alia plane ac diuerſa vocabula ſubſtitu-

unt, ne ii, quos admirantur, accuratioris ſcientiæ naufragium faciant.

§. XIV. Quæ conſuetudo, vt abſona, & inconueniens, ita breui adeo mutare, quos habemus ſcriptores poteſt, vt alia longe facies, alius contextus, alia forma reſultet, quam ipſi non agnoſcerent in vitam reduces, niſi Interprete Grammatico vterentur, aut veſtigiis inaniſſimi Critici inſiſterent.

§. XV. Sed bene eſt. Conſtat Veteribus ſua laus, conſtant etiam næui, quos tantum abeſt, vt correxerint poſteri, vt potius eos multis modis adauxerint. Ad barbara adſcendere ſecula, non eſt animus. Ea in tenebris ſuis merito relinquuntur, & profunda ignorantia, quæ Bacchanalia ſua tum temporis celebraſſe dicitur, ſuosque ludos.

§. XVI. Hoc vero vt miremur neceſſarium pene eſt: *Marcum Antonium Sabellicum* renaſcentibus literis Danos cum Dacis miſcuiſſe, qui tamen de ſitu *Venetiarum*, de vetuſtate *Aquileiæ*, de *Vicentiæ* ortu commentari multa auſus eſt, quiue excuſari nullo modo poterit, niſi imperite dixeris, hæc eum ſcripſiſſe, cum jam morti proximus, lue Venerea laboraret.

§. XVII. *Deſiderium Eraſmum* nemo ferme eſt, qui non amet: Ille elegantiores Muſas in ſcholas reduxit; innumera complexus eſt, facundia polluit, eruditionis laude floruit;

at

at in Geographicis turpiter adeo ſe dedit, vt concipere vix poſſis, hominem πολυίστορα tam pueriliter labi potuiſſe. *Mitylene Lesbi* Inſulæ Vrbs facile alias diſtinguitur a *Melita* Inſula, vbi Paulus naufragium fecit. Interim hæc ab illo videas confuſa; quemadmodum & *Rhegium* ciuitatem *Siciliæ* maritimam dixit, cum tirones norint eſſe Italiæ. *conf. I. Cler. art. Crit. loc. cit.*

§. XIIX. Vnde facile inducor, vt credam, *Eraſmum* iam ingraueſcente ætate tabulis Geographicis ſummo ſtudio incubuiſſe (teſtem cito *Vallemontium dans ſes elemens de l' hiſtoire edit. Pariſ. p. 142.*) vt inſcitia, quam in hac diſciplina ſentiebat, depoſita, aduerſariis ſuis omnem cauillandi anſam præriperet. Neque enim dubium eſt, quin acerrimus eiusdem aduerſarius, (*Iulium Cæſarem Scaligerum* intelligo) qui eum mordacisſimo ſtilo ob res nihili lacerauerat, multo grauius inſurrecturus fuiſſet, ſi ea σφάλματα reſciuiſſet.

§. XIX. Quapropter hoc nobis monitum merito ſeligimus, nunquam eo eſſe deueniendum, vt Geographiæ etiam antiquæ ſtudium negligamus. Stulta vox eſt, quæ non niſi e bouis ore, aut imperitisſimi hominis faucibus prouenit: Hæc omnia ad Pædagogos pertinere; illorum eſſe videre, vbi *Ecbatana* ſita fuerit, vbi *Hellespontus*, cui verbera

Xer-

Xerxes infixerit: Homines politos, quibus nihil cum puluere Scholaſtico commercii ſit, tricis illis omnibus tuto carere poſſe. Hæc inquam non hominis vox eſt.

§. XX. Nam ſi veteres ſcriptores ſine inſigni literarum manſuetiorum detrimento contemni non poſſunt, ſi connexionem hiſtoriæ vt recentis, ita antiquæ habere expedit; aut ſi denique nihil contigiſſe dicendum eſt, quod non aliquo loco vel tempore contigerit prius; ego ſane non video, quomodo antiqua vrbium denominatio, regionumque ſitus ac poſitus; vno verbo: Geographia Veterum aut parui haberi queat, aut nihili.

§. XXI. Non enim niſi confuſe intelliges, quæ a te in illis monumentis leguntur. Habebis de *Alexandro M.* quem Vniuerſa ferme antiquitas miratur, ideam aliquam imperfectam; ſæpe etiam falſam; cum poſſibile non ſit, animo comprehendere tot expeditiones, tot prælia, tot expugnationes, niſi prius accurate cognoueris *Granicum*, *Archipelagum*, *Lydiam*, *Ioniam*, *Cariam*, *Pamphyliam*, imo ipſos Indos, ad quos penetraſſe *Alexandrum* communis conſenſus eſt.

§. XXII. Hinc certus pene ſum, *Eraſmum* multa non bene percepiſſe in lectione veterum, ne dum Apoſtolorum Acta intellexiſſe,

vbi

vbi diuerſæ *Pauli* peregrinationes occurrunt, quæ ſine Tabulis diſtincte animo proponi non poſſunt, aut accuratiori Veteris Geographiæ cognitione diſcerni.

§. XXIII. Reliqua, quæ in ſcripturis reperiuntur, iam non attingo. Errorum ſatis eſt, quos Geographiæ inſcitia inuexit; * *Iohannes Mercerus* admiſit, *Adrichomius* ſtabiliuit, qui licet operi ſuo totis triginta annis inſudauerit, multa tamen falſa, & minus accurate dimenſa a *Bonifacio* in *Onomaſtico vrbium & locorum Scripturæ Sacræ* notata reliquit: vt de ** *Chazellio* Regiæ Societatis Mathematicorum Pariſienſium membro nihil dicam. Huius enim ſententia ſi vera foret, & *Ptolomæi* auctoritas labaſceret, qui *Alexandriæ* patriæ ſuæ ſitum minus exacte deſignaſſe dicitur; & reliquorum omnium fides titubaret, qui *Palæſtinæ*, mariſque mediterranei deſcriptionem nobis dederunt.

§. XXIV. In quo vt aſſentiar ei vix eſt quod me impediat; maxime cum tot Inſtrumentis Veteres caruerint, quæ nos hodie habemus, nec Iouis ſatellites detecti fuerint; nec horologium oſcillatoriũ inuentum, nec, fere quod notandum probe eſt, vlla hodie vrbium veſtigia ſuperſint, de quibus apud antiquos, & præ-

* vid. Bocharti Phaleg p. 92.

** conf. Bernhardi Lamii apparatus Geographicus vbi plura huc pertinentia, &c.

præcipue ſacros ſcriptores mentio iniicitur.

§. XXV. Nam quæ in recentioribus Itinerariis leguntur, maximam partem falſa ſunt, a Monachorum narratiunculis profecta, qui minus recte ſe officio ſuo functos arbitrarentur, niſi peregrinantibus in *Palæſtina* mille mendacia ſuppeditarent, ad Europæos ſumma credulitate deportanda. Exempla e *Burcardi* Itinerario, aliisque ſuppeterent, niſi fruſtra foret, in re notisſima eſſe prolixum. vide interim *Autorem Bibliothecæ Vniuerſalis Tom. XIV. p. 115.*

§. XXVI. Magnus ergo adhuc reſtat campus, in quo exſpatiari virorum doctorum diligentia poſſit. Nondum omnes ſuperatæ ſunt difficultates, nondum ſublati ſcopuli. Hæſerunt hic ſagaciſſima pectora; impegit * *Guilielmus Sanſon Nicolai* filius, *Gangram Paphlagoniæ* Vrbem longisſime ab *Haly* fluuio remouens, quæ tamen, vti recte vult *Labbeus*, proxime ad *Halyn* ſita eſt.

§. XXVII. Nec felicius proceſſit Wittebergenſium Theologus *Iob.* ** *Andreas Quenſtedius*, dum e *Longobardia* ad *Ægyptios*, e *Francia* ad *Græcos* orthodoxo ſaltu transmigrauit; cœ-

* *adi Wolffg. Gundlingii annot. ad Concil. Gangrenſe p. 2.*

** vid. *Baillet dans ſes Iugemens des Sauans Tom. II. p. 25.*

cœcutiit item *Baudrandus*, qui *Azotum* vrbem *Palæſtinæ* Epiſcopalem prius ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi, deinde ſub *Hieronymo* municipium inuerſo ordine dixit; Errarunt denique alii, & adeo quidem ridicule, vt cum Legato illo Magnæ Britanniæ Regis comparari posſint, qui Fortunatas Inſulas Britannicas credens, indignabundus *Roma* abiit, vt Regi ſuo periculum nunciaret, quod e donatione Papæ *Clementis VI.* vniuerſæ Britanniæ immineret. Dedit enim hic Inſulas Fortunatas *Ludouico* Comiti Clari Montis, *Alphonſi de la Cerda* filio: de quibus ineptam ſibi ideam proponens Legatus vniuerſorum ludibrio merito ſe expoſuit.

§. XXVIII. Sed demus tamen hæc illorum infirmitati, nec ad amusſim adeo omnia exigamus. In veteri Geographia ſubſidia non erant, doctores deficiebant, non tabulæ habebantur, non libri extabant, e quibus ſufficiens hauriri cognitio potuiſſet. At cum de recentiori quæſtio incidit, nullus veniæ locus eſt, nulla excuſatio. Quid enim eſt quæſo, quod non abunde diſcendi cupidis ad manus ſit? An tabulæ? Sed optimæ omnium in quouis forte genere inueniuntur. An itineraria? Sed totum iam, vt credimus, orbem peragrauimus. An libri? ſed infiniti pene reperiuntur, vt plauſtris opus ſit. Itaque

que qui nunc errat, aut ſummæ accuſari negligentiæ poteſt, aut tanti ſtuporis eſt, vt veluti profanus a liberalium artium myſteriis debeat arceri.

§. XXIX. Gallorum genti bene alias cupio ob dexteritatem atque ſolertiam, quæ in illa ſumma eſt, & eruditionem, quam ſæpe oſtendit non vulgarem. At cum ad Geographica ſtudia oculos intendo, horreſco pene, ac incertus ſum, an ad vltimos referre eos neceſſe ſit, aut an medius locus eligendus, in quo collocandi.

§. XXX. Sane, ſi ea nobis intemperantia foret, quam in *Bailleti* & *Bouhourii* ſtilo deprehendimus, poſſemus forte non inepta retorſione vti, & quemadmodum prior inſicete admodum ſcripſit: *les Alemans ſont tousiours Alemans*, non difficile credo foret, applicare has argutias ea ratione, vt *les François* eſſent *tous jours François*, ſi de accurata, etiam recentioris orbis cognitione id intelligeretur.

§. XXXI. Verum nolumus eam imitari methodum, quæ non tantum inſipida videtur eſſe, ſed etiam iniqua. Non eſt, non eſt vniuerſæ nationi imputanda labes, quam in vno aut altero eiusdem membro reperimus. Habet Germania viros imperitos, ſtupidos, habet doctos & elegantes. Viuunt in Gallia caudices ac aſini, ſed ſunt etiam ibi viri

Eru-

Eruditi, & in quauis diſciplina verſatisſimi.

§. XXXII. Nouimus *Bochartos*, *Sanſonios*, *Mazellios*, ſed nouimus etiam eum qui literas *Iacobi Bongarſii* in Gallicum ſermonem conuertit, Academiam *Altdorfinam* ſuo ſtilo *Monſieur Altdorf* appellaſſe, errore immani, ſed quem *Thuanus* ei eximere potuiſſet, qui multa præclara de illa Academia memoriæ prodidit.

§. XXXIII. Cui iure addimus *Ludouicum Morerium*, qui *Arolæ* in Heluetia fluuio ortum ſuum ad *Rhodani*, & *Padi* fontes adſignauit, cum nemo non norit, *Padum & Rhodanum* L. milliaribus Gallicis diſtinctos eſſe, vt prætercam Ducatum *Wurtenbergicum* cum *Witteberga* in Saxonia confuſum, aliosque defectus, de quibus nouum aliquod poſſet confici Lexicon. adde *la Bibliotheque Vniuerſelle Tom. IV. p. 71.*

§. XXXIV. Id miror *Gideonem Pontierium* non ita pridem *Erfurtum* vnum in Thuringia Electori Saxoniæ attribuiſſe; Archiepiſcopo Moguntino alterum; *Malletum* vero in ſua deſcriptione vniuerſi Comites Ruthenos ad Megalopolitanum tractum relegaſſe, qui errores adeo craſſi ſunt, ac pingues, vt ſuem Bœoticum vincant.

§. XXXV. Nam ſi in his adeo titubant, quæ in confiniis ſunt, quoue omnibus die-

bus ſine moleſtia licet excurrere, quid fiet tandem de locis longiſſime a nobis remotis? *Curtio* ante exprobrauimus errorem, quo *Pontum Euxinum* cum mari *Caſpio* confudit; ſed nobiliſsima * Fœmina Scuderia, niſi penitus fallor, ſimiliter impingit, & præfectum militiæ Turcarum, quem *Baſſa* vocant, ita loquentem inducit, vt cum *nauibus ſuis Conſtantinopoli ſoluens intra XX dierum ſpatium in Mari Caſpio ſe appulſurum dicat*. Egregius ſaltus, quem nec alata Argonautarum nauigia imitari apta forent.

§. XXXVI. At enim vero inſulſius multo eſt, quod in tabulis * *Feri* Geographi apud Sereniſſimum Galliæ Delphinum ſatis celebris obſeruatur. Videns enim ille in *Tartaria* a *Witſenio* notata loca deſerta, animum ſtatim, neſcio quo fato, induxit, hoc proprium quoddam nomen eſſe; adeoque infeliciter admodum vertit: *les deſerts de Loques.* Inſigne παρόραμα, quod homini Germano non condonarent Galli, niſi prius eum bene depexum inter mille iniurias ac facetias deſtituiſſent.

§. XXXVII. Illi vero quicquid agunt, pul-

* *conf. M. Vallemont dans ſes Elemens de l' hiſtoire p.* 145.

* vide *les nouuelles de la Republique des lettres Menſe April. a.* 1071. *p.* 454.

pulchrum eſt: Nos cum erramus ſacrilegum cum Catilina nefas ſtruimus; hinc extirpandi. Nos cum hallucinamur, ſtulti ſumus, hinc ridendi; at illi non labuntur, ſed ſenſim ad terram declinant; nec ſtulti ſunt ſed inaduertentes. Lingua latina iis nauci eſt; hinc *les deſerts de Loques*; hinc Inſula *Vſpiam** detecta in America. Germania ab iis contemnitur, hinc *Mons. Altdorf*, *& Ludouici Iacobi a S. Carolo* Articulus *Alſchmalcaldus*: nec ſcio an felicius multo in ipſius Galliæ deſcriptione verſentur.

§. XXXVIII. Noui enim *Puiſegurium* Inſulam *Ream* prope *Rupellas* cum Inſula *Ria* confudiſſe, duasque diſtinctisſimas, quas *Subiſius* accepit clades, in vnam conflaſſe. In hoc *Petrus Balius* mihi teſtis eſt, ad quem eos maxime remitto qui in vniuerſum magnifice adeo de Gallorum ſolertia ſentiunt. voyez *ſon dictionaire Critiqve in voce Soubiſe lit. C.*

§. XXXIX. Minimum id adfirmare audeo, non habere Gallos, quem CHRISTOPHORO CELLARIO noſtro, Viro in tantum laudando, quantum induſtria intelligi poteſt, opponere queant. Non id mihi nunc propoſitum eſt ſcribere Panegyricum, aut laudare immodice eum, cuius fama ſuper æ-

Y 2 thera

* voyet *les memes nouvelles de la Republique des lettres Menſ. Iul. p. 113.*

thera nota eſt, & chara apud exteros ſimul, ac eos qui nobiſcum habitant. Inde reliquos quos produxit ingenii fœtus lubens omitto, ne mihi multitudine rerũ obruto, de vltimo quem ſuſcepit in Geographicis labore tacere diutius ſit neceſſe. Laudarunt eruditi compendium, quod ab eo vidimus Geographiæ Veteris; commendarunt de meliori nota, ſed id quod nunc habemus opus, quodve *notitiam Orbis antiqui ſiue Geographiam pleniorem ab ortu Rerum publicarum adConſtantinorum tempora declarat*, attenta exſpectatione deſiderarunt. Habuimus huc vsque *Agathodæmonis* Tabulas ad *Ptolomæi* ductum deſcriptas, & illam *Peutingerianam*, aut ſi mauis *Auguſtanam*; Sed habuimus vna multa menda; errores non paucos; quos diſpellent credo Tabulæ a noſtro CELLARIO maxima diligentia formatæ, ita vt *Ortelii*, *Prietii*, *Cluveri*, *aliorumque* conatus, ſi hunc æſtimare noris laborem, tanti amplius nequeant putari.

§. XL. Magnum ſane eſt quod præſtitit, & pene dixerim ſtupendum. Pauca, vti ſupra monuimus, ad veterem Orbem illuſtrandum ſubſidia ſunt; & tamen id quod cernimus, affabre elaboratum eſt, accurate, docte. Si quæris qua ratione, quoue medio? Scriptores, dico, Veteres ipſe legit, relegitque;

cum

cum iudicio contulit, loca ex hiſtoria illuſtrauit; vigilauit, ſudauit, vidit, reuidit, correxit, donec tandem prodiret aliquid, quod & Academiæ Hallenſis gloriam, & Germanorum adaugere ſplendorem non parum aptum ſit.

§ XLI. Quod reliquum eſt Deum precamur, vt Doctiſſimo quem celebrauimus Autori, ſufficientes vires largiatur, vt Tomus alter Aſiam & Africam complectens felicibus auſpiciis prodeat; & Mediæ tandem, ac Noviſſimæ Geographiæ plenior deſcriptio in Reipublicæ literariæ commodum eodem ſucceſſu perficiatur. Dederunt enim dapes primæ menſæ ſuauem adeo guſtum, vt ea quæ reſtant fercula enixiſſime anhelemus.

OBSERVATIO XVI.

NESCIRE PHILOSOPHOS ADHVC QVID SIT IGNIS.

Argumentum.

§. I. Auguſtini dictum de tempore ad ignem accommodatur. §. II. Ignorantia Philoſophorum circa ignem probatur teſtimonio Du Hamel, & Scharffii. §. III. A teſtimoniis itur ad argumenta. §. IV. Probatur My-

thicos neſciuiſſe quid ſit ignis? §. V. Ægyptios non quidem inepte; obſcure tamen deſcripſiſſe quod ſit animata belua. §. VI. Perſas non recte Deum putaſſe. §. VII. Æthiopes eius vſum diu ignoraſſe. §. VIII. Anaximenem ſtulte definiuiſſe aërem rarefactum. §. IX. Pythagoram & Ocellum Lucanum obſcurum per æque obſcurum explicuiſſe. §. X. Item Eleaticos. §. XI. Platonem hic ſuam confeſſum eſſe ignorantiam. §. XII. Ariſtotelem non auſum definitionem ignis tradere. §. XIII. Neque Theophraſtum. §. XIV. Peripateticos ſibimetipſis non conſtare; pleroſque tamen definire, quod ſit Elementum calidiſſimum, ſiccisſimum, leuisſimum. §. XV. Probatur hanc definitionem obſcuram eſſe & falſam. §. XVI. Oſtenditur ignem non eſſe elementum. §. XVII. eo quod non ſit corpus. § XVIII. non corpus ſimplex. §. XIX. non corpus homogeneum. §. XX. Non corpus ex quo res concretæ primo componuntur. §. XXI. Non corpus in quod res concretæ vltimo reſoluuntur. §. XXII. Non corpus calidiſſimum. §. XXIII. neque vrere. §. XXIV. non corpus eſſe ſiccisſimum. §. XXV. aut leuisſimum. §. XXVI. Epicureos cum Carteſianis ſentire,

§. XXVII.

§. XXVII. *Stoicorum ſententiam nos ignorare.*
§. XXVIII. *Carteſianos autem rem acu non tetigiſſe.*

§. I.

QVod Auguſtinus de tempore dixiſſe fertur; Si nemo ex me quærat, quid ſit tempus, ſcio, ſi quærenti, explicare velim, neſcio: id fere de rebus omnibus naturalibus debere dici, tam manifeſtum eſt, vt animi pendeam an quicquam posſit eſſe manifeſtius. Etenim vt alia exempla iam tacitus prætercam, quæ noſtram hanc hypotheſin quam ſolidisſime confirmant, quis eſt qui non interrogatus naturam ignis ſe ignorare exiſtimet? & tamen ſi quis ex eo quæſiuerit; *quid ſit ignis?* profecto iſtud ſe ſcire cum ignarisſimis comperiet.

§. II. Nam licet hic in ſe fortasſis ſit lucidisſimus; tamen reſpectu noſtri tam tenebricoſus eſt, vt veſpertilionum oculi non magis ad ſolis iubar cæcutiant, quam mentis noſtræ acies ad eius fulgorem declarandum. Quod quidem non ſolum vir Φυσικώτατος Ioh. Baptiſta Du Hamel Phyſic. Gen. Tr. 1. c. 2. p. 74. atteſtatur quando ſcribit; *Naturam ignis quidem vulgo haberi notiſſimam, Philoſophisque nullum eſſe exemplum paratius,*

quo formarum eductionem & generationem rerum omnium explicent; Attamen ſi rem acriori animo perpendamus, nihil fere æque inuolutum & explicatu arduum quam ignis ipſius geneſin, naturam & Phænomena: Sed & Ioh. Scharffius in Phyſic. recognita l. 1. c. 6. p. 494. vbi ait: *Naturam ignis perfecte non ſcimus &* p. 495. *Forma ignis ſpecifica ignoratur, nec vllus hominum illam hactenus aut dare aut explicare valuit; adeo cæcutimus in hac vita etiam in Phyſicis & naturalibus rebus indagandis.*

§. III. Sed ne ſolis auctoritatibus munire nos velle videamur; agite per omnes Philoſophorum ſectas ibimus, & quam parum vel nihil de ignis natura ſciuerint & ſciant adhuc ὡς ἐν συνόψει commonſtrabimus.

§. IV. Mythici, licet Pyrodem *primum* e ſilice ignem excudiſſe; Prometheum *primum* in ferula conſeruaſſe; Protogonum *primum* ex attritione lignorum ſcintillas elicuiſſe ſcribant; (vid. Maioli dies Canic. p. 374.) tamen ſi accuratiorem πυρολογίαν ab iis deſideres, cupiasque naturam huius elementi explicari profundius; *pallent & ora color albus inficit.* Vt taceam latere in occulto adhuc an, & qui ille Pyrodes, Prometheus & Prothogonus fuerit?

§. V. Ægyptii & ſpeciatim ii, qui non longe *a Macrobiis* extrema Ægypti ora ad ocea-

ceanum habitarunt, ante aduentum EVDOXI (qui tempore Socratis floruit ante C. N. 400.) adeo ignorarunt ignem, vt amplecti etiam flammas & ardentia ſinu abdere, donec noceret, maxime libuerit. l. c. Et licet reliqui eius vſum citius perſpexerint & ſua ſapientia per vniuerſum Orientem egregie eluxerint Actor. 7. tamen naturam ignis vix perſpexiſſe videntur. Quippe in eam opinionem pedibus conceſſerunt; Ignem θηρίον εἶναι ἔμψυχον *animatam eſſe beluam. Stobæus ſerm. 123. p. m. 604.* Maſculum quidem, qua ardet flamma, & fœminam, qua lucet innoxia tactu. *Senec. Quæſt. Nat. l. 3. c. 14. p. m. 771.* Quod quidem παράδοξον vtut in ſe fortasſis non adeo abſurdum ſit, prout plerisque videtur, dum conſtat ignem non ſecus ac beluam viuentem generari, nutriri, creſcere & mori; tamen in eo hallucinatur, quod obſcurum per æque obſcurum explicat dicitq; ignem eſſe animatam beluam, cum æque parum conſtet quid belua, quidue anima? quam quid ignis ſit?

§. VI. PERSAE quam cæcutierint in ignis natura inueſtiganda exinde ſatis conſtat, quod eum DEVM eſſe exiſtimarunt adeoque mortuos comburere prohibuerunt, quia iniuſtum eſſe putabant, cadauer Deo offerre, Stobæus *l. c.* Et eſto antiquiores eo-

rum Philoſophos meliorem de Deo conceptum habuiſſe; vt docet Ziroldus in der Einleitung zur gründl. Kirchen-Hiſtorie *c. 2. §. 14. p. 78.* Et Zoroaſtrum ſub Abrahami auſpicio ad ipſum Trinitatis Myſterium penetraſſe, quod placet Franciſco Patricio in præfat. Zoroaſtr. *p. m. 29.* tamen ad ignis naturam penetraſſe non leguntur.

§. VII. Æthiopes nonnulli teſte Plinio *L. 6. H. N. c. 30.* ignem ignorarunt vsque ad tempora Ptolomæi Lathuri i. e. annum ante *C. N. 100.* Ex quo quidem tempora eius vſum, non vero naturam cognoſcere cœperunt. Hæc enim illis adhuc hodie eſt *ἀπόκρυφος*.

§. VIII. Sed nec Graeci in ignis natura euoluenda feliciores exſtiterunt. Ionici enim & ſpeciatim Anaximenes cum aerem commune omnium rerum principium eſſe contenderit, ignem quoq; ex aere exortum eſſe exiſtimauit. Sic enim Cicero *Qv. Academ. l. 4. Tom. 4. Operum p. m. 47. Anaximenes infinitum aera, ſed ea quæ ex eo oriuntur definita credidit. Gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia.* Quamobrem in ea fuit hæreſi ignem nihil aliud eſſe, quam aerem rarefactum vid. Schmidii Phyſiol. Anaximen: *p. m. 35. & 19. ſeq.* Quod quam ineptum ſit & quam parum cum ipſius Anaximenis

prin-

principiis cohæreat, vel ex eo coniicere poteris, quod AERA DEVM eſſe voluit. l. c. p. 24.

§. IX. ITALICI & quidem α) PYTHAGORAS præterquam quod ignem στερεὸν σῶμα ſeu corpus ſolidum dixerit, teſte Laertio *l. 8. p. m. 582.* vix quicquam de natura eius videtur tradidiſſe. Quamquã & hic obſcurum per æq; obſcurum explicuit. Non enim minꝰ obſcurũ eſt quid corpꝰ ſit, quã quid ignis, inprimis ſi iſtud cũ Pythagora ex numeris & mathematicorum initiis profectum ſupponas. Laertius *l. c.* β) OCELLVS LVCANVS *p. m. 30. de Vniuer. Nat.* tunc quidem opportune ignem ὑπερβολὴν θερμότητος ſeu *exuperantiam caloris* deſcripſiſſet, ſi declaraſſet prius vel declarare potuiſſet quid calor ſit: ſed quia in antecedentibus de eo nihil dicere potuit amplius quam eſſe ignis *facultatem*, ſimplex ſit & omni iudicio deſtitutus, qui Philoſophiã hanc carbonariam admittat. Quæſo enim te qualis hæc eſt definitio? ſi quis interrogatus quid ignis ſit? Reſpondeat: Eſſe caloris exuperantiam; & iterum interrogatus, quid calor ſit; reponat: eſſe ignis facultatem. Sane ſi hoc non eſt committere circulum, neſcio quid demum ſit.

§. X. ELEATICI & quidem α) PARMENIDES ignem quidem elementum eſſe dixit, ſi fides Laertio *l. 9. p. 641.* (Pererius enim *de Princip. Corp.*

Corp. Nat. l. 3. p. 116. ſcribit, elementi ſeu τοῦ ϛοιχείου vocem a Platone primum excogitatam eſſe) ſed vereor vt ipſe, quid elementum ſit, perſpexerit. Nam ſi Laertium l. c. inſpexeris, tam male Parmenidis hypotheſes cohærere deprehendes, vt peius vix poſſint. β) Heraclitus ex igne conſtare omnia & rurſus in eum reſolui cuncta dixit, Laertio teſte *l. 9. p. 631.* ſed quia nusquam explicatum legimus, quid per ignem *intellectum* voluerit, ex eo libro hanc eius hypotheſin excerptam arbitramur, quem Darius Hiſtaſpis δυσνόητον καὶ δυσεξήγητον appellauit. Vid. Laertium *l. c. p. 639.*

§. XI. Plato, citante Stobæo *Sermon. 77. p. m. 466.* ſalſe ridet Phyſicos ſui temporis qui de igne tanquam de re quadam nota tam audacter diſſerere conarentur, in ſuis Inſtitutionibus, cum reuera nihil ſit ignotius. Verba eius hæc ſunt; *Naturam ergo & paſſiones ignis, aquæ, aeris, generationem cœli præcedentes conſideremus. Nullus profecto ad hoc vsque tempus eorum generationem oſtendit, ſed quaſi notum ſit* ignis *& reliqua, ſic de illis verba facimus, eaque mundi primordia conſtituimus, cum nec ſyllabarum quidem, nedum Elementorum vicem tenere apud homines mentis quoquo modo compotes debeant. Nos vero in præſenti nihil de principio Vniuerſorum, ſeu principiis, ſeu quomodocunque*

aliter

aliter appelletur, dicendum putamus. Cui quidem diſputationi nihil aliud impedimento eſt niſi quod difficile ſit præſenti diſputandi modo, quæ de his videntur, exprimere. Neque igitur vos id expectabitis, neque ego mihi perſuadebo recte me tantum opus aggredi poſſe. Quod autem ab initio dixi veriſimilitudinis vim ſeruabimus , ſtudebimusque in rationibus veriſimilibus circa hæc asſignandis nulli cedere; atque & ſingula & vniuerſa a principio exponemus.

§. XII. Aristoteles quam parum naturam ignis habuerit perſpectam, vel ex eo conſtare poterit, quod definitionem eius nusquam tradere annifus eſt. Et licet eius ſectatores in ſuis Syſtematis & Compendiis Phyſicis ſubinde ad *l. 2. de Gen. & Corrupt. c. 3.* prouocare lectoribusque fucum facere ſoleant, ac ſi ignis *c. l.* ab Ariſtotele definitus ſit; αὐτοψία tamen docet contrarium, monſtratque eum de nulla re minus quam de definitione ignis cogitaſſe. Vt vel inde appareat, quam malæ fidei teſtes hodierni Ariſtotelici ſint, & quam procul a Præceptore ſuo, cum in aliis omnibus, tum maxime in πυρολογία diſceſſerint;

§. XIII. Theophrastvs ille Peripateticorum poſt Ariſtotelem princeps peculiarem quidem de igne ſcripſit librum, qui eſt in eius operibus Hanouiæ 1605. Gr. & Lat. editis.

Sed

Sed præterquam quod confuſa in eo ſunt omnia & male ordinata; tantum abeſt vt ignis naturam in eo aperuerit, vt potius ipſe an elementum ſit & an ignis eiusmodi elementaris ſimplex & ἄμικτος reperiatur vsquam vehementer dubitauerit.

§. XIV. PERIPATETICI vt in varias ſectas diuiſi ſunt, ita non vna ratione ignem definire ſolent, vtut omnes γνησίως Ariſtotelici videri diſcupiant. Quidam enim dicunt eſſe *Corpus ſimplex cui per ſe & primo conueniat calor & ſiccitas*, vt Bouin. *in Phil. Scoti Part. 2. Phyſ. Q. 1. p. 564.* Quidam; *Elementum calidum & ſiccum* vt Prucknerus *in Comp. Phyſ. cap. 2. p. 33.* Quidam *Elementum calidiſſimum, leuisſimum & ſiccum cholericæ complexioni idoneum* vt Velcurio in *Comment. ad Phyſ. Ariſt. l. 2. p. 104.* Quidam; *elementum calidisſimum, & ſiccisſimum & leuisſimum & ſubtilisſimum* vid. Sturmii *Phyſ. Conciliat Part. Spec. Sect. 2. c. 1 §. 3. p. 102.* Quidam neſcio quid aliud, adduntque adeo definitioni aliquid, vel detrahunt, vel plane immutant edocti ex Ariſtotele; *Veritatem eſſe adæquationem rei ad intellectum*: die Sachen müſten ſich nach ihren Concepte richten. Interim vt definitio eſt maxime πολυθρύλλητος quam habet Magirus *l. 3. Phyſiologiæ Peripateticæ c. 3. p. 176.* qua dicit: *Ignem eſſe elementum calidisſimum ſiccum & leuisſimum*; Ita pretium fortasſis

erit

erit operæ vidiſſe an veritati conueniat & ignis naturam, ſicut fas eſt, aperiat.

§. XV. Vereor autem, vt iſtud faciat. Nam vt de obſcuritate eius nihil dicam in præſenti, quæ tanta eſt, vt in hunc vsque diem nondum clare & diſtincte explicari potuerit quid *elementum*, quid *calor*, quid *ſiccitas* & *levitas* ſit; quis quæſo paulo altius in naturam rerum intuens de eius veritate non dubitaret? Ego ſane, quoties in hanc definitionem intueor, toties tot mihi in ea occurrunt dubia, vt iis eximendis vix mihi ipſi ſufficiam. Et vt ordine ac via hæc noſtra procedat obſeruatio, agite faciemus Ariſtotelicis hanc veniam, & noſtra cogitata in forma ſyllogiſtica proponemus.

§. XVI. Sic autem mecum diſſero. Cuicunque non conuenit definitio, illi non convenit definitum. Atqui igni non conuenit definitio elementi, Ergo. Maior eſt canon philoſophicus adeoque inſtar exactisſimæ trutinæ atque regulæ, ſecundum quam de reliquis omnium vel fidelium vel infidelium concluſionibus libere iudicatur, ipſam vero aliunde iudicari minime fas eſt. Minor probatur h. m.; Quicquid non eſt corpus ſimplex homogeneum, ex quo res omnes concretæ primum componuntur & in quod vltimo reſolvuntur, illud non eſt elementum. Atqui Ignis &c. Ergo. Maior eſt definitio

Ele-

ElementiPeripatetici, quam nemo ſine heterodoxias nota reiicere poteſt. Sed quia Minor eſt πεντάκωλ☉, probandum erit, Ignem (1) non eſſe corpus (2) non eſſe corpus ſimplex (3) non eſſe corpus homogeneum (4) non eſſe corpus ex quo res concretæ primo componuntur (5) non eſſe corpus in quod res concretæ vltimo reſolvuntur.

§. XVII. Quod vero ignis 1) non ſit CORPVS tum ex eo conſtare arbitror, quod iuxta Ariſtotelem *l. 2. de Gen. & Corrupt. c. 3.* tantum ὑπερβολή ſeu exceſſus caloris eſt, adeoque gradu tantum a calore differt, tum etiam ex eo liquere exiſtimo, quod expers materiæ & formæ videtur. Materiæ quidem, quia eſt tantum in materia vt accidens in ſubiecto, vel ſi mauis, vt ſpiritus in corpore eſſe ſolet, & quia materia materiæ ſuperaddita auget eius quantitatem, quod in igne non procedit. Quamobrem anonymus ille Philoſophus, cuius Thomas Braun in ψευδοδοξία Epidemica meminit, non male colligit ignem ſpiritualibus potius quam corporeis rebus eſſe accenſendum. Sic enim ſcribit; daß das gemeine Feuer mehr unter die Art der Geiſtlichen als leiblichen Dinge gehöre / lehret gleichfals die Vernunfft. Denn wenn es leiblich wäre / ſo würde es für ſich ſelbſt ſo wohl einen eigenen von andern unterſchiedenen

nen Cörper haben/als die Erde/das Waſſer/ die Lufft/ und andere ſinliche Naturen, die ihre eigene Leiber haben und damit umſchräncket ſind/ und in denenſelben und durch dieſelben ihr Weſen haben/ ihre Kräffte volbringen/ und ſich denen Sinnen vorſtellig machen: Das Feuer aber hat keinen eigenen ſichtbahren Leib/ und hält ſich nur in andern auff/ denn die Kohle iſt ja kein Feuer ſondern ein feurig Holtz/ auch iſt die Flamme nicht Feuer/ ſondern ein angezündeter Rauch/ auch endlich friſſet dieſes Raub-Weſen nur allezeit etwas frembdes auf/ und lebet blos vom Raube/und wenn ihm dieſer ermangelt/ verliſchet es/ weil es vor ſich nichts hat/ davon ſichs nehren könne. Uber dieſes auch/ wenn ein Cörper zu den andern gethan wird/ ſo vermehret er deſſelben Gröſſe/ wenn aber das Feuer in das Holtz oder in den Rauch gebracht wird/ ſo geſchiehet ſolches nicht/ ſintemahl weder das Holtz noch der Rauch/ wen gleich das Feuer dazu komt/ der Gröſſe nach verzehret wird: Daraus zur Genüge abzunehmen/ daß vielmehr ein Geiſt als ein feuriger Leib das Holtz oder den Rauch angefaſſet. Auch iſt daher genugſam zu ſchlieſſen/ daß auch das Feuer des Wetter-Strahles eine geiſtliche Natur habe/ daß ſolches einen Degen zerſchmeltzet ohne Verletzung der

Scheide und die Knochen zerſchmettert ohne Verſehrung des Fleiſches / wenn ſie von dem feurigen Pfeile des Blitzes getroffen werden. E. corpus non eſt ignis, quia corpus non poteſt penetrare corpus) daß aber das Feuer nicht gar unkörperlich ſey / iſt gleichwohl auch zu bekennen / denn es hat gar eine ſubtile materie / durch welche es der umſtehenden Lufft anhänget / daher es / wenn dieſelbe etwas dicke iſt / in ſelbiger ſichs ſichtbar enthält. Doch muß man ihm mehr den Nahmen eines Geiſtes als eines Cörpers laſſen / weil es keine kennbahre Größe hat / auch nicht zu erkennen iſt / wenn ſichs nicht in einen frembden Leib begibet. Formæ autem expers eſſe vel inde patet, quia forma eſſe nequit, vbi materia abeſt.

§. XVIII. Fingamus autem ignem corpus eſſe; nunquam tamen probari poterit eſſe (2) corpus simplex. Nam primum oppoſitum hoc eſt in appoſito, quia omne corpus ex materia & forma eſt compoſitum iuxta ipſorum Peripateticorum ſententiam. Tum experientia teſtatur ignem ex variis particulis componi, adeoque non magis eſſe ſimplicem quam pharmacopolarum *mixtura ſimplex* aut aliud quodcunque corpus.

§. XIX. Neque eſt quod aristotelici obiiciant, vocari ignem ſimplicem eo quod corpus

corpus ſit homogeneum & in partes heterogeneas reſolui nequeat. Nam & hoc quoque falſum eſt (3) ignem eſſe corpus HOMOGENEVM. Cum enim extra controuerſiæ aleam poſitum omnino ſit, ignem particulas v. g. ligni, ſtraminis, candelæ &c. ſuas facere & in naturam ſuam quaſi conuertere, aut dicendum erit eas eſſe heterogeneas aut fatendum hæc corpora ex partibus homogeneis conſtare, adeoque eſſe ſimplicia. Quod poſterius cum perabſurdum ſit; ſane prius concedendum erit. Et quid ſi diceremus particularum ὁμογένειαν non ſtatim corpus ſimplex conſtituere? Sane ſi aurum, argentum, gemmas & huius commatis corpora alia intuemur, particulas quidem homogeneas in iis deprehendimus; ſed an propterea ſimplicia vocari posſint, illi ipſi iudicent, qui corpus ſimplex ſic deſcribunt. Accedit quod definitio hæc vel ταυτολογίας vitium incurrat, ſi corpus ſimplex idem ſit ac corpus homogeneum, vel ἀντιλογίας crimen ſubeat, cum ſimplex eſſe non posſit, quod ex particulis homogeniis conflatum eſt.

§. XX. Quod cum ita ſeſe habeat, quis quæſo cum Peripateticis confirmet (4) IGNEM ESSE CORPVS EX QVO RES CONCRETÆ PRIMO COMPONANTVR? Reſolui res concretas igne videmus; ſed componi ex igne vi-

demus nusquam. Et ſi vel maxime concurrat ad generationem viuentium, ibique calidum cum humido componat, digerat, attenuet, miſceat, formamque inducat; tamen propterea non magis elementum vocari poterit quam ſcriniarius, qui menſæ formam impertit. Extrinſece enim ad eam producendam concurrit, intrinſece eandem non conſtituit. Atque ea propter non inepte ſcribit Helmontius *tr. de Element. p. m. 53: Vanum eſt ignem confluere materialiter ad corporis miſturam. Nusquam aliquid de creatione ignis legitur, nec igitur illum inter elementa agnoſco nomenque meum paganiſmo recuſo.* Cui quidem non inuiti ſubſcribimus, etſi non ignoramus, Gallos hæreſeos damnaſſe non neminem & e finibus ſuis eieciſſe, qui confirmare volebat, *Ignem non eſſe elementum.*

§. XXI. Damnent autem per nos & eiiciant quemcunque velint, nos tamen quintum adiicimus παϱάδοξον dicimusque (5) IGNEM NON ESSE CORPVS, IN QVOD RES CONCRETAE VLTIMO RESOLVANTVR. Nam cum in id reſolui tantum poſſit aliquid ex quo componitur, in ignem res concretæ reſolui non poterunt, quia ex illo non componi iam euidentisſime monſtratum eſt. Et quia ſic primum allatæ definitionis conceptum deleuimus probauimusque; *Ignem*

non

non eſſe Elementum nunc demum ad alterum progrediendum erit & porro oſtendendum; *Non eſſe calidisſimum, ſiccum & leuisſimum.*

§. XXII. Vt autem a calore faciamus auſpicium, quid poteſt dici ineptius quam ignem eſſe calidum; cum pridem a recentioribus probatum ſit calorem non in obiecto, ſed in ſubiecto, h. e. non affectionem ignis eſſe, ſed ſenſationem quandam per ignem vel alium quemcunque motum in noſtra mente excitatum? Sane ſi calor in igne eſſet vel in materia ipſius ineſſet, (κατ' ἄνθρωπον diſputo) vel in forma vel in vtroque. Sed non eſt in materia; quia materia ignis ſunt particulæ terreſtres, quæ in ſe potius ſunt frigidæ quam calidæ; Non in forma; quia forma ignis eſt motus, qui in ſe ſpectatus neque calidus eſt neque frigidus. Non in vtroque, quia quod in neutro eſt, in vtroque eſſe nequit. Neque eſt quod dicas; hoc *ſenſibus contrariari*: nos enim tactu calorem ignis percipere. Hoc ipſo enim confiteris calorem non in igne ſed in te eſſe, qui ſenſibus es præditus. Et quid? ſi frigus recte definitur quod ſit qualitas congregans homogenea & heterogenea; non repugnabit ignem dici frigidum. Conſtat enim experientia, eundem v. g. ceram, picem, gummi, reſinam aliaque huius commatis homogenea & he-

heterogenea tam belle congregare, vt amice in vnam maſſam confluant.

§. XXIII. Equidem iam videor videre Presbyterum quendam Ariſtotelicum qui barba ſollicite demulſa & faucibus ad rauim vsque perpurgatis, hoc ſyllogiſmo me impetat; Quicquid vrit, illud eſt calidum. Ignis urit. E. ſed R. α) ad Maiorem. Vrtica vrit neque tamen eſt calida. Et ſi dicas diſtinguendum eſſe inter vrere proprie & improprie; exponas mihi quæſo quid ſit proprie vrere, & eris mihi magnus Apollo. β) diſtinguo inter id quod calidum eſt per ſe ſeu formaliter & ratione effectus. Non enim ſequitur: Ignis vrit. E. eſt calidus in ſe; poteſt enim eſſe calidus tantum ratione effectus. Plane vt acus dolorem affert effectiue, quem formaliter in ſe non habet; vel ſicut mel titillationem in lingua excitat, quam formaliter non comprehendit. γ) ad *Min. Neg. Ignis enim elementaris*, vt ait Senertus *l. 2. c. 3. Nat. Scient. p. 193. per ſe non vrit; Quod vero apud nos vrit, cauſa eſt quod condenſatur & inhæret craſſæ materiæ, vnde partes eius condenſatæ & coarctatæ maiorem vim habent, ſeu vt* Scaliger *Exercit. 2. ſect. 2. loquitur, vrendi vim habet a partium propinquitate, frequentia, coagmentatione, cohæſione, vnione. Cuius rei documentum eſſe poteſt ferrum ignitum, in quo ignis vis ob par-*

tium

tium condenſationem maior eſt quam in ſtipulis, quæ conſtant ex rariore materia. Idem patet ſi ſpiritus vini incendatur. Nam per eum ſine aliqua læſione & per ſupremam flammæ partem digitum transmittere poſſumus, quod in ferro candenti non licet. Idem ignis per ſe non conſpicitur vt nec aer: vt nec lucet niſi in materia denſa excipiatur. Quod idem docet Alſtedius Encyclopædiæ *Phyſ. l. 13. Part. 2. c. 6. p. 695.* Et Keckermannus *l. 2. ſyſtem. Phyſ. c. 10. p. 127. a*]. Quibus ſi velis Maiolum *p. 375.* Dierum Canic. adiungere, deprehendes ſane ignem etiam non elementarem reperiri, qui facultate vrendi ſit deſtitutus.

§. XXIV. Sed video te exſpectare quid extincto calore ignis, de *ſiccitate* eius exiſtimem? Et ſane diffiteri non poſſum mihi rem in limine ſtatim ſuſpectam videri, quod inter ipſos Peripateticos nondum conuenit, an *ſiccitas in ſummo gradu igni, an vero terræ tribuenda ſit?* Et ſi deinceps definitionem ſicci intueor, videoque *Siccum dici id, quod propriis terminis facile continetur, alienis difficulter*, non terra tantum cum Peripateticis aliis, ſed omnibus elementis reliquis ignem minus eſſe ſiccum, & Sturmio & veritate teſte confiteor. *Mera enim deceptio eſt & inaduertentia quod creditum eſt flammæ viſibilis & pyramidalis terminos ipſi proprios eſſe. Et ſi vel maxime de flamma*

hoc verum eſſet, ad elementum ignis id accommodari nec poſſet nec deberet. Sturmius *l. c. p. 118.* Adde quod ignis magis humidus quam ſiccus appellari debeat, ſi definitionem humidi admittas quam Peripatetici in ſuis compendiis inculcare conſueuerunt.

§. XXV. Quod vero ad *leuitatem* ignis attinet, ea non tantum rationi ſed etiam experientiæ videtur contrariari. Rationi quidem, quia hæc omne corpus eſſe graue dictitat. Experientiæ autem, quia teſte Sturmio Exercit. 4. *Phil. Elect. c. 1. p. 195. bodie indubiis experimentis conſtat, ignem etiam noſtrum culinarem & vulgares flammas quascunque ſuum habere pondus & grauitatis expertes haud eſſe.* Et ſi vel maxime ad ſacram Syllogiſmorum anchoram confugias, & ita contra nos argumenteris; Quicquid tendit ſurſum, illud eſt leue. Atque Ignis; E. tamen fulgur ex pelui eſt, quod non timemus. Nam α) vnde tu certus es, quod cœlum verſus tendere ſit tendere ſurſum? Sane ſi dicam cum Copernico, ſolem eſſe huius vniuerſi centrum; ignis non ſurſum ſed deorſum tendit, adeoque eſt elementum grauisſimum, quia grauitas eſt peripateticis qualitas ad centrum vergens vel mouens. Et quid ſi β) negem, ignem ſurſum tendere? Profecto ſi ignis motus ex motu caloris iudicandus eſt,

non

non minus deorſum quam ſurſum feretur, quia calor æque deorſum ac ſurſum diffunditur, vt experiri licet in cupri lamina ſi igni ſupponatur. Eſto tamen eundem tendere ſurſum, nonne γ) plumæ etiam in altum eniti ſolent? Sed tamen dicunt Germani noſtri; Ein Pfund Federn iſt ſo ſchwehr als ein Pfund Bley. Scilicet tendit ſurſum non quod in ſe ſit leuis, (tale enim corpus non datur) ſed quia minus grauis eſt quam aer. Hinc enim ſupernatare vult. Neque magis propterea requirit ſphæram igneam (ad quam nullus neque peruenit neque peruenturus eſt vnquam) quam oleum requirit ſphæram oleagineam, quod aquæ immerſum ad ſuperficiem ſuperiorem euolat. Et tantum de Peripateticis hoc tempore dictum habeo.

§. XXVI. Epicuræi dum Gaſſendo teſte de *V. & M. Epic. part. 1. p. 169.* volunt *ignem eſſe congeriem atomorum exilium, rotundorum & motu celerium*; in eo quidem a Carteſianis differunt, quod motum hunc atomis eſſe congenitum exiſtimant, quem Carteſiani a ſubtili quadam & ætherea ſubſtantia dimanare arbitrantur; ſed quia in reliquis ex aſſe cum iis conueniunt, vna fidelia duos dealbare parietes, & in vna periodo vtrisq; noſtra dubia proponere poterimus.

§. XXVII Stoici quid per ignem intellexerint, & an illum ipſum Deum vel ſaltem Dei ſedem eſſe putauerint, neque Lipſius diligentisſimus ille Phyſiologiæ Stoicæ rimator ſatis exploratum habuit, vt ex inſcriptione Diſſert. 12. p. 99. conſtat, neque nos habemus. Adeoque ſatius exiſtimamus de iis tacuiſſe quam temere iudicaſſe. Hoc tamen dicimus videri eos, ſi vera ſunt, quæ a Lipſio *c. l.* & Vosſio *Cap. 19. de Sect. Phil. §. 7.* narrantur, a Spinoſiſmo non procul abfuiſſe, atque adeo naturam ignis omnium pesſime intellexiſſe.

§. XXVIII. Cartesiani vt clare & diſtincte res naturales cognoſcere & explicare poſſe Philoſophi eſſe proprium exiſtimant; ita naturam ignis clarisſime & diſtinctisſime deſcribi poſſe arbitrantur, quod ſit: Congeries particularum terreſtrium celerrime motarum. Vid. Le Grand *Inſtit. Part. 6. Artic. 17.* ſed vt non dicam eſſe obſcurisſimum adhuc, quid *motus*, quidque *terra* ſecundum hypotheſin Carteſii ſit; dum *motus* definitio ſic comparata eſt, vt etiam ad quietem accommodari posſit; Natura autem terræ tam eſt ἀπόκρυφος, vt eius regionem intimam & mediam a nobis ignorari, ſupremam autem ex particulis incertas figuras habentibus conſtare Carteſiani ipſi fate-

an-

antur: quis quæſo ſibi perſuaderi patiatur hanc definitionem naturam ignis exprimere, cum rebus tot diuerſis & heterogeneis adaptari queat? Ego ſane quoties puluerem a turbine commotum intueor eiusque particulas citisſime per aerem diſcurſitare video, toties mecum tacitus cogitare ſoleo; EN IGNEM CARTESIANVM! Porro ſi corpus ignitum conſpicio congeriem particularum terreſtrium citisſime motarum deprehendo, & tamen ignitum corpus ab igne mirum quantum differre certus ſum. Tum non concipio, qui ignis *elementum primum* a Carteſio vocari poſſit, ſi ex particulis terreſtribus componatur, adeoque elementum prius agnoſcat. Denique ne illud quidem cum Ioh. Baptiſta du Hamel *Phyſ. Gen. tr. 1. c. 2. p. 75.* exploratum habeo, an motus ille particulis connatus ſit, quod Epicureis probabatur, an vero iis a quadam ſubſtantia ſubtili & omnia permeante communicatus, quæ mens eſt Carteſii. Et cum adeo natura ignis a nulla Philoſophorum ſecta clare & diſtincte explicari poſuerit, lectori iudicandum relinquo, quid in cæteris naturæ partibus præſtare: & an de iis tot tantaque Syſtemata contexere potuerint? Sapienti pauca.

OBS.

OBSERVATIO XVII.
De
PROCESSV IVDICIARIO IVDICII HALLENSIS QVATVOR-VIRALIS.

SVMMARIA.

Varii modi citationum. §. *I.* *Modus citandi & Proceſſus in iudicio quatuorvirali Hallenſi receptus.* §. *II.* *Origo huius iudicii quatuorviralis.* §. *III.* *Proceſſus fori Germanici ex variis iuribus compilatus.* §. *IV.* *Iuſtitia Proceſſus quatuorviralis.* §. *V.*

§. I.

PRoceſſum iudiciarium Romanum, & illum qui moribus Germanorum paſſim introductus eſt, ſi inſpiciamus, oppido patet, pro diuerſitate temporum diuerſam indolem & habitum præſertim circa modum citationis & prouocationis illum induiſſe: Legibus XII. Tabb. obtorto collo ſine præſcitu iudicis licuiſſe reum in iudicium trahere, ex Briſſonio *L.5, de formulis* & aliis ſcriptoribus edocemur, poſtea illum modum violentum expiraſſe offendimus, ita tamen vt abſque præſcitu iudicis per apparitores citationes fierent; Tandem tempore Iuſtiniani cum apparitores cum actoribus colluderent, & calumniis anſa præberetur, cautum, ne ſine præſcitu iudicis apparitores quem

in

in ius vocarent *Nou. 112. c. 2. Nou. 96.* Sed & peculiarem modum nonnulli populi excogitabant, & per duos teſtes ſeu vicinos reum citabant ad iudicem: *Schilt. Exerc. ad π. 7. §. 4. & in not. ad §. 7.*

§. II. Diuerſo hoc modo citandi aliquatenus adhuc vtuntur noſtri Hallenſes in peculiari illo iudicio, quod vocatur das Vier-Herrn-Ambt. Scilicet vbi ciuis ciuem ad hoc iudicium vocat, non prius veniam impetrat a iudice, ſed apparitores adit, & poſtulat vt ad proximum diem iuridicum citent reum oretenus, apparitores hanc citationem in album ſuum deſcribunt, reum citant, & die iuridico adueniente, album ſuum ſeu catalogum citatorum iudicii Directori exhibent, comparente reo partes admittuntur, & cauſa a iudice de plano deciditur; Quod ſi reus confitetur vel delictum vel debitum, (nempe cauſæ quæ hic deciduntur, ſunt vel debita vel iniuriæ reales & verbales) ſtatim ſine vlterioribus ambagib9 condemnatur, ſin delictum negat, ſtatim teſtes producuntur & ſummariter audiuntur. Si debitum vero negat, vel exceptiones altiorem indaginem requirentes affert, deque illis actori iuramentum defert, ad iudicium Regium Ciuitatis, die Berggerichte partes dimittuntur. Si non apparet reus, contumacia eius accuſatur o-

re-

tenus & protocollo inſcribitur, nouaque citatio impetratur; quod ſi tertia vice in contumacia perſiſtit, vel iudicato intra 14 dies non paret, petit actor vt reus realiter & obtorto collo citetur. Sed hæc poſterior citatio, quamuis per apparitores fit, tamen ſine iuſſu Directoris iudicii fieri nequit; Sed & ante plurimos annos alius modus obſeruabatur, nempe non poterat quis ciuem ad hoc iudicium trahere, niſi prius per duos vicinos amicabiliter hortatus fuiſſet ciuem debitorem vt ipſi ſatisfaceret, qui mos ante paucos annos deſiit.

§. III. Origo huius iudicii inde cœpit, quod Clerus, ceu alibi de Palatio Regio dictum, etiam Halæ mirum in modum ſæuiret, cauſis ſecularibus promiſcue ſe ingereret, litigatores ad forum ſuum traheret, & ſub prætextu, quod animabus illorum, ne litigando illas perderent, conſulere vellet, ipſe cauſas, pro illo quo capiebatur affectu, terminare volebat. Quod ſi ciues eiuſmodi ſententiæ morem gerere & ad arbitrium Cleri iure ſuo cedere nollent, Banno Eccleſiaſtico illos feriebat & a communione eccleſiæ & vſu ſacræ Synaxeos arcebat. Ægre id habuit Saxones noſtros Hallenſes, ſeruitutis impatientes, & libertatis ſæpe vltra modum vindices, itaque ceu ex prooemio huius ordinatio-

tionis patet, vt anſam calumniandi præſcinderent Clero, obicem Cæſaro-Papiæ Romanæ ponere volebant, erigendo tale iudicium, in quo absque omni ſubterfugio celerrime partes ius inuenire poſſent; Verba proœmii ſic ſonant, quæ allegare non pigebit: Um viel und mancherley Bannes/ derhalben Gottesdienſt Legunge/ um Geldſchulde / und andere wertlichen Sachen ſo unſere Bürger mit einander zuthun haben/ zubewahren / und davor zu ſeyn / daß der Gottesdienſt ſo leichtfertiglichen und geringe nicht dürffte geleget werden/ und daß unſere Bürger nicht recht los bleiben dürfften und ihr einer den andern / was er ihn von Geldſchulden oder ſonſt pflichtig iſt / abemahnen und erfordern/ Ihr jegliche auch ſo viel ihme von rechtswegen noth ſeyn wird/ an den andern bekommen möge/ haben unſer Herr ꝛc. Quod & ex epilogo ordinationis dictæ clarius eluceſcit, vbi grauiter prohibetur, ne in cauſis ſecularibus ciues conciues ad eccleſiaſticum iudicium Præpoſiti Noui operis des Probſts zum Neuen Wercke traherent, inſimulque patet, veteres Hallenſes inſignes oſores fuiſſe Proceſſus iudiciarii, qui in ſcriptis celebrari ſolebat.

§. IV. Quamuis itaque non negandum, noſtros Hallenſes iure Saxonico antiquo a pri-

primis incunabulis vſos fuiſſe, tantumque abeſt, vt credamus ante tria ſecula iuris Romani illos peritos fuiſſe, vt potius vbiuis veſtigia reperiamus ſimplicis modi procedendi Teutonibus & Saxonibus familiaris, attamen nec hoc inficiandum, exterioris Proceſſus ratione iam ſeculi 13. lapſu a priſtina ſimplicitate deflexiſſe Veteres, ac ad regulas Iuris Pontificii, quod ex Iure Romano multa in ſuos Decretales transtulerat, ſe quoque compoſuiſſe, vt ſic cinnus factus ſit Proceſſus Saxonicus, in quo præter Pontificum Decretales, ciuile ius eiusque Interpretum opiniones dominabantur, multa quoque ex priſcis inſtitutis reſeruata fuerint, ceu pluribus exponit Conradus Sincerus *de German. Leg. Vet. ac Rom. Iur. in Republ. noſtr. orig. p. 52.* hinc factum quod & præter opinionem Hallenſes noſtri quasdam ex Iure Quiritario circa Proceſſum iu fora ſua introduxerint, præſertim cum æquitatis & ſimplicitatis rationem circa ipſum inuenirent.

§. V. Etenim iuſtitia Proceſſus huius iudiciarii, dum celerrime cuiuis ius dicitur, nihil in ſcriptis admittitur, vt lites inſignem ſæpe ſummam concernentes intra quatuor ſeptimanas, niſi prouocatione ad Illuſtre Regimen retardentur, quod raro fit, palam celebratur, & temperamentum circa ipſam citatio-

tionem & executionem ſententiæ æquitate palpabili nititur. Quippe ſola illa citatione quamuis ab apparitore ſine iuſſu iudicis fiat, nihil præiudicii reo affertur, cum ipſi integrum ſit exceptiones liquidabiles actori opponere, quod & conuenire videtur Magdeburgico iuri, de quo in Weichbild *art. 34.* reperitur, quod circa citationem ſolius Nuntii mentio facta: Aſt circa executionem ſententiæ alia ratio apparet, cum illa realis citatio non parum incommodi ſecum trahat, hinc recte non niſi præſcitu iudicis fieri poteſt, qui prius examinat an citationes legitimæ præceſſerint, an reus reuera contumax fuerit, an res iudicata adſit, ſed & ſi rei ſint paulo honeſtioris conditionis, prius director iudicii rem ad ſenatum defert eiusque iuſſum & approbationem exquirit, an reus cuſtodiæ tradi debeat; quæ ipſa vero incarceratio antiquum morem Saxonum ſapit, qui debitores confeſſos vel iudicis vel partis cuſtodiæ tam diu dabant, donec vel fideiuſſores conſtituerent, vel debitum ſoluerent, vel præſtando operas manuarias creditori ſatisfacerent, Weichbild *art. 27.* Quamuis in hoc mores noſtri diſcrepent, quod in iudicio Hallenſi non attendatur, an quis poſſeſſionatus ſit an non, (quæ tamen differentia de iure Magdeburgico obtinuit: Weichbild *art. 33.*) ſed

ſola æquitatis vox: Solue quod debes, hic præualet.

OBSERVATIO XVIII.

DE FESTO SOLENNI CRAPVLARIO HALLENSI, VVLGO die Knoblauchs Mittewoche.

SVMMARIA.

Deſcriptio huius Feſti. §. I. *Eius origo non videtur ab Ethnicis deriuanda.* §. II. *ſed a Pontificiis ſocietatibus Calendariorum* §. III. IV.

§. I.

MOs ſolennis Halæ inueteratus obtinet, quo die Mercurii poſt Feſtum Pentecoſtale omnia a curis vacant, opificiarii ſimilisque conditionis homines allio veſcuntur, ſibique perſuadent, eum, qui hoc die eiusmodi herbis fruatur, bona valetudine vſurum per integrum annum. Omnes plateæ itaq; illo die odore ſordido & alliari implentur; dignitate vero qui præcellunt, ſeu qui hac ſuperſtitione non capiuntur, communiter ſecedunt in hortos & villas, & mutua hilaritate ſe excipiunt.

§. II. Sæpe a maioribus in originem huius conſuetudinis audiui inquiſitum fuiſſe, dum

dum alii huc, alii illuc illam referrent; Incidebat ante plurimos annos, vir quidam elegantioris ingenii, nunc pie defunctus in Gueuarræ *Horolog. Princip. L. 1. c. 4* & dum perpenderet ethnicos ritus, qui quamlibet fere rem pro Deo finxerant, credebat forſan hunc morem ab antiquis Gentilibus, qui ſub nomine Hermundurorum circa has plagas olim vagati ſunt, ortum traxiſſe; Sed cum Halam nunquam Hermunduri inſederint, neque Hallenſes Saxones, qui ius ciuitatis ab Ottone Saxonico acceperunt, gentiles fuerint, veritati hæc coniectura non conuenit: Papalibus erroribus itaque potius illum morem adſcribimus.

§. III. Notum quippe illos ad faſtum & dominatum ſuum fundandum, morem Romanorum imitari voluiſſe, qui ſacerdotibus ius dies faſtos conſtituendi dabant; factum hinc vt & Pontificii ius dies faſtos indicendi ſibi arrogarent, in quam rem ordinem certum CALENDARIORVM inſtituebant. Quando hic ordo cœperit, inter eruditos equidem plene non conſtat; *Chriſtianus Franciſcus Paullini Diſſert. Hiſtor. 6.* hoſce fratres cum ſodalitate Roſarii Mariani ſurrexiſſe vult, aſſeritque fuiſſe ſocietatem mixtam ex compacto ſpiritualium ſeculariumque hominum conflatum, quorum officium primitus in eo con-

ſtitit, vt modum & ordinem ſacrorum conſtituerent, & ſpecialiter, quæ ſingulis menſibus celebranda forent anniuerſaria recolenda, quæ eleemoſynæ diſtribuendæ, quæ ieiunia ſeruanda, quid pecuniæ elocandum, & qui fructus ex ſortibus exigendi: Imo aſſerit *Iohannes ab Indagine, hoſce Calendarios a conventiculis ſuis ad qua ſe vocabant, ſua bona ſpiritualia, fundendo preces, ſermones pios nectendo, & ſe mutuo in charitate corrigendo, coercitione poteſtatiua, communicarent*, nomen ſumſiſſe.

§ IV. Aſt ſicut euenire ſolet, vt optime inſtituta ſæpe peſſimos euentus ſortiantur, ita & hiſce Calendariis accidit; Nam eorum cœtui admixti primum hypocritæ, qui Curios ſimulabant & Bacchanalia amabant, facili negotio & alios in ſuas partes trahebant. Hinc quolibet menſe feſta mandibilia Freß-Feſte/ inſtituebant, vt & eiusmodi feſta hypodiaconalia prouerbio, er machet bundte Calender/ anſam dederint, *B. Feller Diſſ. de Fratr. Calend.* Cum itaque Halæ ordo *Calendariorum* tempore ſuperſtitionis Pontificiæ altas radices egiſſet (ſic vt veſtigia horum Calendariorum in Curia noſtra adhuc reperire liceat, eum certos reditus quos Calendarii fœneratores ciuibus ſub vſuris dederant, & hi ſuis ædificiis imponebant, vulgo die Calands Zinſen ceſſione a Calendariis facta Senatus ad ſe traxe-

xerit) probabile eſt, genio Hallenſium ad commeſſationes & epulas procliui ſe accommodaſſe hoſce hypocritas, & præſertim temporis dulcedine annuente feſtum hocce mandibile introduxiſſe, cum inſuper Pontificii eo temulentiæ iamdudum prolapſi, vt die Pentecoſtes vsque in ſabbathum a precibus & orationibus ſolitis abſtinere pro religione duxerint, ne ſcilicet feſtiuitatis beatitudo, ceu Hilarius in Prolegom. ad Pſalmos ait, ieiuniis & precibus impediatur: Cum ſtomachó ſiquidem legimus *diſtinct. 5. c. 15. de Conſecrat.* in quo canone non ſolum Gregorius ſuam ſtultitiam, ſed & in Germanos virulentum animum depromit: Optandum itaque, vt veritate Euangelii elucente, ſuperſtitioſa illa manducatio iterum ex animis hominum tolleretur.

OBSERVATIO XIX.

Ἀντίχθων PYTHAGORÆORVM.

SVMMARIA.

Ntichthon vel terram vel hominem denotat. §. I. *De poſteriori ſignificatu loci Plinii & Solini* §. II. *item Melæ* §. III. & *Apuleii* §. IV. *An antipodem denotet, an huic oppoſitum antœcum, an tertium genus hominum: variæ variorum ſententiæ.* §. V.-XII.

Præter hanc ſignificationem geographicam eſt & alia Aſtronomica Pythagoræorum, Lexicographis neglecta. §. XIII. *De ea loci duo ex Ariſtotele.* §. XIV. XV. *Horum ſumma* §. XVI. *Nouem orbes vniuerſi.* §. XVII. *Pythagoraei ſolem totum igneum crediderunt, circa cuius centrum moueatur terra* §. XIIX XIX. *Iisdem antichthon eſt terra circa alteram partem centri mota nobis inuiſibilis.* §. XX. *Illuſtrantur dicta ex Plutarcho,* §. XXI. XXII. *qui tamen male Philolao Pythagoræo adſcribit, ac ſi alium ſolem præter ignem illum vniuerſi centrum ſtatuerit,* §. XXIII. XXIV. *quæ potius opinio eſt Empedoclis Pythagoræi.* §. XXV. XXVI. *Veſta Gentilium non terræ, ſed ſolis huius ignei ſymbolum.* §. XXVII. *Antichthon Pythagoræorum diuerſus planeta a Luna.* §. XXVIII. *Locus Plutarchi expoſitus.* §. XXIX. - XXXII. *Simplicius Antichthona Pythagoræorum pro Luna habuit.* §. XXXIII. *quorſum & inclinat alicubi Plutarchus* §. XXXIV. *Et Simplicium ſequuntur alii* §. XXXV. *ſtatuerunt Pythagoræi Lunam vt terram noſtram habitari.* §. XXXVI. (*Scaliger notatus de Luna cauſa monſtrorum &c. Ibid. lit. b.*) *Sed propterea Luna ipſis non fuit*

an-

antichthon. §.XXXVII. *Reiicitur ratio Rhodigini* §.XXXVIII. *Sententiæ Simplicii obſtat doctrina Pythagoræorum de numero denario.* §.XXXIX. *Medelæ Artopæi Veſtam h. e. ignem ſubterraneum ſubſtituentis reſpondetur.* §.XL.-XLIV. *Alia reformatio orbium cœleſtium Bodini.* §.XLV. *Antichthon Pythagoræorum eſt Planeta ab omnibus ſtellis & globo terræ diſtinctus.* §.XLVI. *Cauſa cur Simplicius ex eo Lunam fabricauerit,* §.XLVII. *Pythagoræorum nimius amor in numerum denarium.* §.XLVIII. *Decem partes orationis ex eorum mente* §.XLIX. *item decem proportiones mediæ in Arithmeticis &c.* §.L. *Alius ſcriptorum Chriſtianorum error* §.LI. *ſtatuentium, Antichthona Pythagoræorum eſſe cœlum beatorum.* §.LII. *vt Clementis Alexandrini.* §.LIII. *Explicatur locus quidam Hieronymi de ſententia Origenis.* §.LIV. *Paradiſi & antichthonis comparatio. Ibid. lit. d. Fabula illa de Pythagoraeo beatorum cœlo oſtenditur.* §.LV. *Pythagoras an primus inuenerit Antipodas.* §.LVI. *Multæ reliquiæ Philoſophiæ Ethnicæ in doctrina ſyſtematica de vita futuri ſeculi.* §.LVII. *Commendantur Eimmarti contemplationes nouæ de ſole.* §.LIIX.

 §. I.

§. I.

Ἀντίχθονα Lexicographi exponunt vel terram Antipodum vt Hadr. Iunius, Rob. Conſtantinus, & Budæus; a) vel eum, qui oppoſitam pedibus noſtris terram incolat, vt Scapula b), h. e. Antipodem.

a) Had. Iun. Lexicon editum habeo A. 1557. Baſil. Roberti Conſtantini A. 1592. Budæi & caeterorum noviſſ. correctum a Cellario & Honigero. Bas. 1584. Horum omnium eadem ſunt verba hæc: Ἀντίχθων. *oppoſita pedibus noſtris terra. Antipodum terra oppoſita nobis:* ἀντίχθονος γῆς, *terræ antipodum.*

b) f. m. 1811. cuius hæc verba: Ἀντίχθων ὁ καὶ ἡ, *oppoſitam pedibus noſtris terram incolens, Plin. Lib. VI. c. 22.*

§. II. Prouocat Scapula ad Plinii *c. 22. l. 6.* vbi hæc verba reperio: *Taprobanen alterum orbem terrarum eſſe, diu exiſtimatum eſt, Antichthonum appellatione.* Quibus ſimilia loquitur Solinus *c. 66. f. m. 315. Taprobanen Inſulam, antequam temeritas humana exquiſito penitus mari fidem panderet, diu orbem alterum putauerunt, & quidem eum, quem habitare Antichthones crederentur.* Conf. Pompon. Melam *lib. III. f. m. 202.* de Taprobane agentem.

§. III, Apud hunc Melam Antichthonum
*thon*tionem bis inuenio, ſemel *f. m. 3. Antich-*
f. 5 nes alteram, nos alteram incolimus. Iterum
5. Quod ſi eſt alter orbis, ſuntque oppoſiti no-
bis a meridie Antiubthones.

§. IV.

§. IV. Apud Apuleium quoque vox hæc occurrit. *l. I. metam. p. 406. ed. Elmenh. Indi vel Æthiopes vtrique vel ipſi Antichthones.*

§. V. Communis interpretatio eſt, Antichthones eosdem eſſe cum antipodibus. Quam ſequuntur Camers *ad Solinum* a), Vadianus *ad vtrumque Melæ locum* b) qui tamen *f. 8.* addit, Melam per Antichthones Antœcos magis intelligere) Faber *in Lexico f. 70. & 71. ed. Buchn.* Fungerus *in Etymologico f. 59.* Goclenius *Lexico philoſ. græco p. 27.* Micrælius *p. 140. Lexici Philoſ.* & alii paſſim.

a) Verba eius f. 315. -- *quos Antipodas etiam vocamus. Sunt enim contra eos poſiti, quos ἀντοίκους vocamus.* Quod vltimo loco dicit Camers, id cum Capella conſentit: Sed ab eo viciſſim diſcedit, quod Antichthonas & Antipodas habet pro iisdem. Locum Capellæ vide §. 8.

b) *f. 8. & 55.*

§. VI. In fragmento ſcriptoris incerti cum Cenſorino edi ſoliti *c. 2.* hæc legas: a) *Diuiſi a nobis circulo æquinoctiali antichthones vocantur: videntur humiles atque depresſi, quibusque antipodes infra ſunt. Quod vt poſſe videatur efficiunt flexus, obliquitatesque terrarum. Antichthones iidem Antoecoe nominantur.*

a) *p. 149. ed. Lindenb. p. 81. ed. cum Procli Chreſtomath.*

§. VII. Ad hæc verba ſic commentatur Petr. Io. Nunneſius a): *In Membranis Antiſchapæ* (pro Antœcæ) *quod libenter retinerem detrita*

aſpiratione, niſi me noua forma nominis deterreret, vt quemadmodum Cleomedes ἀντώμους *ab aliis appellatos eſſe ait & M. Tullius VI. de republ.* auerſos *eosdem non vt vulgo legitur*, aduerſos *nominat: ſic* antiſcapæ *dicerentur, quod auerſi contrarios polos ſpectent, qui ſi in eodem hæmiſpherio ſint*, autochthones *melius certe & verius quã* antichthones *nominarentur, vt legitur apud Achillem Statium. Nam de nominis nouitate non magnopere laborandum.* Hæc Nunneſius qui *p. ſeq.* ait, de Antichthonum & Antipodum nominibus quam variæ a ſcriptoribus vſurpentur, ſe alibi copioſius. b)Conſiderandus & locus Origenis II. περὶ ἀρχ. 3. (*I. oper f. 691.*) e Clemente: *Meminit ſane Clemens Apoſtolorum diſcipulus etiam eorum, quos* ἀντίχθονας *Græci nominant: atque illius partes orbis terræ, ad quas neque noſtrorum quisquam accedere poteſt, neque ex illis qui ibi ſunt, quisquam tranſire ad nos: quos & ipſos mundos appellant, cum ait: Oceanus intranſibilis eſt hominibus, & hi qui trans ipſum ſunt mundi, qui his eisdem Dominatoris Dei diſpoſitionibus gubernantur.*

a) *p. 95.*
b) an *dixiſſe* an *dicturum?*

§. VIII. Martianus Capella ab Antipodibus pariter & Antœcis diſtinguit Antichthones, cum ait *Lib. VI, p. 196. ed. Grot. Qui nobis ad-*

aduerſi, Antipodes memorantur, qui contra illos quos ἀντοίκους *dicimus, Antichthones appellantur.* a)

a) Martiani hanc ſententiam annotarunt Rob. Steph. *in Elucid.* & Geſn. *in Onomaſt. f.* 31. vterque voce Antichthones. Citat Martian. & Beroald. *ad Apul. f.* 8. ſed verba eius non profert qualia ſunt in mea editione.

§. IX. Probus Grammaticus *ad verſ.* 233. *lib.* 1. *Georg. Virgil. f. m.* 167. a) dum quinque Zonas cœli interpretatur, Zonam, quæ appellatur χειμερινή, a nobis ait hiemalem dici, quod ſcil. cum illam ſol tranſcendit, hiemem facit, & breuiores dies agit: Paulo poſt addit; *Hanc quoque Zonam inhabitari credibile eſt. Et in hac Zona ſi qui inhabitant appellantur a nobis antichthones* ὡς τὴν ἐναντίαν χθόνα οἰκοῦντες.

a) *al. p.* 37.

§. X. Cum Probi locum hunc Beroaldus licet ſuis potius quam Probi verbis attuliſſet *ad Apulei. f.* 8. ſtatim ſubnectit: *Hos alio nomine Græci* ἀντοίκους *vocant, de quibus multa Macrobius in* 2. *in ſomn. Scip.* a) *Ex his colligimus, antipodas non eſſe antichthones.* - Poſt pauca & Martiani locum citat.

a) *Vide ipſum cap.* 5. *p. m.* 133.

§. XI. Turnebo *Lib. XX. Aduerſ. c.* 11. *f.* 633. ἀντίχθων non eſt alia terra quam America, quam aui noſtri patefecere.

§. XII.

§. XII. Iſaacus Voſſius ad Pomponium Melam p. 2. ſic commentatur a) inter alia: Notauerã *Antichtones non ita a veteribus accipi, vt vulgo pro Antipodibus, ſed pro omnibus illis, qui oppoſitam terram auſtralem* b) *inhabitare credebantur, etiamſi in ſuperiori noſtro degerent hemiſphærio. Ita ſemper ab antœcis & antipodibus diſtinguuntur.* Eandem ſententiam repetit *p. 54.* Vide & Chriſtian. Schotan. *Bibl. hiſt.* ſacr. *de ſecunda mundi æt. f. 144. 145.*

a) cum præmiſſiſſet ab init: *Qui hic annotarunt Pomponium perperam Antichtones vocare qui antœci vel antœci erant dicendi, illi ipſi errant.*

b) conf. quæ Macrob. *diſſerit II. in ſomn. Scip. c. 5. p. 133.*

§. XIII. Verum nec opis meæ nec conſilii eſt, hanc de Antichthonibus Geographice acceptis litem diſceptare. Illam potius ἀντίχθονα, quam aſtronomica notione vſurpatam ab ipſo toto terræ globo noſtro diſtinguebant Pythagoræi, de qua altum apud Lexicographos Græcos æque ac Latinos, quos quidem luſtrauerim, eſt ſilentium, quid eam ipſi eſſe voluerint, indagare libitum eſt.

§. XIV. De ea duo ſunt egregii Ariſtotelis loci: Vnus *Lib. II. de cœlo, c. 13.* a) *f. m. 363.* οἱ περὶ τὴν Ἰταλίαν καλȣμενοι Πυθαγόρειοι – ἐπὶ μὲν τȣ̃ μέσȣ πῦρ εἶναί φασι, τὴν δὲ γῆν ἓν τῶν ἄϛρων ȣ̓͂σαν κύκλῳ φερομένην περὶ τὸ μέσον, νύκτα δὲ ϗ ἡμέραν ποιεῖν. ἔτι δ᾽ ἐναντίαν

ἀλ-

ἄλλην ταύτῃ κατασκευάζουσι γῆν, ἣν ἀντίχθονα ὄνομα καλοῦσιν, οὐ πρὸς τὰ φαινόμενα τοὺς λόγους καὶ τὰς αἰτίας ζητοῦντες, ἀλλὰ πρός τινας δόξας καὶ λόγους αὐτῶν τὰ φαινόμενα προσέλκοντες καὶ πειρώμενοι συγκοσμεῖν.

a) *al. text. 72. Bid. edit. Conimbr. p. 376.* Et *Auerr. Volum. 5. p. 146.*

§. XV. Alter *lib. I. Metaph. c. 5. f. 647.* vbi cum ſimilia modo auditis præmiſiſſet, Pythagoræos entium elementa numeros putauiſſe, hisque partes cœli, atque diſpoſitionem vniuerſi applicuiſſe non modo, ſed etiam, ſi quæ deeſſent, ſuppleuiſſe, exempli loco ſtatim ſubdit: λέγω δ' οἷον ἐπειδὴ τέλειον ἡ δεκὰς εἶναι δοκεῖ, καὶ πᾶσαν περιειληφέναι τὴν τῶν ἀριθμῶν φύσιν, καὶ τὰ φερόμενα κατὰ τὸν οὐρανὸν δέκα μὲν εἶναί φασιν, ὄντων δ' ἐννέα μόνον τῶν φανερῶν, διὰ τοῦτο δεκάτην τὴν ἀντίχθονα ποιοῦσι. Expreſſit hunc locum & Pachymerius *c. 3. Metaphyſ. f. m. 268.* a)

a) è Pachymerio Meurſius *c. 12. denar. Pythagoric. p. 119. conf. Cigogn. Theat. nat. p. 70.*

§. XVI. Ex his duobus locis hoc intelligere datur, Pythagoræos, cum tanquam indubium præſupponerent, ob numeri denarii perfectionem, in huius vniuerſi ſyſtemate, præciſe quoque decem ſphæras numerari oportere, & vero a ſenſibus demonſtrare plures quam nouem non poſſent, (qui ſunt vi-

videlicet ſeptem planetarum, octaua, in qua ſtellæ fixæ, nona globi terreni a) decimam licet eam oſtendere digitis non poſſent, ab ingenio confinxiſſe, & nomen illi dediſſe ἀντίχθονος hoc eſt terræ, quæ ſit huic noſtræ oppoſita. Enimuero fuiſſe hanc illis philoſophandi methodum, vt hæc ſenſibilia inflecterent ad normam intelligibilium ſuorum, non, quod factum contra oportebat, fidem intelligibilium exigerent ad ea, quæ a ſenſibus demonſtrarentur.

a) alii (puto recentiores) ſic: ſeptem ſphæræ Planetarum, octaua Zodiacus, nona ἀνάστρος vid. LC. 148.

§. XVII. Quod dictum eſt, non niſi nouem ſphæras ſeu orbes reuera dari atque a ſenſibus indicari, ex opinione veterum illorum æſtimandum eſt, qui ſi terram relinquamus, cœli orbes non amplius octo eſſe, ſeptem puta planetarum & octauum ἀπλανῦ, ſtatuerunt. Quod paſſim Autoribus obſeruatur a:) nam alii plures addiderunt poſtea, idque certis de rationibus ac longe aliis, quam qualem Pythagoræi ponebant.

a) *Vid. Alſted. Tom. II. Encyclop. f. 387. Bodin. Theat. Nat. p. 455. P. Io. Oliuar. p. 18. in ſomn. Scip. LC. 148.*

§. XVIII. Ex Ariſtotelis loco de cœlo, illud obſeruandum inſuper, ignem, quem in centro huius vniuerſi locauerint Pythagorei, non

alium eſſe, quam ſolem ipſum, quem vetuſtas totum igneum credidit. Neque vero aliter intelligi poteſt, quod ait Philoſophus, arbitratos illos eſſe diem noctemque fieri conuerſione globi terreni circa hoc mundi centrum.

§. XIX. Vtique Pythagoræi inter illos fuerunt, qui circulo moueri tellurem exiſtimarent (quam hypotheſin æuo ſuperiore Copernicus reſtaurauit) *vid. Delr. Comm. in Senec. Thyeſt. p. 414. Gaſſend. Tom. IV. Oper. f. 47.* De Philolao Pythagorico expreſſe Laertius p. m. 443. κατὰ κύκλον τὴν γῆν κινεῖσθαι πρῶτον εἰπεῖν, οἱ δὲ ἱκέταν συρακούσιόν φασιν. Quæ verba ſic vertenda duxerim: *Aiunt eum primum dixiſſe, quod terra circulo moueatur, quanquam hoc alii Hicetæ tribuunt Syracuſio*: non vt vertit Abroſius Camaldulenſis *p. m. 367. Terram iuxta primum circulum moueri dicit.*

§. XX. Qui ad Ariſtotelem commentati ſunt, addunt, Pythagoræos cauſam, cur ἀντίχθων a nobis conſpici non poſſit, inde reddidiſſe, quod circa idem mundi centrum ex altera parte nobis occulta (puto per interiectionem centri Mundani h. e. ſolis) volueretur. Vide *in Metaphyſicis Fonſecam p. 238. Hauenreuterum p. 124. Sonerum p. 128. Dreierum p. 65.* Quanquam perperam Hauenreuterus terram quaſi ex Pythagoræorum opinio-

nione centrum facit mundi: neque ſatis clare Dreierus hic loquitur.

§. XXI. Iis quæ diximus patrocinium facile commodabit Plutarchus *lib. III. de plac. philoſ. c. 11.* a) inquiens: *Philolaus Pythagoricus igni medium defert locum, quod ſit quaſi focus uniuerſi* (τῦ παντός ἑςία) *ſecundum antichthoni, tertium ei in qua nos degimus terræ ſitæ ex aduerſo, & contrario motu circumuertenti,* (τρίτην, ἣν οἰκῦμεν γῆν ἐξ ἐναντίας κειμένην τε, καὶ περιφερομένην τῇ ἀντίχθονι) *vnde fiat, vt qui in vna ſunt terra, ab iis qui conſtituti in altera ſunt, non cernantur.*

a) *II. moral. p. 32. (in græcol. f. 895. E.)* Plutarcho parallelus eſt Galenus Hiſtor. Philoſ. f. 8.

§. XXII. Idem Plutarchus Ἀντίχθονος quoque mentionem facit *cap. præced. 9.* a) cum ait: *Oecetas Pythagoræus duas terras eſſe ſtatuit, noſtram & ei oppoſitam quam antichthona vocat.* b) vbi obiter noto, qui Oecetes (οἰκέτης c)) nominatur Plutarcho, illum ipſum videri, qui apud Laertium legitur ἰκέτας (*ſupra §. 17.*) apud Ciceronem *IV. Academ. p. 131.* Nicetas. *Vide Turnebum l. 16. Aduerſ. c. 18. f. 494. Hortibonum* (qui Caſaubonus eſt) *ad Laertium p. m. 251.* P. Fabrum *in Cic. Academ. p. 85. Gaſſend. Tom. IV. Oper. f. 47. fac. b.*

a) iisdem paginis, etiam apud Galenum.

b) opponit Plutarchus Oeceten in hoc ipſo Thaleti, cui vnica tantum fuerit terra,

c) an legendum ὁ Ἰκέτης?

§. XXIII.

§. XXIII. Verum in hoc viciſſim non aſſentiemur Plutarcho, quod illum ignem, quem vniuerſi focum Pythagoræus Philolaus appellans in ipſo mundi centro ponit, ex eiusdem Philolai opinione diſtinguit a ſole, dum *lib. II. de plac. c. 20.* a) ait, Philolao ſolem eſſe diſcū vitreum, qui reſplendeſcentiam mundani ignis recipiat, δίσκον (vox hæc male abeſt *in edit. Francof. Græcolat. f. 890.* A.) ὑαλοειδῆ, δεχόμενον τὴν ἐν τῷ κόσμῳ τοῦ πυρὸς ἀνταύγειαν.

a) *II. Moral. p. 24. 25. (græcolat. f. 890. A.) græc. f. 217. cui reſpondet Galenus in hiſtor. philoſ. f. 6.*

§. XXIV. Sic in Commentario de animæ procreatione *fol. 1028. edit. græcolat.* a) mundana corpora numerat ex Pythagoricis placitis ignem, antichthonem terram, Lunam, Mercurium, Luciferum (Venerem intellige) Solem: vbi ſimiliter ignis & Sol tanquam diuerſa numerantur.

a) *lat. III. Moral. p. 98.*

§. XXV. Verum hoc poſterius profectum dixerim ex opinione Empedoclis, qui & ipſe a) Pythagoræ diſcipulus fuit. Vt enim alii Pythagorei duas terras poſuerunt: ita hunc e Plutarcho *II. plac. 20.* apparet duos Soles ſtatuiſſe, quorum alter ſit ignis mundi archetypus, alter huius ignis reſplendeſcentia.

Credo vt alia quadam ratione quam per antichthonem ſacro Pythagoræ denario conſuleret.

a) teſte Reineſ. p. 72.

§. XXVI. Quœ ſi vera ſunt, duæ quaſi factiones Pythagoræorum fuerint, vna quæ duas terras vnum ſolem; altera quæ vnam terram, duos ſoles agnoſceret. E poſteriore Empedocles, e priore Philolaus, cuius opinionem Plutarchus in illo *c. 20. l. II. de plac.* cum Empedoclis opinione confudiſſe dixerim. Sane vero totidem prope verbis ibi & a Philolao & ab Empedocle definiri facit *ἀνταύγειαν τȣ͂ περὶ τὴν γῆν πυρός.*

§. XXVII. Maneamus ergo in ſententia Pythagoræorum ignem centralem, eorum certe qui duas terras agnouerint, eſſe ſolem ipſum. Cuius rei veſtigium quoddam licebit in ipſis etiam veterum ſacris deprehendere. Cur enim amabo perpetuum illum & ſacrum ignem Veſtæ, a) ſi contigiſſet eum caſu aliquo extingui, non aliter apud Græcos quam a Solis radiis accendere licebat? Nimirum quia Veſtalis ignis ſolem repræſentabat. Græci huius ritus ipſe meminit Plutarchus *in Numa f. 61.* qui *f. ſeq.* de Veſtæ apud Romanos templo agens, notanter inquit: *Templum Veſtæ rotundum a Numa extructum*

ctum eſt, non vt terra, quaſi ea Veſta b) *eſſet, ſed vt vniuerſi figuram exprimeret, in cuius medio ignem collocatum Pythagorei cenſent, eumque Veſtam & vnitatem* c) *appellant.*

a) Veſtam Seruius ex emendat. Voſſii *II. Idol. f.* 327. ait in medio mundo libratam ſua vi ſtare, & ignem intra ſe habere. conf. & locum Dionyſ. *apud Cluuerum. f.* 242. *Germ. Antiq.* Videnda etiam atque eliminanda, quæ habet Lipſius *Synt. de Veſta c.* 1. (ubi Veſtam ex quorundam ſententia ignem eſſe) & *c.* 8. (ignem extinctum e Sole reparatum eſſe) *Tom. II. Oper. fol.* 747. 753.

b) Veſtam alias pro terra matre accipiunt, & a vi ſtando dictam volunt, quia terra ſtat in medio immobilis, *conf. Kipp. Antiq. p.* 20. Sed certum eſt, hoc etymon aberrare cum Veſta dicatur potius quaſi אש יה ignis Domini, *vid. Kipp. d. l. p.* 21. *Voſſ. Idol. f.* 327. Itaque plane hoc erat ψευδερμηνεῖν, ſi quis Veſtam interpretaretur terram. Sed errorem inde credas ortum. Veſta Pythagoræis corpus illud erat mundi, quod eſſet in medio, h. e. ipſorum opinione Sol. Qui ergo terram ponerent in medio Veſtam terram ſunt interpretati. Male. Neque adeo tres rationes, cur terra Veſta ſit apud Voſſium *II. Idol. f.* 328. exhibitæ, ſatisfaciunt.

c) Ignem centralem vnitate deſignari, etiam alio loco Plutarchus memorat, *de animæ procreatione, f.* 1028. *B. ed. græcolat.* vbi igni tanquam medio datur vnitas, Antichtoni 3. Terræ 9. & ita porro vſque ad Solem. Diſtinguit ibi quidem Plutarchus ignem illum centralem à Sole: Sed ſi recte inſpicias locum, quæ ibi dicuntur, non tam Pythagoreorum ſunt, quam Platonicorum, vt opinor, Pythagorica quædam dogmata in rem ſuam

vertentium. Quos ipſos Platonicos dixerim, dum aliena aſſumunt, ea vel non intellexiſſe ſatis, vel etiam peruertiſſe. Inde error ad Plutarchum quoq; manare potuit. Cæterum hoc ipſum quod ſcribitur, ignem centralem eſſe vnitatem, argumento eſſe nobis poteſt, quod per ignem illum nihil aliud quam Solem, Deum nempe ipſum intellexerint. Monas enim illis principium rerum atque adeo elementum primum. Quod ignem fuiſſe præcipuis veterum placuit. Qui autem ab igne vt principe elemento cætera deriuarent, ignem hunc Sole præſtantiorem profecto non faciebant, ſaltem ab eo non remouebant Solem quinto gradu, quod male fit eo loco apud Plutarchum. Niſi dicas forte per ignem Deum ipſum vt principium efficiens ab omni materiali principio prorſus diſtinctum intellexiſſe. Verum ne hoc quidem procedit. Quomodo enim ignis hic locum habebit inter mundana corpora.

§. XXVIII. Cæterum recte hoc Plutarchus in eo quem §. XXII. deſignauimus loco, quod Antichthonem Pythagoræorum diſtinguit a Luna tanquam plane diuerſum ab ea Planetam.

§ XXIX. Idem elici poteſt ex alio Plutarchi loco lib. II. Placit. c. 29. a) Agitur ibi de lunæ defectu, quem τῶν πυθαγορείων τινὲς aiunt eſſe ἀντάυγειαν καὶ ἐπίφραξιν τὸ μὲν τῆς γῆς, τὸ δὲ τῆς ἀντίχθονος. Xylander putavit, locum eſſe mendoſum, recteque adeo legi cum Euſebio ἐπίφραξιν τῆς γῆς ἢ τῆς ἀντίχθονος *Vid. annotationes eius in Tom. II. Moral. Plutarch. p. m. 609.* Locus Euſebii *eſt lib.* XV.

XV. de præp. Euang. c. 51. (qui apud Plutarchum legiſſe videtur: οἱ μὲν τῆς γῆς, οἱ δὲ τῆς ἀντίχθονος, & hæc voluiſſe conciſius proferre) ipſe autem Xylander *p. 27.* plane contra & Plutarchi & Euſebii ſcripturam vertit, *reſplendeſcentiam & obſtructionem profectam a terra, quam antichthonem h. e. oppoſitam terram dicunt.* Verum nihil in Plutarcho mutandum. Senſus eſt, Pythagoræorum quibusdam eclipſin lunæ cenſeri partim *reſplendeſcentiam* eſſe, partim *interceptionem* lucis, interceptionem quidem a noſtra terra, reſplendeſcentiam vero ab Antichthone, inter quam videlicet & noſtram terram ſemper ſolaris intercedit ignis. Atque his ſimul illa confirmantur, quæ §. *18.* diximus, cur Antichthon videri a nobis non poſſit, cauſam perhiberi ſolis interuentionem.

a) *fol.* 891. *ed. græcolat.* (*græc. f. 218.*) *latin. II. Moral. p. 27. Parallelus apud Galenum locus eſt in Hiſt. Philoſ. f. 7.*

§. XXX. Neque rem ſatis intellexit Iulius Martianus Rota, dum eum locum in Galeni Hiſtoria Philoſophica (quam epitomen eſſe conſtat Placitorum Plutarchi) latine vertit hoc modo *f. m. 7. Pythagoreorum quidam lunam aſſeuerant reflectere & intercipere lucem, illudque noſtra, hoc antipodum terra fieri.* Vertendum erat: *Eclypſin lunæ Pythagoræorum qui-*

quidam aiunt eſſe reſplendeſcentiam & intercetionem lucis, hanc quidem a noſtra terra, illam vero ab Antichthone.

§. XXXI. Fefellit Iulium inter alia, quod putauit cum Græci ὁ μὲν & ὁ δὲ vſurpant, prius illud ſemper ad remotius, hoc poſterius ad propinquius reſpicere, itaque ὁ μὲν vertit *illud* & ὁ δὲ, *hoc:* tametſi non nego illam quoque de pronomminibus *ille* & *hic* obſeruationem vulgatam non eſſe perpetuam, *vide notas noſtras ad Turſell. de partic. p. 134.*

§. XXXII. Similis error obuenit Auſonio Popmæ in intelligenda latina ῥήσει Quintiliani *lib. IX. c. 2. p. m. 470. Quid tam commune, quam interrogare vel percontari? Nam vtroque vtimur indifferenter, cum alterum noſcendi alterum arguendi gratia videatur adhiberi.* Popma putauit ſenſum eſſe, quod interrogare ſit noſcendi, percontari refellendi animo quærere: Atque adeo Quintiliani hanc obſeruationem reiicit. *lib. III. de diff. verb. p. m. 160.* ſed ſcire debebat, cum latini pronomen *alter* geminant vt græci ὁ μὲν ὁ δὲ, interdum quod priore loco ponitur ad propius reſpicere, quod poſteriore ad remotius. Clariſſimum exemplum hic profero, (plura poſſem ſi hoc ageretur) ex Varrone *de re ruſt. c. 9. p. m. 90. Videndum, ne a Venatoribus aut Laniis canes emas: alteri, quod ad pecus ſequendum inertes,*

ertes, alteri ſi viderint leporem aut ceruum, quod eum potius quam oues ſequentur.

§. XXXIII. Redeo in viam. Dictum eſt, Antichthonem Pythagoræis plane aliud quid, quam lunam ſonuiſſe. Quod confirmat inſuper locus Porphyrii de vita Pythagoræ *p. m. 194.* vbi ἀντίχθων diſtinguitur non modo a ſphæra τῶν ἀπλανῶν ſed & τῶν ἑπτὰ ἀςέρων, i. e. ſeptem Planetarum. Quod obſeruandum omnino aduerſus Simplicium, qui Piccarto teſte *in Diſp. de Criteriis Scientiarum theſ. 24. p. 470. Philoſ. Altorfina*, auctor fuit, Pythagoræos per ἀντίχθονα Lunam intellexiſſe.

§. XXXIV. Ex eodem fonte putes & illud profectum eſſe, quod apud Plutarchum, licet non diſerte Pythagoreorum ſententias recitantem legitur *in commentario de facie in orbe lunæ Parte III. Moral. p. m. 385.* (*edit. græcolat. f. 944.*) eſſe cauernas in luna, quarum maxima vocetur Hecates, vbi animæ dent poenas ſumantque: eſſe præter hanc alias duas vnam cœlo alteram terræ noſtræ obuerſam Lunæ partem, illam Elyſium campum a) vocari, hanc Proſerpinæ & Antichthonis. In Græco eſt περσεφόνης ȣ̓κ ἀντίχθονος. Xylander vt interpretari hoc poſſet, mutauit ȣ̓κ in

a) conf. quæ Macrob. *p. 58.* de luna & prope finem de Elyſiis campis habet.

in ꝫ. b) Non male, vt opinor. Quod ſi ergo in Luna degentibus terra noſtra eſt ἀντίχθων, ſequitur vt luna nobis viciſſima ſit ἀντίχθων, id quod volebat Simplicius.

b) Ipſe hanc mutationem profitetur quaſi in notis p.599. cum ait ἐπεγραφόνης ἐκ ἀντίχθονος, vide quid ſit.

§. XXXV. Simplicium hic ſequuntur e recentioribus, Cœl. Rhodig. *Lib. XXII. Antiq. Lect. c. 14. f. 1242.* & nouisſime Ioh. Chriſtoph. Artopæus *p. 107. Diatribes Anno ſuperiore 1665. editæ de vera ætate Antichriſti*, ad virum quendam clarisſimum, quem ipſe ibi non nominat quidem, ſed eſſe Theophilum Spizelium Amicum noſtrum facile intelliget, qui huius Examen vaticinii Anglicani eodem anno vulgatum inſpiciet. a)

a) hunc ita alloquitur ſtatim p. *3.* κράτιστε θεόφιλε: verbis ex Apoſtolorum Actis depromtis.

§. XXXVI. Potuit aſſerto ſuo Simplicius colorem ex eo quærere, quod Pythagoræi aiunt, Lunam perinde vt noſtram terram habitari, ab animalibus quidem, quæ noſtris maiora ſint decies quinquies, *vid. Plut. II. de Plac. 30.* a) & adde quæ Delrio habet *Comm. in Herculem Furentem Senecæ p. 221.* b]

a) *II. Moral. p. 27. (græcol. f. 892.)* locus Galeni parallelus *f. 7. Hiſtor. Philoſ.*

b) Hic obiter aliquid addo. Ait Scaliger p. 50. in Catalectis Virgilii: *Omnia monſtra* καὶ τὰ ἔκγονα & *præter naturam aut conſuetudinem veteres e Luna demiſſa putabant, vt Leonem Nemæum. Lunam enim*

enim alteram terram putabant &c. Obſeruat hoc Scaliger eum in finem, vt doceat Scyllæ quoque matrem fuiſſe Lunam. Quanquam id ipſum improbat poſtea. Neque ſane ſatis apte conficeretur ex eo, quod Luna ſit genitrix monſtrorum, ſi hoc illi maxime daremus, ſic enim eſſet Luna Genitrix vt terra. Atqui Poeta cum parentes Scyllæ memorat, de alia matre ſolicitus fuiſſe videtur, quam de illa magna quæ ſit vel noſtra Terra, vel Luna. Porro dubito, an hoc ipſum Scaligero aſſentiar, crediſſe veteres lunam monſtrorum matrem; ſi monſtrum intelligimus tale, quale Scylla fuit, h. e. ex pluribus confuſum ſpeciebus. Saltem tale quid non probat ille Nemæus Leo: qui vt monſtrum diceretur, non varietati ſeminum confuſorum, ſed magnitudini vt opinor, habuit imputandum. Neque aliam cauſam fuiſſe putem, quod creditus ſit e Luna decidiſſe. Omnia enim in orbe Lunæ animalia noſtris maiora credebant Pythagorei, vt modo e Plutarcho audiuimus. Videndum an ideo, quod Lunam quoque præ imperitia ſeculi maiorem orbe noſtro præſumerent. De cætero memorat Plutarchus eum (de Nemeæo enim puto dictum, quod ipſe de Leone in Peloponneſum cadente) e Luna ideo decidiſſe, quia contigerit nimio Lunam impetu agitari; quam alioqui certum ſit triplici motu agitari. *III. Moral. p. 375.* Quæ ſi accipimus, nondum euincitur, niſi alia proferantur documenta, crediſſe veteres, omnia monſtra e luna decidere. Non magis quam omnia grandia animalia Lunam excutere. Nec enim ſemper putauerunt eiuſmodi concuſſionem nimiam fieri.

§. XXXVII. Verum efficitur quidem hinc, potuiſſe Lunam a Pythagoræis dici terram, ſicut a Phyſicis eam vocatam fuiſſe æthereàm

terram teſtatur Macrobius *Lib. I. in Somn. Scip. c.11. p.58*: Atqui aliud eſt terra ſimpliciter, aliud ἀντίχθων h. e. terræ noſtræ oppoſita terra. Curandum enim eſt, ne illa ἀντίχθονος appellatio nimium recedat ab eo ſenſu, quo Geographi ἀντίχθονα terram appellabant noſtræ ſic oppoſitam vt conſpectum orbis noſtri perpetuo effugiat (*vide quæ diximus §. 1. & ſeqq.*) quod Luna certe non ſemper facit.

§. XXXVIII. Quare nec illud commentum accipio, quod Rhodiginus in lectiones antiquas ſuas a) tranſtulit, Antichthonem dici Lunam, quia vt terra Lunam vmbra hebetat, ita Solem Luna nobis adimit plerumque.

a) loco ſupra citato.

§. XXXIX. Et omnino reclamat huic expoſitioni ipſa machina Syſtematis mundani ſecundum Pythagoræos. Quod ipſi ob ſanctimoniam denarii nec pluribus volebant nec paucioribus conſtare corporibus quam decem. Ergo ſi Luna & Antichthon vnum ſunt, non plura conficientur quam nouem corpora. Vidit hoc Rhodiginus haud dubie, cum ſcriberet, mirum eſſe, Antichthonos nomine Lunarem ſphæram intelligi.

§. XL. Huic obiectioni tacite occurrit Artopæus a), decimam nominans Veſtam, quo

quo nomine appellauerint ignem ſubterraneum in mundi centro ſitum, vt habeat Plutarchus in vita Numæ. Sed reſponderi facile poteſt.

a) loco ſupra citato.

§. XLI. Etenim eſt quidem apud Plutarchum *in Numa f. 62.* ignis mentio qui ſit in medio mundi, ſed ſubterraneum illum eſſe altisſimo ſilentio inuoluitur: nos vero monſtrauimus *ſupra* §. *26.* ignem illum eſſe Solem ipſum. Itaque per ignem Veſtræ centralem non plura nouem ſphæris habebimus.

§. XLII. Ne quidem, ſi maxime aſſentiamur Artopœo, ignem Veſtæ ſubterraneum illum eſſe. Quo enim iure diuelletur hic a terra ipſa, cum qua & globum vnum conſtituit & motum ſphæricum habere niſi communem non poteſt.

§. XLIII. Agnouit hoc ipſe Artopœus: itaque ob hanc cauſam quia nempe ſubterraneus hic ignis non conſtituit peculiarem globum, Pythagoræorum illam decem ſphærarum explicationem reiicit.

§. XLIV. Vt autem hanc doctrinæ partem reformet, pro Veſta cœlum Cryſtallinum in decem ſphærarum complementum aſſumit a)

a) conf. decem ſphæras Maimonidis *p. 196. More Nevoch.* & Kircheri *in Arithmol. Part. VI. c. 5. p. 286.* 288.

§. XLIV.

§. XLV. Non multum abſimilis eſt reformatio Bodini qui tamen, quid ἀντίχθων eſſet Pythagoræis rectius intellexit Artopœo, diſtinguit enim eam a Luna cum ait *p. 554. Theat. nat. Pythagorei præter orbes octo,* (in quibus nempe Planetæ atque in his Luna ſeptenas conficiunt) *ac terram orbem ἀντίχθονα finxerunt, quia nondum illis perſpecta erat & cognita ratio cœleſtium converſionum.* Probat interim eos, quod hæc denario numero concludi putarent oportere. Facit autem ipſe quoque decem ſphæras, non mundi quidem totius (terram enim non annumerat) ſed cœli, ac probare hunc numerum nititur tum hic tum *in præfatione operis de Magorum Dæmonom. p. 21.* e decem cortinis tabernaculi Moſaici (pro quibus tamen in hoc eodem argumento duodecim video memoratas a Strozzio Cigogna *lib. I. Theat. nat. c. 6. p. 56.* a) in ipſo ſacro textu *Exod. XXVI. 7. & c. XXXVI. 14.* vndecim reperio) quippe quo theatrum hoc figuratum fuerit. Quin & cum Judæis dictum *Pſ. 8. v. 9.* vbi cœli vocantur opera digitorum Dei, huc trahit, vt videlicet tam deni cœli, quam digiti intelligantur.

a) Videndum an in Cigogna ſit forte error typographi aut interpretis: an vero cortinarum numerus vere duodenarius fuerit; neque enim alias cœlorum numerum exprimit Cigogna; Credo autem eſſe, &

& qui duodecim numerent cœlos. *Conf. quod Caſmanus p. 437.* Vranogr. negat locum Exodi recte hic a Bodino citatum eſſe.

§. XLVI. An recte Bodinus decem cœlorum orbes numeret, an item recte fidem ei rei faciant illa ſcripturæ loca, viderint Aſtronomi, Phyſici, Theologi. Caſmannus quidem *cap. 4. Vranogr. q. 7. p. 437.* elumbem illam rationem vocat allegoriis Rabinicis & Origenicis inſiſtentem. Cui forte ſimilis illa ſit, ſi quis dicat, Poetas in eo, quod Apollinem vnum & nouẽ Muſas finxerunt, reſpexiſſe ad Solem Pythagoræ, qui Apollinis inſtar in medio poſitus vniuerſi, nouem circa ſe tripudiantes habeat reliquos orbes. *Conf. Kircher. d. l. & Porphyr. vit. Pythag. p. 194. & Marſil. Ficin. Platon. f. 361. Cæl. Rhodig. XX. 10. f. 1107. C.* Verum nobis hic tantum propoſitum erat hiſtoriam philoſophicam de Antichthone Pythagoræorum, neſcio an aliis expoſitam, perſequi: In qua rectisſime, niſi fallor, ex Ariſtotele, Antichthonem illam interpretati ſumus Planetam ab omnibus ſtellis pariter & ipſo terræ globo diſtinctum, ſed non alibi quam in cerebro natum.

§. XLVII. Quod ex eo Simplicius Lunam fabricauit, vix alia de cauſa factum, quam quod puderet ipſum immanis inſaniæ, cum aduerſus Chriſtianos, qui gentilibus ineptias pa-

pariter ſuas & diſſenſiones obiicerent, horum ſapientiam & conſenſum homo profanus evincere laboraret. De quo eius ſtudio lege Pererium *lib. IV. phyſ. c. 10. p. 239.* Arniſæum *Epit. doctr. Phyſ. p. 37.*

§. XLVIII. Sed fruſtra nobis occludit oculos. Pythagoræorum inſanus in denarium numerum amor & ex eo natæ ineptiæ ſuſceptæque per vim abſurdæ fictiones aliis quoque documentis demonſtrari queunt.

§. XLIX. Seruit hic nobis egregie locus Photii *Cod. 187. f. 466. ed. græcolat.* e quo, dum e Nicomachi Geraſeni (cuius Autoris ſcripta plane reſipiunt ſcholam Pythagoræ) theologumenis arithmeticis excerpit, inter alia obſeruat, vt huic Philoſophorum generi omnia Decas eſſent, partes quoque Orationis eos reformaſſe, cumque non niſi octo eas tradant Grammatici, duas alias neſcio quas adieciſſe, quas vocabant προσηγορίαν & παραπλήρωμα. Nimirum vt præfatur Photius f. 459. *res ipſas ad ſuam potius ſpeculationem contentioſe aptare ſtudebat Nicomachus ille, quam vt ad rerum naturam mentis ſuæ cogitata dirigere conaretur.*

§. L. In eadem cauſa teſtimonium quoque Boetius commodet nobis, eiusdem Nicomachi Arithmeticen (diuerſum hoc opus eſt a theologumenis, quod manuſcriptum græce cum ſcholiis Philoponi vidimus in Bibliothe-

ca

ca ſummi viri Thomæ Reineſii) redigens in compendium. Sic autem ille *c.41. Arithmeticis f. 1352. - At vero poſteri propter denarii numeri perfectionem, quod erat* Pythagoræ *complacitus, medietates alias quatuor* (puta ſuper ſex alias medietates, ἀναλογίαι vocantur in Græco textu, veteribus notas, quæ ſunt Arithmetica, Geometrica, harmonica, quarta, quinta, ſexta,) *addiderunt vt in his proportionalitatibus denariæ quantitatis corpus efficerent. - Inde etiam in Ariſtotelica atque Archytæ prius decem prædicamentorum deſcriptione Pythagoricum denarium manifeſtum eſt inueniri. - Inde etiam decem membrorum particulæ,* (Græce ſunt αἱ κατὰ τὰ ἀκρωτήρια διαιρήσεις) *inde alia permulta, quæ omnia perſequi non eſt neceſſe.*

§. LI. Verum hic aliud nos excipit certamen. Ne enim ἀντίχθων merum eſſe ſomnium videatur cerebri Pythagoræi non ex gentilibus modo Simplicius laborauit, verum e Chriſtianis quoque veteribus vnus alterue. Vtrobique in culpa fuit nimius in ethnicam Philoſophiam affectus, quam contra Chriſtianam religionem defendere Simplicius, cum eadem conciliare Chriſtianorum aliqui conabantur.

§. LII. Horum autem ſententia erat, (nam de Simplicio dictum eſt hactenus) per ἀντίχθονα Pythagoræos intellexiſſe ipſum cœlum

bea

beatorum & illi terræ nomen phraſi ſcripturæ ſacræ indidiſſe.

§. LIII. Satis hoc clarum eſt e verbis Clem. Alex. Lib. V. Strom. prope finem f. 447. ed. Heinſ. a) οἱ δὲ πυθαγόρειοι τ̀ ȣ̓ρανὸν τὴν ἀντίχθονα καλȣ̃σιν. ἐφ᾽ ἧς γῆς δὲ Ἰερεμίȣ: τάξω σε εἰς τέκνα ϗ δώσω σοι γῆν ἐκλεκτὴν κληρονομίαν θεȣ̃ παντοκράτορος b) i. e. interprete Herueto: *Pythagorei cœlum appellant ἀντίχθονα* h. e. *terram ex aduerſo ſitam. In qua terra inquit (DEVS) per Hieremiam: collocabo te in filios & dabo tibi terram electam hereditatem Dei omnipotentis.* Paulo poſt ait Clemens, ſatis aperte oſtendiſſe ſe quomodo fures a Domino dictum eſſe Græcos ſit audiendum. Exiſtimauit nempe, Cœlum quoque illud beatorum (de hoc enim Ieremiæ dictum, quod legitur *c. 3. v. 19.* interpretantur noſtri, vt Oſiander c) furto quodam fuiſſe ſublectum e Prophetis & nomine ἀντίχθονος deſignatum. *Conf. locum Porphyr. in vit. Pythag. p. 194.* vbi ἀντίχθονα videtur ſuperiorem ſphæræ aplanæ memorare: ſed videtur.

a) *126. ed. meæ latin.*

b) hæc eſt ipſa verſio LXX. viralis, vbi *vide p. m. 160.*

c) *in Bibliis fol. m. 133.* his verbis: *Promittitur autem Eccleſiæ ſub vocabulis (terræ deſiderabilis & hæreditatis præclaræ) cœleſtis hæreditas & vita æterna, ineffabile gaudium & omnium bonorum abundantia.*

§. LIV. Puto etiam a) huc alludere Orige-

genem cuius e libris περὶ ἀρχῶν hæc latine proſert Hieronymus *Epiſt. ad Auitum mihi Tom. III. Oper. f. 69. Sphæra illa quam ſupra appellauimus ἀπλανῆ & quicquid illius circulo continetur, diſſoluetur in nihilum, illa vero, qua ἀντιζώνη* [exiſtimo hic mendam eſſe & legi debere ἀντίχθων b)] *ipſa tenetur & cingitur, vocabitur terra bona* (forte legendum noua) *nec non & altera ſphæra, quæ hanc ipſam terram circumambit vertigine & dicitur cœlum, in ſanctorum habitaculum conſervabitur.* Si in re non ſatis clara locus eſt coniecturæ, dixerim Origenem decem cœlos ſtatuiſſe, ſeptem videlicet Planetarum, octauum τὸ ἀπλανὲς, nonum τὴν ἀντίχθονα, decimum ſupremum, & his vniverſis elatius: in verbis autem prolatis contineri hanc opinionem c) fore, vt poſt conſummationem ſeculi cœteris abolitis permaneant ſphæra nona & decima, nona tanquam terra noua, & decima tanquam cœlum nouum. d)

a) Res dubia. Locus Origenis, quem vult Hieronymus legitur apud eum I. *Oper. f.* 692. ſed ibi nec ἀντίχθονα, nec ἀντιζώνην reperio. Viciſſim tamen ſciendum, verſionem illam Ruffini eſſe maxima libertate vtentis. Si Origenis ipſe liber haberetur in fontibus res clarior foret.

b) Eraſmus in notis non ſollicitat ſed explicat cum ait f. 71. *Antizona vocatur, quod opponatur & reſpondeat Zonæ.* Verum Zona non eſt totus terræ vel orbis, ſed aliquis tantum eius tractus. Itaque &

antizona non eſt noua ſphæra ſed veteris aliqua pars. Ita capio vocem Zonæ & apud Sixt. Senenſ. *f.* 371. vbi verba profert Magiſtri Hiſtoriæ Scholaſticæ: *Paradiſus locus eſt amœniſſimus longo terræ & maris tractu a noſtra habitabili Zona ſecretus, adeo eleuatus, vt vsque ad Lunarem globum attingat.* Volebat ille Paradiſum non eſſe ſphæram ab hac terra diſtinctam, ſed eius partem a cœteris tamen ſecretam. Differunt ergo ζώνη & χθὼν vt pars & totum. Videndum tamen, annon, vt ἀντίχθων Geographico ſenſu notat non nouum orbem terrarum, ſed partem noſtri: ſic viciſſim ἀντιζώνη poſſit notare non partem nouam, ſed totum nouum.

c) Tres opiniones ibi verbis Origenis recitat Hieronymus, e quibus lectorem iubet inquirere, quæ vera & melior ſit. Ex illis vero hæc eſt tertia.

d) Terra & cœlum nouum ſunt paradiſus cœleſtis: duplex enim paradiſus; cœleſtis, in quo Beati erimus, & Terreſtris in quo Adam ante lapſum. Hæc cum ἀντίχθονι (ſi libeat cum veteribus ſacra profanis miſcere) ſic comparabimus. Duplex ἀντίχθων: Terreſtris in hoc orbe, terra Auſtralis (iuxta Voſſii interpretationem, *ſupra* §. 10.) in qua Taprobane (*ſupra* §. 2. quam inſulam Zeilan volunt eſſe eruditi. Atque huc refer, quod inſulæ Zeilan incolæ paradiſum fuiſſe gloriantur apud Lutkemannum *de paradiſo p.* 198. Hæc terreſtris ἀντίχθων eſt Geographorum. Altera antichthon eſt cœleſtis & Pythagoreorum: Hanc Alexandrinus Clemens & Origenes traxerunt ad Paradiſum cœleſtem: imo cœleſtem ipſum paradiſum cum terreſtri confuderunt. Clementi enim ille ipſe Adami paradiſus eſt quartum cœlum teſte Schotan. *in Heptaem. p.* 336. 337. Origeni vero tertium cœlum *teſte eod. p.* 349. Super tertium cœlum & Valentiniani eleuarunt (*ib. p.* 336.) Atque huc pertinent omnes, qui Paradiſum illum Adami in allegorias mutauerunt

runt

runt & hortum illum extra mundum hunc ſtatuerunt, de quibus Schotan. *p. 312. & 337.* Qua in re Origenem, noſtro ſeculo ſecutus eſt Franc. Georgius, *Sid. Lutkem. p.* 198. *in fin. Sixt. Senenſ. Bibliothec. p.* 369. His ergo Paradiſus Adami & Beatorum idem fuerit. Atque hi, ſi gentiles cum Chriſtianis, Pythagoreos cum eccleſia conciliare volent, dicent ἀντίχθονα Pythagoreorum quoque illam eſſe terram, in quam animæ ſimul omnes creatæ a Deo repoſitæ fuerint, & in quam redire piorum animas adeo oporteat. Eſſe nimirum hanc terram inuiſibilem, quia & ſcriptura oculum non vidiſſe, quæ Deus præparauerit, eſſe Campos Elyſios, de quibus ſupra e Plutarcho. Lunam & ἀντίχθονα differre ut infernum & cœlum Beatorum. In Luna enim torqueri animas noxiorum (*Plut. d. l.*) in cœlo gaudere animas piorum; qui mitiores pœnas meriti ſint, in hunc orbem tanquam in purgatorium mitti &c. Sed ſatis eſt ineptiarum. Pertexant hæc & credant quibus volupe eſt inſanire.

§. LV. Verum quicunque Antichthonem Pythagoræam de cœlo beatorum expoſuerunt, eos á ſcopo aberraſſe vel inde manifeſtum euadit: quod Antichthoni ſuæ Pythagoræi locum faciebant a centro mundi ad ſuperiora nitentibus proximum, cœterisque ſphæris vniuerſis inferiorem (*ſupra* §. 19. & 22.) Cœlum autem beatorum in ſupremis potius quam infimis mundi partibus illi veteres locabant. Imo vero cœlum illud plane non eſt πῦ creatum docente B. Hülſemanno *p. 267. Brev. Theolog.* Quomodo ergo huic luci cum iſtis paganorum tenebris conveniet?

 §. LVI.

§. LVI. Vnum addi poterit, de quo tamen inquirendum vlterius; An videlicet Pythagoram illi, qui ἀντίχθονα eius non ſatis intellexerunt, ob hoc ipſum crediderint Antipodas (hos enim eosdem quoque cum Antichthonis incolas faciunt) primum inueniſſe, quod aſſerunt Scribonius *in præfat. Phyſ. p.* 7. & Pet. Fab. *ad 1. Acad. Cicer. p. 84.* Ego vero valde dubito, illis temporibus antiquis Antipodas fuiſſe cognitos. Et illud etiam in hac meditatione probe obſeruandum, non ipſum Pythagoram a) ſed poſteros eius in ſchola τὴν ἀντίχθονα excogitaſſe, quod quidem ſcire hactenus liceat.

a) Niſi forte obſtet, quod tamen non puto, locus Porphyrii *in Vit. Pythag. p. 194.*

§. LVII. Hactenus recenſuimus meditationem Iacobi Thomaſii quam in chartam coniecit menſ. Aprili anni 1666. Ad quam nihil addimus, niſi quod occaſione comparationis inter Paradiſum duplicem & Antichthonem Pythagoræorũ inſtitutæ, nobis in mentem incidat, annon vtile ſit, vt ii, quibus tempus ſupereſt fabulas a veritate ſeparare, etiam inquirant; annon multæ doctrinæ de vita æterna & inferno in libris ſyſtematicis, etiam Proteſtantium deprehendantur, quæ magis reliquiæ ſint Philoſophiæ cuiusdam paganæ) vel fabularum Rabbinicarum, quam ri-

riuuli ex fonte Sacrarum Literarum deducti. Pauca ſane de ſtatu vitæ futuri ſeculi traduntur in veteri fœdere. Non multa plura in nouo. Ipſe Paulus curioſos de hoc ſtatu, etſi iis rationabiliter reſpondeat, ſtultos tamen appellat. Quænam ratio? Nimirum Chriſtus vult, nos primum quærere debere ea quæ SVNT intra nos, de FVTVRIS autem parce eſſe ſollicitos. At ſapientia Pagana & Papiſtica homines abducit a ſtudio vtilisſimo rerum PRÆSENTIVM ad ſpeculationem curioſisſimam Rerum FVTVRARVM. Nempe Chriſtus talem doctrinam proponit, quæ poteſt ab omnibus examinari, qui eſt character veritatis: contra Anti Chriſtus talia proponit, quæ poſſunt a nemine examinari, qui eſt character mendacii. Nam in hiſce quilibet qui auctoritate pollet, poterit docere, quæcunque ipſi placent absque metu refutationis, non aliter ac is, qui e terris longinquis venit, iuxta prouerbium: **Wer aus fremden Landen kömt/ hat gut lügen.**

§. LVIII. Denique occaſione eorum quæ *§. 23. 24. 25.* dicta ſunt de duplici ſole ſecundum mentem Empedoclis & Philolai, recordamur Ichnographiæ Nouæ Contemplationum de Sole, Noribergæ hoc anno a doctisſimo Georgio Chriſtophoro Eimmarto editæ, in qua hypotheſin illam antiquam Pytha-

goræorum de ſole inuiſibili primigenio, & reſplendeſcentia eiusdem in Sole viſibili, apte expoliuit, & multa laude dignis obſeruationibus declarauit, vt mihi certe ichnographia hæc ſaliuam mouerit, maius opus de hac doctrina, quod Vir Clarisſimus meditatur, videndi. Expecto interim, quid aſſeclæ philoſophiæ corpuſcularis & mechanicæ de hac eius ſententia ſint dicturi. Si tacebunt, cordatiores id ſilentium non interpretabuntur in eorum fauorem. Si contra quid dicturi ſunt, vereor, vt loco moturi ſint ſolem inviſibilem Eimmarti. Spero, ſi Aſtronomia & Phyſica plures Eimmartos nactura ſit, quod opto, & futurum confido, philoſophiam ſpiritualem mox ſepulturam eſſe philoſophiam corpuſcularem, & vortices iſtos mundi Carteſiani.

OBSERVATIO XX.

DE VITA, RELIGIONE ET FATIS BERNARDINI OCHINI, SENENSIS.

§. I. *Commune fatum eſt virorum, qui reliquos antecellunt, vt pro hæreticis vel nouatoribus habeantur.* §. II. *Ochinus quando natus & monachus fuerit factus.* §. III. *an auctor fuerit ordinis Capucinorum.*

§. IV.

§. IV. *Hoſpinianus notatur.* §. V. *Papebrochii hac de re iudicium.* §. VI. *Ochinus magnæ auctoritatis apud ſuos.* §. VII. *miſſus, vt per Italiam pontificiorum dogmata prædicaret.* §. VIII. *Quando & cur Italiam reliquerit.* §. IX. *In Germaniam venit cum Petro Martyre, ad reformatorum ſacra tranſiens.* §. X. *Cum eodem Martyre in Angliam abit.* §. XI. *Qualem duxerit vxorem.* §. XII. *Locarnenſium eccleſia apud Heluetos vnde orta.* §. XIII. *Huic præfectus Ochinus.* §. XIV. *In Anglia & apud Heluetos pii atque docti viri famam habuit.* §. XV. *Ochinus dialogorum libros duos cum Baſileenſium cenſura euulgat.* §. XVI. *Tigurinæ eccleſiæ Senatus atque miniſtri Ochini dialogos examinant, atque auctorem condemnant.* §. XVII. *Ochini excuſatio.* §. XVIII. *Ochinus condemnatur inauditus.* §. XIX. *Sententia eius condemnatoria.* §. XX. *examinatur ea.* §. XXI. *grauiſſima hyeme Tiguri eiectus.* §. XXII. *Durum Tigurinorum edictum reprobat Dudithius.* §. XXIII. *Quale colloquium habuerit cum Cardinali Lotharingo.* §. XXIV. *An pontificiis ſe iterum obtulerit.* §. XXV. *Fata in Polonia atque Morauia & mors.* §. XXVI. *Ochinus nec*

atheus. nec auctor libri de tribus impoſtoribus. §. XXVII. Ræmundo atheiſmum Ochino imputanti, reſpondetur. §. XXVIII. eadem ratione, reſpondetur Cardinali Hoſio. §. XXIX. nec fuit Socinianus. §. XXX. a Sandio non recte in antrinitariorum catalogum refertur. §. XXXI. nec Socini magiſter fuit, nec Serueti diſcipulus.

§. I.

Commune fatum eſt virorum, qui vel pietate vel doctrina atque ſapientia antecellunt reliquos, vt ab iis, qui pro orthodoxis haberi volunt, tanquam hæretici, athei, nouatores & ſimilis generis homines exclamentur. Commune hoc inquam, fatum eſt, communis corruptela, quæ eccleſiam a longis retro ſeculis adfecit, continuato ad noſtra tempora more. Exempla virorum qui idem experti, orthodoxis forſan ſunt odioſa, quæ non ſine fremitu exaudiunt. Ne ergo horum abutar patientia, ſolius Ochini hic adducam exemplum, huiusque ſuſcipiam defenſionem, quæ vt eo facilius pateat, de vita eiusdem & religione quantum ex ſcriptis patebit, breuiter agemus.

§. II. Patriam nactus fuit hic Ochinus Senas,

nas, vrbem Tuſciæ fere principem & academia nobilem. De parentibus e quibus natus, non conſtat: annus vero natiuitatis ex ſupputatione patet, cum anno 1563, quo ex territorio Tigurenſi eiectus, natum ſe dicat annos ſeptuaginta ſex. * Annus ergo natiuitatis erit. 1487. Studiorum fundamenta ſine dubio inter monachorum iecit ſodalitia Theologiæ ſcholaſticæ deditus; quam reformatus iam factus laudat. Dicit enim* non ægre ſe ferre, fuiſſe in Papatu monachum, quandoquidem ſcelera ſe non commisſiſſe, quæ ſe commiſſurum fuiſſe veroſimile ſit, ſi profanus fuiſſet. Et licet quidem in ſcholis quæ vocentur ſcholaſticis, inſint errores multi, & plerumque occupentur in indagandis rebus nihil ad ſalutem pertinentibus, enucleari tamen multarum rerum veritatem, quæ res non parum vtilitatis adferat. Ex quo innutritum fuiſſe eum in ſcholaſticorum gymnaſiis patet. Inde, vti ex eius epiſtola, quam mox adducemus adparet, ordinem ingreſſus fratrum S. Franciſci de obſeruantia nuncupatorum: & cum inciperent adparere in mundo fratres Capucini, eorum viſa auſteritate viuendi, habitum adſumſit. Quod fa-

* Petrus Perna *in epiſtola ad Czechouicium*, *apud Sandium in bibliotheca Anti Trinitar. p. 5.*

* *dial. XXVII. p. m. 371.*

ctum fuiſſe teſtatur Ræmundus* anno 1634. In quo dein per octennium, vsque ad annum 1642. fuit commoratus.

§. III. Caput autem ac Generalis factus fuit ordinis Capucinorum; ** an vero eiusdem ordinis auctor fuerit, diſceptatur. Fuere qui illud contenderent, moti ſine dubio verbis Bouerii, qui eundem caput ordinis fuiſſe dicit; ſed contradicit Ræmundus, *** qui eum ordinem anno 1525 iamdum feciſſe originem teſtatur. Auctorem autem facit Matthæum Baſcium, qui Clemente VII. pontificatum adminiſtrante, prima huic ordini auſpicia dederit: qui vitæ ſecundum primam S. Franciſci regulam & exemplum inſtituendæ cupidus lacernam ex multis centonibus conſutam & cucullum acuminatum ſumſerit, a pontifice petens, vt hoc veſtitus genere ad S. Franciſci exemplum vti ſibi liceret, quod etiam impetrauit.

§. IV. Errat hac in re Hoſpinianus, * qui Gottofredum Varaglium, poſtea cognitis pontificiorum erroribus reformatum, indeque martyrem factum, auctorem facit ordinis

* *hiſtoria hæreſ. ſec. XVI. lib. III. c. V. p. m.* 231.

** Natalis Alexander *ſec. XV. & XVI. Tomo I. p. m.* 805. Zacharias Bouerius *in annalibus Capucinorum teſte Bzouio ad ann.* 1542. §. 34.

*** *hiſtoria hæreſ. ſeculi XVI. lib. III. c. V. p. m.* 231.

* *de origine monachatus cap. IX. p.* 297.

nis Capucinorum, eundemque Generalem. Sed ratio qua in hunc errorem prolapſus fuerit Hoſpinianus, facilis eſt: deſumſiſſe enim ſe dicit ex hiſtoria reformatarum eccleſiarum in Gallia. Hiſtoria autẽ reformatarũ eccleſiarũ Valdenſium & Pedemontarum per Petrum Gilles* edita, huncce Varaglium miſſionarium ait factum pontificium, ad prædicandum in Italiæ vrbibus; additque, *& fut en telle miſſion compagnon de Bernardin Ochin de Siene, inuenteur des Capucins*: Ochinus ergo ibi auctor Capucinorum dicitur, non Varaglius, qui tantum duodecimus dicitur ſui ordinis.

§. V. Quantum autem ad ipſum Ochinum, operæ pretium erit hac de re audire Danielem Papebrochium,* cuius integra verba, cum rem admodum illuſtrent, adducemus; „Non poſſum autem, inquit, quin occaſione „numeri 30. moneam, prodiiſſe Florentiæ „anno 1679. Vitam Alexandri VII. in 8. au„ctore Chriſtophoro Palmerio Nobili Senen„ſi, vbi pag. 8. habentur Italice verba hæc: „*Negabit forſitan ordo Cappucinorum Inſtituto„rem habuiſſe celebrem illum Fr. Bernardinum „Senenſem, cognomento Ochinum: ſed talem Bo„verius in Annalibus Cappucinorum clare probat.*

Ad

* *hiſtoire eccleſiaſtique des egliſes reformees de Piedmont chap. X.*

* *in appendice ad diem XVIII. Maii Tomi VII. Act. Sanct. Maii f.* 807. *&* 808.

„Ad quæ verba Illuſtriſſ. & Eruditiſſ. Antonius Magliabechius, merito queritur, Reuiſores libri, qui Auctorem, virum optimum, pene cum lacrymis deprecantem, coegerunt multa tollere, aut mutare, quæ nec ſublata nec mutata oportuiſſet; non aduertiſſe animum ad locum iſtum, vt monerent, paucis illis lineis tres grauiſſimos contineri errores, quos monitus auctor procul dubio ſublatos voluiſſet. Primum, quod ſceleratiſſimus ille Apoſtata, laudetur veluti quoddam egregium Senenſis ciuitatis decus; deinde, quod ipſe dicatur *Inſtitutor Cappucinorum*, cuius contrarium vel ex ipſiusmet operibus clariſſime demonſtratur: denique quod *Bouerius* dicatur id affirmare, cuius contradictorium totis niſibus probare conatur. Eccum autem *Bernardini Occhini Reſponſio, qua rationem reddit diſceſſus ex Italia. Super omnia vincit Veritas. Venetiis cIↄ Iↄ XLII. in 8.* Huic Latino titulo ſubiungitur epiſtola Italica, cuius, licet impiæ & blasphemæ, initium Latine reddendum cenſeo; iuxta exemplum a prælaudato Magliabechio mihi tranſcriptum.

„ *Bernardinus Occhinus Senenſis, Mutio Iuſtinopolitano, S. e. P.* (id eſt, vt ego quidem interpretor) *ſalutem & pacem. Aliquot abhinc diebus reddita mihi eſt tua quædam epiſtola; cui non ſo-*

„*ſolum non reſpondi immediate, ſed nec tempus de-*
„*di, quo totam perlegerem; eo quod prolixa val-*
„*de eſſet, & ego maioris momenti negotiis occupa-*
„*tus. Poſtea vero plus otii nactus, illamque re-*
„*legens, eo ſpectare cognoui, vt impugnaretur*
„*epiſtola quædam, qua meo nomine excuſatur diſ-*
„*ceſſus meus. Quia autem vidi, hanc fuiſſe Au-*
„*ctoris alterius, meum ſibi nomen vſurpantis, ne-*
„*ſciui quo animo deberem, licet optime poſſem, ver-*
„*bis tuis reponere aliquid; nec vero credidi id fa-*
„*ciendum, cum falſum illa habeant fundamen-*
„*tum. Quia tamen video, eo collimare te, vt di-*
„*ſceſſum meum damnes, & calumnieris mutatio-*
„*nem, ad hoc tibi reſpondens, dico. Cum eſſem*
„*iuuenculus, implicitus fui communi iſti errori,*
„*quo paſſim tenentur, quotquot viuunt ſub iugo*
„*impii Antichriſti, vt crederem, quod debeamus*
„*ſaluari per opera noſtra propria, ieiunia, oratio-*
„*nes, abſtinentias, vigilias & ſimilia alia, ſatisfa-*
„*ciendo per ea pro peccatis & paradiſum lucran-*
„*do, concurrente tamen Dei gratia. Deſiderans*
„*igitur ſalutem conſequi, circumſpiciebam animo,*
„*quod vitæ genus ſectari deberem: & credens,*
„*Religiones humanas eſſe ſanctas, eo maxime,*
„*quod ſint approbatæ a Romana Eccleſia, quam*
„*putabam errare non poſſe; exiſtimans autem,*
„*quod vita fratrum S. Franciſci, de obſeruantia*
„*nuncupatorum, præ cæteris eſſet aſpera, auſtera*
„*& rigida, adeoque etiam perfectior, & magis*
vitæ

„*vitæ Chriſti conformis; eorundem cœtui me in-*
„*ſerui. Quanquam vero ibidem non inuenirem*
„*id quod mihi eram imaginatus; nihilominus,*
„*quia nulla tunc offerebatur ratio viuendi per-*
„*fectior, ſecundum cæcum iudicium meum, manſi*
„*inter eos, quoad vsque cœperunt apparere in*
„*mundo Fratres Cappucini; quorum viſa auſte-*
„*ritate viuendi, habitum eorum aſſumpſi, non*
„*obſtante repugnantia haud parua ſenſualitatis*
„*meæ, atque carnalis prudentiæ. Tum vero per-*
„*ſuaſus inueniſſe me quod quærebam, dixi Chri-*
„*ſto: Domine, ſi modo me non ſaluo, neſcio*
„*quid faciam amplius &c.*
„ Hæc ille, qui vt integra volumina im-
„pleſſet iuſtificando ſuo ab Ordine receſſui,
„nunquam perſuaderi poſſet vel ipſismet
„heterodoxis, paulum ſupra vulgus ſapien-
„tibus nec ignorantibus, qualem apud ſe vi-
„tam duxerit Occhinus, alios hunc impulſus
„ad apoſtatandum habuiſſe, quam quos an-
„tea habuerat retrahentes ab ordine Cappu-
„cinorum, id eſt, *ſenſualitatis ſuæ & carnalis*
„*prudentiæ.* Manet interim proprio eius ca-
„lamo teſtatum, *Cappucinos apparuiſſe mundo*,
„cum adhuc inter obſeruantes Occhinus
„degeret. Videmus ergo ex ipſis Ochini
verbis, eum auctorem nõ fuiſſe, ſed cum Cap-
pucini fuerint orti, eorum habitum adſumſiſ-
ſe. Res ergo certa erit & ſatis clara.

§, VI. Magni autem nominis Monachus
fuit,

fuit, ita vt ob ſummum ingenii acumen auctoritatem ſibi pararet vbique. Teſtatur id Bzouius, *** dum de eo: *in tanta tum erat exiſtimatione, vt vnus optimus totius Italiæ concionator haberetur, vt qui admirabili quadam cum actione tum linguæ facundia, auditorum animos quocunque vellet, raperet, ac tanto magis, quod vita doctrinæ reſonaret.* Quæ verba Bzouius ex Ræmundo * hauſit, qui illud inſuper elogium eidem tribuit, quod quamdiu in eccleſiæ manſerit obedientia, inſtar lucidisſimæ ſtellæ ordini ſuo præluxerit. Quare & Chriſtophorus Palmerius ** eundem celebrem Senenſem vocat. Hæc elogia ſunt quæ ipſi inimici Ochino tribuunt, in quibus non tam mireris, quod oris prædicent facundiam, quæ ex ipſis eiusdem ſcriptis, ſermonibus maxime ſatis elucet, ſed illud præcipue, quod vitam doctrinæ reſonaſſe dicunt. Quare cum tantæ eſſet apud ſuos auctoritatis, factum quoque, vt poſtquam iam reformatus factus, Franciſcus Lismaninus ex lectione Concionum Ochini totam religionem Romanam in ſuſpicionem traheret. * Fuiſſe etiam maximo Romanorum pontifici a ſacris confesſionibus ex aliorum tamen relatione, adducit Sandius.

§. VII. Cum iam magnam apud Italos ſibi

*** *c. l.* * *c. l. p.* 219. ** *in vita Alexandri VII. p.* 8.
* Stanisl. Lubienicius *hiſt. reform. Polon. lib. I. c. I. p.* 18.

bi paraſſet famam, mittebatur per Italiam, ad prædicandum pontificiorum dogmata. In quo officio ſocium habuit Gothofredum Varaglium, ** de quo ſupra diximus, qui & poſtea pontificiorum erroribus cognitis ad Helvetos tranſiit, a quibus etiam receptus tandem vero Taurini in Gallis 1557. combuſtus.

§. VIII. Officio huic ſatisfecit vsque ad annum 1542, quo & monaſterio & Italiæ vale dixit. Cauſſas diſceſſus ſui ex Italia ipſe exponit in reſponſione ad Mutium Iuſtinopolitanum, Venetiis 1542. 8. edita, ex qua ſupra quoque §. V. aliqua adduximus. Sed cum librum indagare nondum licuerit, nec de eo nota ſint, niſi quæ ex Papebrochio hauſimus, cauſſas diſceſſus ex aliis intelligamus. Ræmundus quidem atque ex eo Bzouius, cauſſam adſignat hanc, quod Romam citatus fuerit, ideo *quod pro concione quadam ſecus dicta effudiſſet.* Quænam iſta ſecus dicta fuerint, Sandius * explicat, dum ait: *nimirum [prout alii ſcripto conſignarunt] quod in Dominica Palmarum faſtum Papæ Romani in ipſius præſentia ex ſuggeſtu acriter perſtrinxerit, [facta comparatione Domini Ieſu in pauperi ſtatu Hieroſolymam ingredientis] & pontificum Romanorum vita.* Ipſe quidem Sandius ** aliam alibi adſignat cauſſam exceſſus ex Italia, vbi dicit: *is*

** Gilles *c. l.* * *Bibliothec. Anti-Trin. p. 3.*
* *append. ad nucl. hiſt. eccl. p. 90.*

is cum pro concione quaſi per proſopopœiam propoſuiſſet argumenta contra Trinitatem, reſponſiones ad ſingula, horam elapſam cauſſatus, in aliud ita diſtulit tempus, vt ſimul ac eccleſia exiiſſet, equo [ad fugam parato] protinus conſcenſo, Roma exceſſerit, adeoque ſpem Inquiſitorum eluſerit. Sed præterquam quod ab omnibus aliis Ochinum, antequam Romam veniret, conſilium de relinquenda Italia cepiſſe, atq; Geneuam ſe contuliſſe, fuerit traditum; ipſe quoque Ræmundus atque Bzouius ſi iſta ſecus dicta contra Trinitatem fuiſſent, proferre eadem non omiſiſſent; cum alias Ochinum tanquam apoſtatam refellant. Immo nec Angli nec Tigurini, ſi hæc ſecus dicta contra Trinitatem fuiſſent, eundem recepiſſent; nec & Hottingerus inter alia conuitia reticuiſſet. Quid quod ipſe Sandius priorem iſtam ſententiam tanquam veriorem amplectitur: cum id quod in hiſtoria eccleſiaſtica adſeruerat, in bibliotheca anti-Trinitariorum, ſcripto poſt mortem edito, quaſi reuocat atque immutat, idque ab aliis, ſcriptis fuiſſe conſignatum addit.

§. IX. Cum igitur Romam, eo vocatus pergeret, Florentiæ reperit Petrum Martyrem, cum quo quod vnus Cardinalium, Papam ipſi eſſe offenſum, ſignificauerat, * atque vt præ-

* Sandius p. 5.

præſenti periculo fuga ſeſe eriperet, ſuaſerat, conſilia contulit derelinquendæ Italiæ. Ambo tandem communi conſilio ſtatuerunt deſerta Italia, & relicto patriæ ſolo, Germaniam petere. * Prior quidem Ochinus inde diſcedens, Geneuam ſe contulit, fugam eius adiuuante duciſſa Ferrarienſi, veſtes aliaque neceſſaria ſuppeditando: ** ſecutus inde & Vermilius. Tigurini *** quidem & Baſileenſes eorum aduentum initio ſuſpectum habuerunt, vt qui ſatis mirari non poſſent, quod concionatores totius Italiæ celeberrimi, tam vili ſtatu, in exilio veluti apud ſe viuerent: eoque fuiſſe ſuſpicatos, eos tanquam Sinones ſummiſſos, qui proditionem aliquam machinarentur, aut animas iterum clam ſeducerent: ſed omnem poſtea ſuſtuliſſe ſuſpicionem, tum quod puellæ iuuenculæ, quam ſpe matrimonii ineſcatam ſecum duxiſſet, comitatus veniſſet; tum quod militarem veſtitum, quem cum Capucinianis centonibus commutauerat, adſumſiſſet Ochinus. Errat tamen hic Ræmundus, qui illo ſtatim tempore vxorem adſignat Ochino, quam non niſi redux factus ex Anglia duxit; quod vel ex eo conicere licet, dum modo Auguſtæ,

* Ioſ. Simleri *oratio de vita & morte P. Martyris p. 13.* Adami *in vita p. 36.*

** Ræmundus *p. 231.* Bzouius *c. l.* Sandius *c. l.*

*** Ræmundus *c. l.*

ſtæ, modo Geneuæ docuit, dein plane in Angliam abiit, quod ipſi iam marito non ita fuiſſet liberum. Sed Ræmundus Anglici itineris plane nullam iniicit mentionem, vt mirum non ſit, eum hæcce omnia tanquam continuo nexu geſta narrare. Apud Heluetos autem tunc agens, ad puriorem doctrinam ſe conuertit, principio Geneuam indeque Auguſtam ſe conferens: in vtrisque locis conciones aliquot ſuas euulgauit. *

§. X. Diſcedenti vero in Angliam Martyri comes adhæſit & ipſe Ochinus. ** Aſt mortuo Eduardo VI. Angliæ Rege, cum alia rerum facies eſſet apud Anglos, Maria Regina miſſam aliosque pontificiorum abuſus introducente iterum, Ochinus anno 1553. ex Anglia Geneuam profugit, ibique vxorem *** duxit.

§. XI. Qualis fuerit hæc vxor, non conſtat; illud tamen coniicimus, obſcuri nominis fuiſſe & pauperem; quæ vti Ræmundus †††† teſtatur, ſeruilibus & abiectis miniſteriis vitam miſere ſuſtentauerit, ita vt, vulgo diceretur *Madame d' Ochina la lingiere.* Quod antequam Locarnenſium eccleſiæ præficeretur maritus, ſine dubio credimus. Illud

D d 2 tamen

* Sleidanus *lib. XIX. p. m.* 599. Natalis Alexander *ſec. XV. & XVI. p. m.* 805.

** Beza *in vita Petri Martyris.*

*** Sleidanus *lib. XXV. p. m.* 808. †††† *c. l.*

tamen fateri neceſſe habet Ræmundus eum tam paupertatis fuiſſe amantem, vt diuitias partem eſſe diceret diaboli, nec Chriſtiano proprium quid habere fas eſſe niſi vxorem. Cauillatur quidem Natalis Alexander, † eandem adpellans meretriculam, quam publice duxerit in ſignum reformationis: ſed ex maligno potius ſpiritu quam firma auctoritate hæc adſerere Natalem mihi quidem videtur, cum ne ex hoſtibus quidem Ochini quis vxorem ipſius adpellet meretriculam. Immo nec in ſignum reformationis id fieri potuit, cum vti iam diximus, vxorem longe poſt duxit. Mortua autem vxor, antequam in exiliũ mitteretur maritus, de qua Betza: †† *fregerat enim collum, inquit, priusquam foras productum eſſet ipſius ſcelus.* Sed Hottingerus ††† tantum nuper defunctam dicit; liberos tamen quos ex ea ſuſtulit, ſecum duxit in exilium.

§. XII. Cum autem plures illo tempore ex Anglia atque Italia fierent exules, qui in Helvetiam ſe conuerterunt, atque Tiguri peculiare inſtituerunt collegium; ex hiſce quoque in Italiæ confiniis Locarni ad lacum Verbanum collecta fuit mediocris eccleſia. Loci vero iſtius imperium ad duodecim pagos Hel-

† *c. l.*
†† *epiſtola I. ad Duditbium p. m. 190.*
††† *hiſt. eccleſ. ſec. XVI. p. 5. c. 3. p. m. 479.*

Heluetiæ ſpectabat, e quibus ſeptem Catholici de pœna eorum cœperunt agere, qui a Romana defeciſſent eccleſia, quibus capitis comminabantur ſupplicium. Res diu fuit agitata, ita tandem compoſita, vt quotquot nollent Catholicam religionem amplecti, Locarno ſaluis facultatibus emigrarent. Huic ſententiæ non quidem ſubſcripſerunt Tigurini, ſed cum ſuffragiorum numero eſſent victi, ſequenti anno Locarno eiecti fuere in exilium religionis cauſa centum homines & vltra, quorum aliqui Baſileam aut ad Rhætos abiere, plerique tamen Tigurum conceſſere.

§. XIII. Sed cum iſti Germanicæ linguæ nullum haberent vſum, peculiare templum ipſis fuit conceſſum, atque honeſto ſtipendio a magiſtratu oblato, Ochinus noſter vocatus fuit paſtor eccleſiæ Italicæ, vti hæc late deſcripta videmus a Melchiore Adami in vita Bullingeri. † Addit autem Adami: *receptus eſt in miniſtrorum ordinem ea conditione: vt ſubſcriberet confesſioni, & legibus atque ſtatutis ſynodi pareret: quod vltro & libens fecit, & ſibi eccleſiam Tigurinam a multis annis præ aliis placuiſſe adſeuerauit: præterea confesſione fidei edita, ſeſe ab Anabaptiſticis aliisque peruerſis opinionibus alienum eſſe teſtatus. Quare cum talis tum eſſet aut haberetur, Bullengero præ aliis carus fuit,* quem

† *p. m.* 493. Hottinger *p. m.* 493.

quem etiam nato ſibi infante teſtem in baptiſmo adhibuit.

§. XIV. Qualis in vita fuerit ac doctrina apud Anglos æque ac Tigurenſes, ipſorum declarant teſtimonia. Singulare inprimis eſt Bullengeri iudicium, quod exhibet Boxhornius †: *de Bernardino Ochino paucis hoc dicimus, habitaſſe illum aliquot annis apud nos Tiguri, poſteaquam rediiſſet ex Anglia, eccleſiarum doctorumque præcellentium ornatus teſtimoniis: ac toto illo tempore, quo apud nos vixit, concordiam in doctrina & ritibus, palam cum omnibus Tigurinæ eccleſiæ miniſtris profeſſum, & profesſionem illam ſuam iureiurando interpoſito publice atteſtatum eſſe.* En hic teſtimonium inimici, quo cum grauisſimæ fuere controuerſiæ Ochino. Ioſias Simlerus, † ipſe Heluetus, eum virum optimum vocat, & doctisſimum. Hottingerus †† dicit, quod per dialogos ſuos veræ piæque eruditionis laudem ſibi euerterit. Egregium alias eſt teſtimonium Fuluiæ Moratæ, quod in litteris ad Victoriam Moratam ſororem exhibet: ††† *Audio Bernardinum Ocellum Senenſem, virum ſincere Chriſtianum, ex Anglia Geneuam profugiſſe. Adeo vbique ferenda crux*

† *hiſt. vniuers. p.* 1144.

† *in vita P. Martyris p.* 13. †† *p. m.* 500.

††† *lib. II. epiſtol. p.* 178. *epiſtola ad Victoriam Moratam ſororem ſcripta.*

crux ei qui velit eſſe Chriſtianus. Vir ergo ex Catholicorum, quod ſupra vidimus, & reformatorum iudicio pius fuit & doctus.

§. XV. Cum ita per aliquot annos Tiguri fuiſſet commoratus, vitam & doctrinam ſeruans integram, dialogorum libros duos evulgauit lingua Italica. Clancularia adiutum Italorum quorundam opera, iſtos dialogos ſcripſiſſe vult Bullengerus, † quos dein in latinam linguam conuerſos, inſciis Tigurinæ eccleſiæ miniſtris, Baſileæ, per Italum quendam, ipſi admodum familiarem & amicum excudi curauerit. Mouebat inter hoſce triginta Ochini dialogos ille maxime, qui de polygamia agit, qui peregrinos primum, inde & Tigurenſes perturbabat. †† Baſileenſis quidem reipublicæ ſenatum hac de re cum typographo expoſtulaſſe tradit Bullengerus, & ne vlla amplius dialogorum exempla diſtraherentur mandaſſe; nec tamen inſcio eodem ſenatu hoſce libros eſſe impreſſos, & ipſe Ochinus & Sebaſtianus Caſtellio commonſtrant. Ochinus quidem, dum ipſi obiiceretur lex Tigurenſis reipublicæ, quæ prohibeat publicare inconſultis cenſoribus, libros, ad Baſileenſis eccleſiæ prouocat cenſores, a quibus adprobatos eſſe dialogos ait.

 Argu-

† *c. l.* †† Hottingerus *p.* 477.

Argumentatur quidem Hottingerus † falſo illud adfirmaſſe Ochinum, cum Baſileenſes venientem illum & hoſpitium Baſileæ ſibi concedi aperirique petentem, recipere noluiſſent. Qui autem nouit ſtatum reipublicæ Helueticæ, facile ſibi poterit perſuadere, hanc denegatam Ochino receptionem, ſignum potius eſſe arctisſimæ Baſileenſes inter atque Tigurenſes ſocietatis, ne ex vna republica eiectum in alteram recipiant. Sebaſtianus vero Caſtellio in epiſtola ad conſulem & Senatum Baſileenſem ſcripta † conſtanter adfirmat: *typographus librum ſe dixit obtuliſſe, eumque ſecundum Baſileenſia inſtituta fuiſſe cenſura adprobatum.* Et ſi concedamus, librum cenſuræ Baſileenſium non fuiſſe oblatum, vitium erit non Ochini, non Caſtellionis, ſed typographi.

§. XVI. Mouebat dialogus iſte de polygamia multos, ita vt in omnium ore eſſet Ochinus. Miniſtri eccleſiæ Tigurinæ cum ad eos hac de re delatum eſſet, primam officii partem eſſe cenſuerunt, rem ad vrbis conſulem deferre. Conſul Ochini dialogos adſecutus, illum de polygamia examinandum permiſit eccleſiæ miniſtris, qui illum in linguam Germanicam conuerſum in cœtu ſcholarcharum & præſentia omnium recitauerunt.

† p. 491. † Sandius *Biblioth. Anti-Trinit. p. m.* 6.

runt. Diſplicuit vero, prout tradit Hottingerus, *diſputatio illa omnibus quam vehementiſſime*. Negotium ergo tribus vrbis paſtoribus demandatum eſt, vt poſtera luce rem ad Senatum deferant. Nec tarde in eodem exequendo negotio paſtores, rem ad ſenatum detulerunt, ſeſe inſuper excuſantes, ipſis plane inſciis hæc eſſe edita, a quibus alias abhorreant; petentesque vt ipſe magiſtratus cauſæ conſulat. Conſul inde iubet, vt reliquos quoque Ochini dialogos perlegant miniſtri, & quæ perperam dicta videantur, adnotent atque denuntient. Quo facto varios ex dialogis errores illi imputarunt, quos etiam ſequenti obſeruatione examinabimus. Varie poſt hæc cauſſa in Senatu tractabatur, & quid hac in re agendum conſultabatur; tandem vero votis concordibus pronuntiatum eſſe ait Hottingerus: † *authorem dialogorum ex vrbe eſſe dimittendum*. Rationem annectit hanc: *vt omnes per orbem eccleſiæ, ad quas dialogi hi peruenerunt, ex dimisſione intelligant, Tigurinorum eccleſias atque rempublicam dialogos Bernardini non adprobare*. Sed pergit Hottingerus: *interim quo minus ille conqueri posſit, [licet culpa eius libris per orbem diſperſis, manifeſte ſatis ſit expoſita,] non auditum ſe, aut cauſſa, nondum diligen-*

 tiu

† p. 499.

tius cognita, vrbe eiectum eſſe, placere, vt alter conſulum vna cum tribus aliis præclaris e Senatu viris, Bernardinum vocent in Curiam Senatoriam, eique exponant totum hoc negotium, deinde reſpondentem audiant, & reſponſum eius poſtridie iterum ad Senatum referant. Quod quidem iſti ſicut decretum erat, diligentisſime ſunt executi.

§. XVII. Aſt ſpeciem hoc potius dicas, quam legitimam iuſti adminiſtrationem. Res inaudito Ochino fuerat diſceptata, vota collecta, ſententia decreta, Ochinus condemnatus. Poſt condemnationem demum citatus ad dicendum cauſſam. Sed quomodo dixit? ad quæſtionem de dialogis propoſitam reſpondit, ſuos eſſe, & a ſe editos: adfirmabat notam ſibi eſſe legem de non vulgandis libris a cenſoribus non adprobatis, dialogos autem iſtos non Tiguri, ſed Baſileæ fuiſſe editos, ibique per cenſores adprobatos. Excuſatio ſatis legitima.

§. XVIII. Sed annon de cauſſa polygamiæ & erroribus reliquis ipſi imputatis fuit actum, vt qua ratione errores, quos dicebant, excuſarent, viderent? Minime. Sententia condemnatoria decreta erat, antequam ad defenſionem citaretur Ochinus, eadem executioni mandanda erat, & mandabatur. Audiamus Hottingerum: *Cum vero delegati Sena-*

natores, ea, quæ audierant, a Bernardino, ampliſſimo Senatui recitarent, & iam excuſatio eius innotuiſſet omnibus, decreuit nihilominus Senatus, ablegandum eſſe Bernardinum, cuius culpa manifeſtior eſſet, quam operoſiore indigeret inquiſitione, aut artificioſis excuſationibus, tergiuerſationibusque defendi poſſit. Neque illam in vrbe, ſicut poſtulauerat per hyemem, ferre conſenſit, ſed intra ſpatium trium ſeptimanarum excedere vrbe & agro mandauit. Addit & Melchior Adami in Bullingeri vita, * nomine Senatus a miniſtris monitum iuſſumque eſſe, vt alio ſcripto ſcandalo eccleſiæ medeatur, maculamque eluat, ſed nihil eos obtinuiſſe. Sed conuictus non erat, nec poterat reuocare.

§. XIX. Subiungit inde Hottingerus ſententiam condemnatoriam, prout deſcriptam eam dicit, in illis ipſis diſceſſus ſui libris, quos diſcedens Ochinus ſibi dari poſtulauerat, talis
„autẽ eſt: Relatũ eſt ad nos diebus præteritis,
„ſed & ipſi reuera hoc deprehendimus quod
„Bernardinꝰ ſuo ipſius arbitrio, prout ipſi li-
„buit & quidẽ contra leges noſtras, quas nõ
„ignorauit, & de iis ſatis abunde præmoni-
„tus fuit, euulgauit libros dialogorum duos,
„dialogos 30, in quibus de connubio & aliis
„multis rebus plurima perplexa; non neceſ-
„ſaria, aut ad rem facientia, ſed & ſcandalo-
ſa

† p. 498.

„ſa plane diſputauit, quibus & nonnulla re-
„ligioni noſtræ contraria immiſcuit, prout,
„ſi neceſſe ſit, nullo negotio demonſtrari poſ-
„ſet. Ex quibus omnibus plus ſane deſtru-
„ctionis, quam ædificationis eccleſia Chriſti
„ conſequitur. Sed & libros iſtos cenſori-
„bus noſtris typographiæ deputatis, non ex-
„hibuit cenſendos: præterea inſciis quoque
„eccleſiæ noſtræ miniſtris, atque adeo etiam
„nobis omnibus typographis excudendos
„tradidit. Ergo, cum inde enata ſint mani-
„feſta ſcandala, & nos etiam ob ipſos (licet li-
„bri iſti & ſcripti & editi ſint ignorantibus
„nobis) accuſari infamarique poſſemus, do-
„luit diſplicuitque illa res nobis quam vehe-
„mentisſime, ideoque Ochinum illum ſuo
„miniſterio (quo apud nos in eccleſia Locar-
„nenſium fungebatur) deiecimus, inſuper ex
„vniuerſa ditione noſtra ablegauimus. Hæc
„ſententia in Ochinum lata.

§. XX. Cauſſæ relegationis adſignantur duæ: prima eſt, quod in dialogorum libro multa contineantur perplexa, non neceſſaria, ad rem non facientia atque ſcandaloſa. Altera eſt, quod librum ſuum non exhibuerit cenſoribus Tigurinæ typographiæ deputatis. De priori non rogatus erat, ne dicam conuictus: de altero, quod Baſilea excuſus liber, ibique cenſoribus oblatus, facile excuſari poterit

terit. Quid multa? condemnatus Ochinus antequam cauſſam dixerat, relegatus, eiectus. Rem defendendam relinquimus iis, qui ſententiam tulerunt. Auctor ſententiæ præcipuus videtur Bullengerus, quem ideo etiam Tigurinorum papam, ſeu dictatorem atque tyrannum * adpellat, defendentibus licet eundem Tigurinis. Quare & ipſe Bullengerus ** excuſare conatur ſententiam a Senatu latam, dum ita iudicat: *expoſtulatum eſt Tiguri quoque a paſtoribus cum Ochino auctore, & aliquot errores ei ſunt indicati: oblata eſt item collatio, totumque negotium ad ampliſſimum Tigurinæ reipublicæ Senatum eſt relatum. Ceterum cum ille quo ſe legitime & honeſte excuſaret, non haberet, neque de iis quæ euulgaret, diſputare vellet, dimiſſus a Senatu, ac ſolum vertere cum omni ſua familia iusſus eſt.* Sed contrariatur Hottingerus, vt ſupra vidimus, qui Ochinum nec de erroribus eſſe rogatum, nec vt cauſam diceret, admonitum eſſe ait. Contrariatur & ipſa ſententia condemnatoria, quæ plane nullius cauſſæ dictionis facit mentionem.

§. XXI. Mandabatur ita, vt intra ſpatium trium ſeptimanarum excederet vrbe atque agro Tigurino. Sed cum hyems eſſet grauisſima, rogabat, vt per hiemem ſaltem hoſpi-

* Hottinger *p. m. 499.* ** *apud Boxhornium p. 1144.*

ſpitio vti liceret in Tigurina vrbe, recuſante tamen Senatu. Aſperrima itaque hyeme, viis omnibus niue atque glacie impeditis, Baſileam ſe contulit, ibique recipi petiit, ſed fruſtra: Mulhuſam inde ſe contulit, ſed cum & ibi Bullengeri litteris peteretur, Poloniam abiit. Quod factum ſub initium anni 1564. **

§. XXII. Reprobat hoc Tigurinorum durum edictum Andreas Dudithius *** Quinqueeccleſienſis epiſcopus, tanquam minime Chriſtianum, idem Theodoro Bezæ obiiciens, quod non ſolum cauſſa indicta, ſed etiam hyeme grauisſima fuerit expulſus. Eum tamen defendere conatur Beza, ſceleratum hypocritam, Arrianorum clandeſtinum fautorem, Polygamiæ defenſorem, omnium Chriſtianæ religionis dogmatũ irriſorem adpellans. Sed qui Bezam Ochini fuiſſe adverſarium nouit, facile quid de hoc ſentiendum ſit iudicio, videre poterit.

§. XXIII. Singularia ſunt, quæ de Ochini itinere ex Tigurinorum vrbe narrat Adami, maxime vero de colloquio, quod inter eum & Cardinalem Lotharingum interceſſit. Integra autem Adami verba adducemus: „Petiuit, inquit, antequam diſcederet a Bul-„lingero commendatitias: ſed hic negauit ſe bona

†Betza *epiſt. I. ad Dudithium p.* 390.
†† Ottius *Annal. anabapt. p.* 14?.
††† *epiſtola ad Betzam c. l.* † *in vita Bullingeri p. m.*498.

„bona conſcientia id facere poſſe : etſi ob „ſenectam eius & liberos doleret. Inde „Baſileam venit, nidum quærens; ſed nec „ibi locus ei datus. Itaque in Poloniam abi„it ; quo vt venit, dicitur palam hy„poſtaſin Spiritus S. oppugnaſſe [dicitur: „ſed vnde probas?] Sed nec ibi commorari „ei diutius licuit. Quare in Moraui„am ad Anabaptiſtarum conuenticula ſe „recepit, vbi & obiit. Hic Ochinus cum „incidiſſet in via in Cardinalem Lotharin„gum, ſuamque ipſi calamitatem expoſuiſ„ſet, quod cogeretur exulare dialogorum „cauſſa, quos eo ſaltim animo ſcripſiſſet, vt „triginta veritates in vera religione a ſe ob„ſeruatas creditu difficiles a calumniis adſe„reret : ſimulque oblatis exemplis aliquot, „rogaſſet vt legeret : ferunt Cardinalem re„ſpondiſſe, inſpecturum ſe quidem, ſed vbi „non placuerint, mox combuſturum. Ad„ieciſſe Ochinum, ſe in peregrinatione ſua „obſeruaſſe viginti quatuor errores in eccle„ſiis euangelicis easque facile reuicturum. „Tum Cardinalem ſiue ioco ſiue ſermo re„ſpondiſſe : nimium eſſe quatuor, vt maxi„me viginti non adderet. Idem quoque Beza non, prout ipſius verba, vt rumorem incertum, ſed vt certam hiſtoriam narrat, dicens: quod Cardinali ex Italia redeunti Ochi-

cum conueniſſet Cardinalem, communis ſine dubio fama fuit, Ochinum ad caſtra tranſire velle pontificiorum, cum tamen de verbis, quæ inter eos fuerant, non conſtiterit, & ipſe Ochinus pro veteri potius conſuetudine Cardinalem adiiſſet.

§. XXV.. Apud Heluetos ita eiectus in Poloniam venit, vti iam dictum, inde autem emigraſſe eum dicit Sandius ex Budzinio, ob edictum anno 1564 contra peregrinos editum, qui diuerſam a communi de Trinitate opinionem fouebant. Ibique amiſsis peſte graſſante, duobus filiis & filia natu maiore in Morauiam conceſsiſſe, atque elapſis Slaucouiæ tribus hebdomadibus deceſsiſſe. Betza † vero Ochinum ab ipſis etiam Pontificiis repudiatum, familia non mediocri ſumtu circumducta, tandem obiiſſe ait tam inopem & egentem ſcilicet, cui nec petere nec accipere vnquam religio fuerit, vt plus ſane reliquerit hæredibus, quam bona collegii Helvetorum pars poſsideat. Sua itaque voluntate Poloniam eum reliquiſſe potius crediderim, cum edictum contra antiTrinitarios, qualis non erat, eum non tangeret.

§. XXVI. Poſt vitæ fata vertimus nos ad religionem, conſiderantes, cuinam vel religioni vel ſectæ fuerit deditus. Primum ergo

† *epiſtola ad Dudithium p. 190.*

go examinabimus an fuerit Atheus? Tota res eo redibit, an Ochinus nefarii iſtius ſcripti de tribus impoſtoribus auctor ſit. Leuinus Molſkennius in notis ad religionem medici, † Ochinum noſtrum auctorem facit, nec tamen conſtanter adſerere audet, cum dicat: *neſcio an Bernardinus Ochinus, an alius huius libri auctor ſit.* Eundem auctorem facit Scauenius, †† vnde vero ipſi conſtiterit Ioannes Rhodius ††† non nouit. Müllerus †††† & Campanella Poggio adſcribunt Florentino. Merſennus Petro Aretino, cui & ob vitam ſcriptaque ſpurciſſima attribuit Rhodius. Henricus Ernſtius ††††† Guilielmo Poſtello: Mareſius Boccatio attribuit: Alii autem † an extiterit vnquam liber, dubitant, licet eum manuſcriptum lingua Italica elaboratum apud ſe extare, nuper retulerit amicus. Müllerus †† etiam Nachtigallium quendam hunc librum anno 1614. primum euulgaſſe auctor eſt. Ioannes Deckerus ††† librum conſtanter Ochino tribuit; rationes, quibus vtitur, fama eſt publica, ſcripti & ſcriptoris ætas, auctoritas a Placcio ad-

† *ſect. XIX. p. 126.*
†† *in catal. auctorum ſuppoſ. apud Placcium n. 25.*
††† *n. 50.* †††† *Atheiſmo deuicto proleg. c.* II. *§. 19.*
††††† *obſeru. ſar. lib. II. c. XXXVI.*
† *de* I*oanna papiſſa §. 19.*
† *Tom.* I. *obſeru.* VII. †† *c. L.*
††† *de ſcriptis adeſpotis p. 119.*

adducta, & denique peſſima viri illius apud bonos æſtimatio. Sed fama publica æque pro aliis ac pro Ochino facit. Ochini quidem ætas nota eſt; non vero an & quando ſcriptum illud fuerit editum: auctoritas a Rhodio adducta non ſufficit, cum ipſe Rhodius non adſentiatur. Aeſtimatio Ochini non eadem: laudatur ab his, culpatur ab illis. Argumenta ergo Deckherri non ſufficiunt. Quare & Petrus Bælius in epiſtola ſua ad Deckherrum † plane negat Ochinum teterrimi huius libri fuiſſe auctorem, cum Grotius †† inimicos Friderici Barbaroſſæ famam ſparſiſſe ait talis libri, quaſi illius iuſſu conſcripti. Si ergo extat liber, (licet pro fabula habeat Grotius, cum ab eo tempore nemo ſit, qui viderit,) longe certe ante Ochini ætatem eſt ſcriptus. Quare potius credimus Ioanni Rhodio, qui ita iudicat. *Verum enim vero*, inquit, *quidquid ſit de hoc dialogo, reliquorum tamen viginti nouem nunquam a quoquam reprehenſorum, quod ſciam, haut videtur ea eſſe impietas, vt perſuadere mihi poſſim, eum, qui pro veritate Meſſiæ, Trinitatis, ac reliquorum fidei myſteriorum tam ſollicite, tamque ingenioſe ſcripſerit, tam derepente Meſſiam modo tam ſedulo defenſum pro impoſtore ſceleſtiſſimo traducere potuiſſe. Quamobrem hic ſu-*

E e 2 *ſpen-*

† *p. 373.* †† *in append. de anti-Chriſto p. 84.*

ſpendo fidem meam in re tanti præiudicii, quemadmodum & ſuper illo Scaligeriano: Bellarminus nihil eorum credit, quæ ſcribit; plane eſt atheus. Neque vero fundamentum vllum notitiæ proferunt, qui hæc adſerunt. Quam grauibus enim argumentis Chriſti maieſtatem ſermonibus & in dialogorum libris adſtruat Ochinus, obſeruatione ſequenti pluribus dicemus. Quare & eundem librum, ſi habeatur, Ochino iniuria imputari teſtatur Stanislaus Lubienie cius. † Hinc cum nec auctor ſit libri ſpurci ſsimi, potius iuſte vbique de Deo & Chriſto ſentiat, quod obſeruatione ſequenti certum faciemus, ſequetur omnino Atheum non eſſe. Quare & celeberrimus Morhoſius † de eo teſtatur, quod eius dialogi præter poiygamiam, quam propugnet, nihil ex Atheiſmo trahere videantur.

§. XXVII. Florimundus Ræmundus †† quidem, Ochino imputat, quod dixerit: nullibi ſe reperire vel Spiritum ſanctum, vel Serua torem noſtrum Deum adpellari; ſeque a d monaſterium redire, quam iſtorum ſententiam comprobare malle. Sed vellem indicaſſet, in quonã dialogo hæc contineantur verba, totum enim dialogorum perlegi librum

† *hiſtoria reform. Polon. lib.* II. *c.* III. *p.* 50.
† *Polyhiſtore lib.* I. *c.* VIII. *p. m.* 75. †† *c. l. p.* 230.

librum, nec eadem reperi. Ipſe enim Spiritus qui dialogo XIX. † Trinitatem impugnat, nunquam negat patrem eſſe, & filium & Spiritum ſanctum, ſed tantum eius probationem exigit, eſſe ſuppoſita diuina, reipſa diſtincta, conſubſtantialia, coæterna. Et licet quidem Spiritus Chriſtum Dei quidem filium, non vero ipſum Deum & patri æqualem dicat, hæc tamen mens non eſt Ochini. Quippe qui omnia eius argumenta grauiter diluit atque euertit. Pergit quidem Ræmundus eundem impugnare, quod eius catechiſmus 1591. recuſus, infinitis ſcateat atheiſmis, quod ex ipſo, pro more, hauſit Bzouius. Catechiſmum quidem iſtum videre non licuit, vix tamen credo eſſe Ochini. Recuſus dicitur 1591. cum ante triginta fere annos Ochinus iam mortuus; quando ergo primum excuſus? Ignorant omnes. Conradus Geſnerus, qui ipſe Tigurinus, omnia Ochini ſcripta recenſet, ſed nullum inter ea reperio catechiſmum. Sandius, ſola Bzouii nititur auctoritate. Nec vllus alius ſcriptor huius mentionem facit. Falſo igitur catechiſmum Ochino imputari credo, potius ſi athea continet, vt vult Ræmundus, alius cuiusdam eſſe tenebrionis.

§. XXVIII. Reſtat adhuc Stanislaus Ho-

† p. 104.

ſius, Cardinalis, † qui Ochino imputat, quod ſi quis dubitaſſet antea, quod ſanctæ Trinitatis infenſiſſimus hoſtis ſit: lecta eius defenſione, dubitare deinceps non poſſit. Sed, qua ratione cauſſam ſuam egerit Ochinus, aduerſariorumque argumenta in contrarium diluerit, ſequenti obſeruatione in recenſione dialog. XIX. patebit. Cum & ipſe in præfatione dicti dialogi inter rationes, cur illum ſcripſerit, hanc quoque referat, vt eorum oſtenderet errorem, qui ſe in materia de Trinitate ſuſpectum habere inciperent.

§. XXIX. Sed an etiam eadem facilitate Socinianiſmi ſuſpicionem effugere poterit noſter Ochinus? Theodorus Betza † quidem, eum vocat ſceletarum hypocritam, Arrianorum clandeſtinum fautorem, polygamiæ defenſorem, omnium Chriſtianæ religionis dogmatum irriſorem. Sed iudicium hoc eſt inimici, quem ſequuntur reliqui. Quod ſi euoluamus ipſius dialogos, eiusque inde hauriamus doctrinam, ſane fateri neceſſum habemus, eum tam pie de Chriſti perſona, ipſius ſatisfactione pro peccatis noſtris, atq; expiatione ſentire; eum Chriſti maieſtatem vbique efferre, quæ contra opponantur, graviter

† *in iudicio & cenſura de adoranda Trinitate p. m. 65.*
† *epiſt. I. p. 190*

viter euertere, vt ex eo ſatis patere poſſit, eum Socinianum non fuiſſe. Maxime patebit illud ex prioribus eius dialogis, quos §. IV, V, IX. XI, recenſebimus. Immo per omnes fere dialogos Chriſtum Dominum & Deum ſuum dicit, vt ſane nihil habeamus, in quo ipſi poſſimus contradicere. Maxime ſi iungamus eius ſermones, ex quibus patebit, quam pie, quam deuote, de Chriſti martyriis & paſſione, maieſtate & gloria in iis loquatur.

§. XXX. Aſt Sandius ipſe Socinianus, Ochinum in anti Trinitariorum numerum retulit? Fecit id Sandius, quod ex communi opinione pro tali haberetur, ex quo non ſequitur, quod re ipſa talis fuerit. Immo ipſe quoque Sandius † de eo dubitat, qui cum de iis ageret, qui receptam de Deo triuno opinionem in dubium reuocarunt, addit: *an inter eosdem fuerit Bernardinus Ochinus, certo adſerere non auſim.* Quod ſi enim omnes a Sandio adductos auctores examinare velimus, reperiemus forſan & alios, qui ſumma iniuria in hunc numerum referuntur. Quod autem ipſi fratres Poloni eum pro ſocio non habuerint, patet ex eo, quod illis hiſtoriis & narrationibus de vnitariis, Sandii bibliothecæ adiectis, nulla vnquam mentio fiat noſtri Ochini.

† *append. ad nucl. hiſt. eccl. p.* 90.

§. XXXI. Hornbeckius quidem eum Lælii Socini magiſtrum fuiſſe putat, ſed ex male intellecto Zarnouecii loco id ortum credit Sandius. Ioannes Brunsmannus† autem eundem diſcipulum facit Michaelis Serueti, nulla nec fide nec auctoritate; cum potius proprio Marte eum dereliquiſſe Italiam ſuperius dictum fuerit. Quidquid ſit, de nullo errore Ochinus conuictus, de nullo condemnatus, bonus erit, donec probetur contrarium.

† *monogamia Victrice cap.* VIII. *p. m.* 58.

OBSERVATIO XXI.
ICON DESIDERII ERASMI ROTERODAMENSIS.

Σύνοψις

VIta Eraſmi hactenus a nemine pro merito eius ſcripta eſt, §. I. Nobis autem conſtitutum, mores eius depingere. §. II. Fuit Eraſmus admodum timidus. §. III. etiam in certaminibus ſuis cum monachis. §. IV. Hinc & a controuerſiis maximopere abhorruit. §. V. Ad voluptates propenſiſſimus fuit. §. VI. Adriſum quoque & iocos. §. VII. Stilum mordacem in eo nonnulli reprehendunt. §. VIII. Idem adulator turpiſſimus fuit §. IX. hæſitans quoque ſemper & fluctuans.

§. X.

§. X. Vtriusque partis expertus eſt odium: Ab Atheiſmo vindicatur. §. XI. Ineptum Auberti Miræi de Eraſmo iudicium exploditur. §. XII. Famæ & gloriæ etiam cupidus fuit Eraſmus, magis tamen ad voluptatem propenſus. §. XIII. Dicta in ſummam contrahuntur §. XIV. Quid in Eraſmo laudandum, quid vituperandum, paucis indicatur. §. XV.

§. I.

VItam ſummi Viri Deſiderii Erasmi a nemine hactenus pro tanti viri meritis & celebritate, litterarum monumentis conſignatam eſſe conſtat. Equidem Paulus Merula edidit vitam, vt titulus libri habet, Des. Eraſmi Roterodami, ex ipſius manu fideliter repræſentatam, comitantibus quæ ad eandem aliis: *Lugduni Batauorum A. 1607 in 4to.* Sed materiam ſaltem liber hic exhibet, nec quidem ſufficientem, quæ docti cuiusdam viri ingenium expectat. Præcipuum namque in hoc libro, quod comparet, monumentum eſt ipſius Deſiderii Erasmi ad M. Conradum Goclenium, linguæ Latinæ Lovanii Profeſſorem, epiſtola, in qua vitæ ſuæ initium atque progreſſum, ſtudia atque fata ſuccincte enarrat. De illis autem, qui vitam ejus deſcribere aut aggreſſi ſunt, aut id

ſe facturos promiſerunt vid. *Balius, in voce Eraſmus.* Deprehenduntur ibi exempla, quibus Almelowenii bibliotheca latens & promiſſa augeri poſſit. Sed nec eſt, vt quis a nobis eiusmodi quid expectet, cum ſine commentariis aut monumentis fide dignis vitas eruditorum deſcribere, perinde ſit, ac ſine alis volare velle.

§. II. Mores tamen Eraſmi depingere eiusque repræſentare indolem forte non ſupra vires noſtras fuerit, ſaltem nec inutile, nec iniucundum. Sufficit, ni fallor, ad hoc quædam eius conſuluiſſe monumenta, præſertim epiſtolas & relationes aliorum fide dignas euoluiſſe. Vix induci poterat Eraſmus, vt ſe pingi pateretur, vt in compendio vitæ Eraſmi a Merula edito p. 14. legitur: *Vixque extortum eſt amicorum precibus, vt ſe pingi pateretur.* Moleſtius ergo forte adhuc ferret Erasmus, animi morumque quibus præditus fuit, effigiem poſteritati exhiberi. Sed quod disſimulare non potuit, non eſt quod ægre ferat, ſi ab aliis in apricum proferatur. Si conſpici non voluiſſet, non debuiſſet tot ingenii monumentis, tam celebri vitæ ſtrepitu indolem ſuam prodere. Aſt pictores nos quoque imitabimur, næuos pariter ac virtutes indicaturi.

§. III. Primo ergo timiditas in omni eius

vita

vita eluxit. Hinc licet cœleſtis doctrinæ veritatem tam haberet perſpectam, quam quisquam alius, nunquam tamen induci potuit, vt aperte eam profiteretur. Prudentiam vocent alii, aut moderationem, aut quocunque demum vti nomine velint, inconſultum metum famam, exiſtimationem, opes & vitæ commoda amittendi, aut pericula ac cruciatus ſubeundi maximopere Eraſmo obſtitiſſe arbitror. Quid multis? Fatentem habemus reum in Epiſtola ad Richardum Pacæum a Iano Guilielmo Meelio epiſtolis Hotomannorum inter alias miſcellaneas, adiecta, p. 428. *Multa quidem*, inquit, de Luthero verba faciens, *præclare & docuit & monuit. Atque vtinam ſua bona malis intolerabilibus non vitiaſſet. Quodſi omnia pie ſcripſiſſet, non tamen erat animus ob veritatem capite periclitari. Non omnes ad martyrium ſatis habent roboris: vereor autem, ne ſi quid inciderit tumultus, Petrum ſim imitaturus.* Ingenua confeſſio! Sed pergit: *Pontifices & Cæſares bene decernentes ſequor, quod pium eſt. Male ſtatuentes fero, quod tutum eſt.* Conſentit hac in re nobiſcum Dominicus Baudius qui de Eraſmo inter alia ita pronuntiat: *Meticuloſior fuit, & timens offenſionum atque hoc vnice in vita ſtuduit, vt omnium ordinum atque generum beneuolentiam colligeret. Id forſan*

ſan impedimento fuit, quo minus cornicum ocu-los configere auſus fuerit. Epiſt. Centur. II. Ep. XXVII.

§. IV. Equidem in debellandis monachorum ineptiis intrepidum & plane heroem ſe præſtitiſſe videtur. Sed in hoc certamine gigantis atque pygmæi pugnam mihi conſpicere videor. Præterea de fauore Pontificis ac Procerum Eccleſiæ Romanæ certus, non erat vt vanam horum extimeſceret iram. Nihiloſecius tamen & in hoc certamine aliquando trepidauit, meticuloſique animi documentum dedit. Sic litteris ad Gattinaram Caroli V. Imp. Cancellarium *ap. Seckendorffium hiſt. Lutheran. lib. II. p. 108.* ominatur Lutheranæ, vt vocat, factioni interitum, ſimulque monachorum metuit *tyrannidem*, oppreſſo, vti credebat, Luthero, *validius ſurrecturam. Vereor,* inquit, *ne quorundam monachorum ſtolida improbitas excitet nobis aliam tragœdiam.* Et in epiſtola ad Hermannum a Noua Aquila ſiue Nuenarium Comitem lib. XX. ep. LXXII. *Si inclinat factio Lutherana, quod vt fiat ipſi ſedulo dant operam, exorietur intolerabilis pſeudo-monachorum tyrannis.*

§. V. Ex timiditate eius ni fallor fluxit, quod a litibus etiam atque controuerſiis maximopere abhorruerit. Teſtatur hoc ſubinde ipſe, teſtatur tota eius vita. Hinc

&

& in omnem ſe vertit partem, priusquam adduci potuit, vt contra Lutherum calamum ſtringeret. Hinc Pontificis procerumque eccleſiæ Romanæ promiſſa, & metus ne hoc officium illis denegando eos offenderet, impellebant: illinc partim veritatis vis, partim & maxime quidem metus, ne acrioribus controuerſiis, vitæ, quam ſectabatur, tranquillitas conturbaretur. Hic autem ſatis admirari nequeo calliditatem Adriani Pontificis, qui eiusmodi argumentis oppugnabat Erasmi animum, quæ ad illum debellandum tantam vim habebant, vt efficaciora invenire non potuiſſet. Homo meticuloſus, per periculorum ſiue verorum ſiue fictorum repræſentationem maxime mouetur. Proinde ſignificat Eraſmo Pontifex, nullam quidem hæreſeos ſibi aduerſus illum eſſe ſuſpicionem, interim conſultum eſſe vt ſe apud alios purgandi cauſa, aliquid contra Lutherum ſcriberet. *v. Lib. XXIII. Ep. III.* Atque hac maxime ratione inductum fuiſſe Eraſmum, vt in hoc certamen cum Luthero deſcenderet, ex epiſtola quoque eius ad Philippum Melanchthonem colligas: *Miraberis*, inquit, *cur emiſerim libellum de libero arbitrio. Suſtinebam triplex agmen inimicorum. Theologi & litterarum bonarum oſores nullum non mouebant lapidem, vt perderent Eraſmum, tum quod*

eſſe-

collegium illud florentisſimum inuexerim Louanium, eamque regionem totam infecerim linguis & bonis literis. Hi monachis omnibus perſuaſerant me iunctisſimum eſſe Luthero. Itaque amici videntes me periclitari, ſpem præbuere Pontifici & Principibus, fore vt aliquid ederem in Lutherum. Eam ſpem & ipſe pro tempore alui. Et interim iſti non expectato libello, cœperunt me libellis laceſſere. Nihil igitur reſtabat, niſi vt ederem quod ſcripſeram, alioqui & monachos habuiſſem infenſos. &c. Lib. XIX. Ep. CXIII. Cæterum Adrianus Pontifex artem flectendi animos probe edoctus, cum metum aliquem animo Eraſmi inieciſſet, quod facile erat apud hominem meticuloſum, addebat blanditias, *magnam vim ingenii, ſcribendi promptitudinem, quanta,* vt ait, *noſtra memoria paucisſimis aliis, imo nulli contigerit,* aliaque elogia illi tribuit. Hæc quantum valeant apud eum, qui ex litteris gloriam quærit, quiuis facile intelligit. Nihiloſecius hæſitabat Eraſmus, & metu impellente, metu retrotrahente, quid ſtatueret, vix inueniebat. Tandem vero metus, ne offenderet Pontificem & Proceres Romanæ Eccleſiæ, præualebat, ita tamen vt alter ille metus ſe in ipſo opere conſpiciendum ſatis præberet. Hinc lenisſime Lutherum excepit, & apud Melanchthonem prolixa vſus eſt excuſatione. Imo cum ex eo intel-

tellexiſſet, Lutherum quoque ſtilo moderatiore aduerſus ſe vſurum, maximo inde perfuſus eſt gaudio. Hæc prolixius ex Seckendorfio cognoſcere licet, *in hiſt. Lutheranismi lib. I. p. 309. 310.*

§. VI. Cæterum cum homines aut auaritia, aut ambitione, aut voluptatis cupiditate vexentur, aganturue haud raro in transuerſum, Erasmum quidem noſtrum ad voluptates maxime propenſum fuiſſe, niſi me omnia fallunt, ex tota vitæ eius hiſtoria facile colligitur. Atque hæc ad voluptates propenſio tum cum timiditate, quam iam notauimus, tum cum reliquis characteribus mox enarrandis plane conuenit. Luculentisſime autem colligitur ex cauſis, quas ipſe enarrat, cur a vita monaſtica fuerit alienior. *Scis,* inquit in Epiſtola ad Seruatium p. 16. *me multis in rebus infortunatum eſſe, at vnum hoc ceteris omnibus grauius eſſe duxi, quod in huiusmodi vitæ* (monaſticæ) *genus detruſus eſſem, a quo tum animo tum corpore eſſem alienisſimus. Animo, quod a ceremoniis abhorrerem, & libertatis amans eſſem; corpore, quod etiamſi maxime placuiſſet vitæ inſtitutum, corporis natura non ferebat iſtiusmodi labores.* Et paucis interiectis: *Nec diffiteor me ad magna vitia fuiſſe propenſum, non tamen vsque adeo corrupta natura, quin ſi commodus acceſſiſſet gubernator & vere Chriſtianus, non iudaice ſuperſtitioſus, potueram ad*

ho

bonam duci frugem. Huc igitur interim ſpectavi, in quo vitæ genere minime malus eſſem, atque id ſane me aſſecutum puto &c. Et rurſus quibusdam interiectis: *Pecuniæ ſtudium nunquam me attigit, famæ gloria nec tantillum tangor, voluptatibus & ſi quondam fui inquinatus, nunquam ſeruiui: Crapulam, ebrietatem ſemper horrui fugique.* Hæc de ſe ipſo Erasmus, ea animi libertate, quæ hoc ipſum de eius indole iudicium ſatis comprobat. Crapulam equidem & ebrietatem illi obiicit *Scaliger Orat. II. in Erasmum. Non tu in Aldi officina quæſtum feciſti corrigendis exemplaribus? Nonne errores eos, qui tum illis in libris legebantur, haud tam erant librariorum atramento quam tuo confecti vino? haud tam illorum ſomnum olebant, quam tuam exhalabant crapulam?* Sed nefas erit iurato hoſti, & furore quodam extra omnes modeſtiæ & honeſtatis limites abrepto, teſtimonium dicenti adhibere fidem. De lite autem quæ Eraſmo noſtro cum Scaligero intercedit, omnino legi meretur doctisſimus *Bælius l. c. p. 1063. ſeqq.* Potiore fortaſſis iure, ad id, quod demonſtrandum ſuscepimus, comprobandum afferri poſſet epiſtola Eraſmi qua Andrelinum in Angliam inuitauit, in qua ita ſcribit: *Si Britanniæ dotes ſatis pernoſſes Fauſte, næ tu alatis pedibus huc accurreres: Et ſi podagra tua non ſineret, Dædalum te fieri optares, Nam*

vt e plurimis vnum quiddam attingam: ſunt hic nymphæ diuinis vultibus blandæ, faciles, & quas tu tuis Camœnis facile anteponas. Ep. X. lib. V. Sed talia porro ibi ſubiungit, quæ doctisſimo Bælio eiusmodi extorſerunt iudicium: *Vous voyés que les Angloiſes ne luy plaiſoient pas moins, que les Anglois l. c.*

§. VII. Ad riſum quoque & iocos valde proclivis fuit Eraſmus. Cum epiſtolæ obſcurorum virorum illi offerrentur, *adeo* illarum *lectione in riſum profuſus fuit, vt abſceſſum in facie enatum, quem medici ſecare iuſſerant, præ nimio riſu ruperit. Simlerus* in *vita Bullingeri fol. 6.* De iocis conſtat: iamque in eo hoc notauit *Svvertius in Athenis Belgicis. Propenſior,* inquit, *natura fuit ad iocos, quam deceret, quam nonnunquam expediat, vt de ſe ipſe fatetur ad Barbirium.* Sed teſtatur hoc præter alia eius ſcripta, *encomium moriæ,* tanto orbis eruditi applauſu exceptum, de quo plura dici poſſent, ſi id nunc ageremus.

§. VIII. Atque hinc omnino factum, vt ſtilum mordacem in illo nonnulli reprehenderent. Rolandi Mareſii tale de Eraſmo noſtro extat iudicium: *Inter recentes qui multa egregie ſcripſerunt, nemo mea ſententia Eraſmum præceſſit, ſiue iudicium ſiue eruditionem, ſiue eloquentiam ſpectes, quem non vereor cum quouis antiquorum conferre: qui ſi tota vita cum theologis & mo-*

nachis conflictatus non fuiſſet, meliora etiam quam edidit orbi communicare potuiſſet: & ſi tam mordax, aut in quibusdam tuendis tam pertinax non fuiſſet, nihil in eo viro illa ætas quod deſideraret habuiſſet. lib. II. Ep. XXVI. Aſt excuſari, ni fallor, facile Eraſmus poterit. Præterquam enim quod genio ſuo aliquid dederit, mordacem ſtilum requirebat ſtultitia hominum quibuscum illi res erat. Lenioribus remediis hic non erat locus. Non potuiſſet etiam aut maiorem nominis conſequi celebritatem, aut humani generis commodis rectius conſulere, quam redigendo paulisper in ordinem inconditam iſtam atque agreſtem theologorum atque monachorum gentem. Namque ille demum, mea quidem opinione, viri ſapientis nomine dignus eſt, qui ſeculi ſui moribus emendandis ſtrenue incumbit. De pertinacia autem, quod eidem Eraſmo Mareſius obiicit, id me non ſatis capere lubens profiteor. Linguæ petulantiam Eraſmo etiam obiicit Iouius, quod itidem iuxta hactenus dicta intelligendum, niſi ſummo viro inferre iniuriam velimus.

§. IX. Grauius eſt *adulationis* vitium, ob quod apud nonnullos male audit Eraſmus. Nec tamen ab indole hominis voluptatibus dediti, & meticuloſi, alienum. Certe adulationes iſtæ quibus Leonis X. Pontificis animum

mum ſibi conciliare voluit quam apertisſime hoc comprobant. Nota omnibus ſunt vitia hominis luxurioſisſimi. Maimburgius ex Varillaſii *arcana hiſtoria Florentina*, & Pallauicini ſilentio approbat iudicium Pauli Veneti, quo Leonem duobus maximis vitiis, ignorantia religionis, & impietate, ſeu atheiſmo, laboraſſe, pronuntiat. Infert hinc, nimis mitem fuiſſe Lutherum, qui talia ei non obiecerit. In quo Maimburgio, ſi etiam ex animi ſui ſententia hoc dixiſſet, vix tamen ſuffragari poſſem. Etenim, cum nondum adeo euictum ſit, quod de Leonis X atheiſmo dicitur, vt viri quidam docti obſeruarunt, ſumma fuiſſet imprudentia, ſi Lutherus talia obieciſſet Pontifici, quæ probare non potuiſſet. Ergo hic ſincerior fuit Lutherus ac prudentior, quam Maimburgius & ei ſimiles. Sed quod idem auctor ſubiungit: *neque compenſari illa poterunt liberalitatis & magnificentiæ aliarumque, quæ nec Chriſtianum, nedum Chriſti vicarium faciunt, dotium laude, qua illum literati eius ætatis vehementer extollebant, interque eos omnium copioſisſime Eraſmus*, id rectisſime ab eo dictum puto. Plurimis enim perſuaſum eſt, breuisſimam ad virtutem viam eſſe, ſi doctis ac probis viris ita placeant, vt ab iis laudentur, non habentes penſi, corruptisſima plerumque illorum eſſe iudicia, qui maxima a-

pud imperitum vulgus pollent auctoritate. Quot enim inter eruditos ſunt, quorum non ſint venales laudes? qui non cumulare encomiis parati ſint, a quibus, quo ſuas expleant cupiditates, expectant? quos inter & Eraſmum fuiſſe recte pronunciat Maimburgius, cui & cenſor eius acerrimus *Seckendorffius* ſuffragatur, *in hiſt. Lutheraniſmi lib. I. p. 191.* vbi & in exemplum adducit hæc Eraſmi verba ex dedicatione epiſtolarum Hieronymi A. 1515. ſcripta: *Senſit illico mundus Leonem gubernaculis rerum admotum, repente ſeculum illud plusquam ferreum in aureum verſum: ac tanta tamque fatalis rerum omnium commutatio, vt nemini non palam eſſet, hæc auctore Deo geri. Compoſitæ bellorum vndæ, cohibitæ Principum inter ipſos minæ, acerbis odiis disſidentes maximorum Regum animi in Chriſtianam adacti concordiam, ſublatum pernicioſisſimũ illud ſchiſma, & ita ſublatum tam ingens malum, vt ne cicatrix quidem ſuperſit.* Subiungit Seckendorffius: *Quam vana hæc fuerint, ſequentium annorum geſta oſtendunt.*

§. X. Acceſſit *hæſitatio & fluctuatio*, præſertim in iis quæ ad religionem ſpectabant, & inconſtantia etiam. Imo ex eius indole qualem hactenus deſcripſim9, non poterant non hæc profluere vitia. Lutheri de Eraſmo iudicium ita refert Maimburgius: *Cum*

hic

hic (Eraſmus) *quereretur, eſſe qui ſibi imputarent, quaſi cum Luthero in hoc articulo conſentiret, lepide reſpondit: Magnam Eraſmo iniuriam fieri, & ſe quoque eum ab hac inimicorum calumnia defenſurum ſemperque teſtaturum eſſe, Eraſmum nullo modo Lutheranum, ſed tantum Eraſmum eſſe, id eſt hominem, qui omnia tam incerte & ambigue, ſæpe etiam minime ſerio in cauſis religionis dicat, vt ægre ſciri posſit quid ſentiat. lib. I. ſect. LXIII.* Quæcunque autem hæſitatio Eraſmi fuerit & inconſtantia, non tantum commodorum habita ratione, ſed iudicii, licet errantis, perſuaſione magis ad Romanæ eccleſiæ quam Lutheri partes propenſum fuiſſe arbitror. Colligo hoc exinde, quod inter ſacris Eccleſiæ Romanæ addictos mori maluerit, quam inter Proteſtantes. Ad quam ſane ſententiam nullis commodi cuiusdam temporalis rationibus adduci potuit. Ita vero ſuam mentem exponit *Ep. LXXIV. lib. XXX. Si mea bene nouiſſes, debebas illi reſpondere, me neceſſario valetudinis cauſa reliquiſſe Friburgum, hoc animo vt eccleſiaſta abſoluto, Beſantium peterem, ne non eſſem in ditione Cæſaris, ſed hic ingraueſcens valetudo cogit hybernare. Hic enim quanquam ſum apud amicos, ſincerisſimos, quales Friburgi non habebam, tamen ob dogmatum diſſenſionem malim alibi finire vitam. Vtinam Brabantia eſſet vicinior.*

§. XI. Cum ergo ita ſe gereret Eraſmus, vt neutri parti penitus addictus eſſet, vtriusque partis eum experiri oportuit odium. Fatum illud nimirum eſſe ſolet illorum, qui medii eſſe cupiunt, his tamen minime imputandum, ſed furori concertantium, qui ferre non poſſunt, quos non in omnibus ſecum, conſentientes habent. Miſeri itaque ſunt moderati illi viri, non per ſuam culpam, ſed per illorum improbitatem ac petulantiam, qui ſub Zeli clypeo latitantes, impune in quosuis ſiue nocentes ſint, ſiue innocentes, graſſantur. Hinc iſta *Friderici Canirmii* de Eraſmo noſtro querela: *Eraſmum indies magis frigeſcere, & quantum ego iudicare poſſum, retractare latenter, quæ videatur olim liberius vel dixiſſe vel ſcripſiſſe, ægerrime fero, & agnoſco puerilem metum, qui plus veretur hominum gloriam quam Dei. Ceterum tales Nicodemi apud nos in magno ſunt numero.* Quod quidem tolerari adhuc iudicium poteſt, & a vero non prorſus abludit. Aſt illorum plane ferendi mores non ſunt, qui ſimul ac quis in eam, quam tuendam ſuſceperunt ſententiam manibus pedibusque ire recuſat, atheiſmum illi aut ſi quod grauius adhuc crimen, ſtatim exprobrant. Poterat condonari Bellarmino quod Eraſmum inter *Semi-Chriſtianos* retulit; Poſſeuino, *quod nomen eius ex omnibus*

catholicorum ſcriptis expurgari debere affirmavit; Stapletano, quod eum *murem errantem* vocauit; Forero quod *dignum* pronunciavit, *qui ex omnium hominum memoria eraſus eſſet*; hi enim miſeri homines, id agunt quod eccleſiæ Romanæ poſtulant mores, cui is demum ſtrenuus veritatis videtur defenſor, qui in quosuis diſſentientes plauſtra conuiciorum ſtrenue exonerare didicit. Quam autem vellem vt & magnus Lutherus noſter moderatius de Eraſmo iudicaſſet, & non ſtatim illi atheiſmum obieciſſet. *vid. Seckendorffius hiſt. Lutheran. lib. III. p.* 77. Ego ſane nulla atheiſmi veſtigia in Eraſmo deprehendere potui: &, ni fallor, augebit quoque vir ille doctus illorum numerum, qui præter omnem culpam ſuam atheiſmi ſuſpicionem apud alios ſubiere.

§. XII. Facere non poſſum, quin atro hic notem lapillo inſipidum plane Auberti Miræi de Eraſmo iudicium, quod ex eodem refert Thomas Popeblount in Cenſura celebriorum: Auctor. p. 527. Maior inquit, apud „poſteros futurus fuiſſet, ſi minor eſſe voluiſ„ſet. Nam ſi intra profesſionis literariæ „terminos ſubſtitiſſet, ſeque totum hiſce „ſtudiis quibus in primis videbatur, dediſſet, „paria fortaſſe cum primis illis Latini ſermo„nis auctoribus facere potuiſſet. At vero

„poſtquam theologum agere voluit, inge-
„nio fiſus nimium ſibi arrogauit, & in tra-
„ctandis ſacris litteris veterumque Patrum
„monumentis rigidum nimis cenſorem ſe
præbuit. Primo namque Miræus innuere videtur ſupremam eruditionis gloriam in Latini ſermonis puritate & elegantia conſiſtere, ad quam præclaris ingeniis ita adſpirandum ſit, vt diuinarum humanarumque rerum cognitio ponenda illis in minimis ſit, modo ad puræ & emendatæ orationis laudem aſſurgere queant. Perperam ſane. Etenim, vt ſermonis cultus neutiquam ſpernendus eſt, ita qui rerum ipſarum tractationem illi poſtponunt, illis ſimiles eſſe videntur, qui nucleum contemnunt vt putaminibus potiantur. Sermo rebus inſeruire debet; non res ſermoni: conſectandaque eſt ſermonis puritas & elegantia, non vt in hiſce puerilibus ſtudiis conſeneſcamus, ſed vt hiſce veluti inſtrumentis vtamur, tum ad rerum cognitionē adipiſcendam, tum ad ea quæ didicimus cum aliis iterum rite communicanda. Deinde & illud, ni fallor, idem auctor ſignificat, Eraſmum elegantiorum litterarum ſtudiis fretum nimis audacter in theologia verſatum eſſe. Ergo forte fratres ignorantiæ ad ſtudium theologicum aptiſſimos putat, quæ ſane multorum omni tempore fuit ſententia præ-

præſertim tamen illorum, qui accuratioris philoſophiæ ac Critices ope receptos firmiterque radicatos errores, ex theologia profligari quam ægerrime ferunt. Quo iure autem Eraſmo obiecerit, quod in ſacris literis cenſorem nimis rigidum ſe præbuerit, ego quidem neſcio: hoc ſcio, eius interpretationem Noui Teſtamenti, vt nunc alia ſcripta eius theologica ſilentio prætermittam, ſummoorbis eruditi applauſu exceptam eſſe. Sententiam ferat Petrus Daniel Huetius: „Quidam, inquit, intra noui ſolius Teſta„menti cancellos ſuam in interpretando in„duſtriam explicuerunt, quorum facile meo „iudicio princeps eſt Deſiderius Eraſmus: „Is ea felicitate hanc ornauit ſpartam, vt & „verba verbis, & ſententias ſententiis & ſa„porem ſapore exæquauerit: & perſpicui„tatem tamen cum dictionis caſtitate & na„tiuo illo colore obtinuerit, quæ ad inte„gram interpretis laudem vnice requireba„mus. *De claris interpret. p. m. 191.* Addit idem Huetius eum equidem a multis ſugillatum eſſe, interque alios a Petro quodã Sutore: Sed hunc vtut hominem pium ac doctum, neque doctrinæ, neque acuminis, neque vrbanitatis & elegantiæ merito cum Eraſmo componendum eſſe. In eodem libro p.m. 282. Huetius de Eraſmo ita pronuntiat:

„at ſuo tandem ordine prodeat Deſiderius „Eraſmus vere ſeculi ſui Phœnix: quis enim „tot doctrinis cumulatus? quis tanta mul„tiplicis ingenii vbertate circumfluens? quis „tam portentoſæ memoriæ capacitate in„ſtructus? quis ſuauitate in ſcribendo, quis „ſalibus & facetiis conditior? quis vero in ea „quam habemus in manibus conuertendi in„duſtria tanta felicitate numeros omnes ab„ſoluit? ſententias acute perueſtigat, diluci„de expedit; ſincera omnia atque ſana, ſine „ariditate ſicca, ſine exilitate auguſta, ſine „exuberantia aperta, ſine ſquallore neglecta. Non ergo pœnitere potuit Eraſmum, humaniores litteras cum diuinarum litterarum coniunxiſſe ſtudio. Sed nec hodie id quenquam temere pœnitere poterit. In Patres autem quod rigidum ſe præbuerit cenſorem, in eo omnino laudandus eſt: cum mentis plane expertem eſſe oporteat, qui aut ſcripta illorum, aut doctrinam, aut mores ſine accurata admiſerit cenſura. Sed id nunc non agimus.

§. XIII. Quod autem Eraſmus de ſe ipſo profitetur: *fama gloria nec tantillum tangor, in Epiſtola ad Seruatium p. 17.* id an ita ſe habeat dubito. Equidem voluptatis in eo maiorem fuiſſe cupiditatem quam gloriæ, facile mihi perſuadeo, & hactenus allata illud ſatis,

ni

ni fallor euincunt. Credo etiam magnas eum recuſaſſe dignitates, & cardinalitiam purpuram a Paulo III. illi deſtinatam, non niſi inuito potuiſſe obtrudi, ſi hiſce conſiliis reſpondiſſet ſucceſſus. Namque & ſub Adriano VI. & ſub Paulo III. Erasmum in numero Candidatorum Cardinalitiæ dignitatis fuiſſe, pluribus docet doctisſimus *Belius p. 1067.* Credo etiam ex animi ſui ſententia ſcripſiſſe Eraſmum *Ep. XXV. libri XXVII. itaque nunc magno ambitu agitur, vt me præpoſituris onerent, reclamantem ac manibus pedibusque recuſantem, ac perpetuo etiam recuſaturum.* Gloriæ nimirum aliquis eſſe poteſt cupidus, qui tamen ſplendida munera atque dignitates ſpreuit, quippe quæ haud raro, dum litterarum ſtudiis impedimentum afferunt, gloriæ quoque ex litteris acquirendæ ſtudio vel maxime aduerſantur. In Eraſmo accesſiſſe puto libertatis amorem, cuius iacturam quandam patitur, qui muneribus publicis velut vinculis atque compedibus conſtringitur. Certe de ſe ipſo Eraſmus, vti iam ſupra indicatum, profitetur, vel ob hanc cauſam a vita monaſtica ſe fuiſſe alienum, *quod a ceremoniiis abhorreret & libertatis amans eſſet. in Epiſt. ad Seruatium p. 16.*

§. XIV. Vidimus ergo qualis Eraſmus fuerit. Vir fuit excellenti ingenio præditus,

Idem

idem tamen ad voluptates propenſior quam alia vitia, gloriæ ex literis acquirendæ cupidus, timidus quoque & meticuloſus, a litibus maximopere abhorrens, ad riſum contra & iocos procliuis, hæſitabundus, inconſtans, atque adulator. Vitia, inquis, enumeras, virtutes retices. Imo virtutes Erasmi notæ ſunt omnibus, & ex vitiis eius, naturalibusque propenſionibus de eius virtutibus iudicium eſt faciendum. In eo ſane falluntur plerique, quod naturales cuiusuis propenſiones ſtatim virtutum cohoneſtent nomine. A litibus abhorruit Eraſmus: non male. Moderatum ergo eius pacisque amans laudatur ingenium: & id quoque recte. Laudo namque & ego vehementer eiusmodi ingenia. Aſt ſi hanc moderationem a virtute profectam credis, erras: ex genio Erasmi atque indole hæc fluxit. Atqui magnopere refert ſcire qualis quisque per virtutem ſit, qualisque ſit per naturam: licet difficillimum ſit hæc rite a ſe dignoſcere. In Erasmo vero ſi hæc moderatio, ſi hoc pacis ſtudium a virtute prouenisſet, æquum erga vtramque partem ſe præbere debuiſſet iudicem. Aſt hoc non feciſſe Erasmum ſemper, hiſtoria teſtatur, & *Morhoſius* quoque obſeruauit *Polyhiſt. pag.* 282. *Quanquam*, inquit, *Erasmus ſe medium ſem-*

ſemper geſſerit, ſtudium tamen partium non raro deprehendes.

§. XV. Maneat ergo magno Eraſmo ſua laus illibata. Admiramur in eo cum *Morbofio l. c.* ingenium excellens, vaſtum, diffuſum, fœcundum, acre, promptum, ad omnia paratum, in decus & miraculum ſeculi natum. Admiramur in eo tantam doctrinæ copiam, quanta paucisſimis mortalium contigit: modo & næuos eius disſimulare non liceat. Interim illud quoque non diffiteor, vitia eius vtut in ſe ſpectata non fuerint leuia, ea tamen pro virtutibus fere eſſe habenda, ſi conferantur cum moribus illorum, quos præcipue aduerſarios expertus eſt Eraſmus. Moroſum illud innuo hominum genus, qui ambitioni ſuæ, crudelitati & odio ditisſimo Zeli ſpeciem obtendentes, in omnes a ſe diſſentientes impotenti animi affectu, in transuerſum acti, ſæuiunt, nihilque omnino rectum putant, niſi quod illorum moribus eſt conueniens, Hi cum plerumque ſint ineptisſimi mortalium rerumque omnium ignari, fœdisſimarumque ſuarum cupiditatum ſerui, magno tamen ſupercilio in quoscunque viros doctos cenſuram exercent, hæreſeosque notam iis inurunt qui illorum non adorant placita, eo quod ſe diuinitus inſpiratos cre-

credunt. De hiſce itaque pronuncio, quod ne digni quidem ſint, qui cum Eraſmo comparentur, tantum abeſt vt digni ſint qui tribunal in orbe literato conſcendant, ſententiamque aut in Eraſmum, aut viros eodem ingenio, iisdemque moribus præditos, aut ſimilia fata experientes, ferant.

INDEX OBSERVATIONVM.

Obſ. I. De Vita & ſcriptis Iani Iacobi Boiſſardi.

Obſ. II. De reliquis Boiſſardi ſcriptis.

Obſ. III. Muſæ tres. De iis locus Auguſtini & Plutarchi. Poëſis pro grammatica.

Obſ. IV. Indigetes. Benedictio per tres digitos. Confesſio S. Trinitatis apud Iudæos. Superſtitio carpendi per tres digitos.

Obſ. V. Tria Vitia: Superbia, Auaritia. Luxuria.

Obſ. VI. Cupiditas pro Auaritia.

Obſ. VII. Specimen indicis expurgatorii.

Obſ. VIII. De Iure belli & pacis Statibus Imperii vi ſuperioritatis competente.

Obſ. IX. Epiſtolæ obſcurorum Virorum.

Obſ. X. Antitheſis Chriſti & Anti-Chriſti figurata, cum adnexa fratrum Candelburgiorum hiſtoria.

Obſ. XI. Hertii opuſcula varia Iuridica.

Obſ. XII. Continuatio obſeruationis XX. Tomi I. de Guilielmo Poſtello.

Obſ. XIII. de Sortibus ſacri Codicis, Virgilianis & Homericis.

Obſ. XIV. De differentia mixti, aggregati, texti & indiuidui.

Obſ. XV. Notitia orbis antiqui.

Obſ. XVI. Neſcire philoſophos adhuc quid ſit ignis.

Obſ. XVII. De proceſſu iudiciario iudicii Hallenſis quatuorviralis.

Obſ. XVIII. De Feſto Solenni Crapulario Hallenſi, vulgo die Knoblauchs Mittwoche.

Obſ. XIX. Αντίχθων Pythagoræorum.

Obſ. XX. de Vita, religione & fatis Bernardini Ochini, Senenſis.

Obſ. XXI. Icon Deſiderii Erasmi Roterodamenſis.

INDEX RERVM.

A.

ADulator erat Eraſmus. XXI. 9.
Aggregatum quomodo differat a mixto &c. XIV.
Alberti Argentinenſis loca corrigenda ſecundum indicem expurgatorium Braſichellani VII. p. 77.
Antiquitatum Rom. ſcriptor ſedulus Boiſſardus. I. 3.
Antiquitates Germaniæ mediæ callet Hertius XI. 23.
Antiquitatum German. reſtauratores laudantur XI. 25.
Antichthon quid denotet? XIX. 1-5-12.
quid Pythagoræis Aſtronomis notet. XIX. 13. 20.
Pythagoræorum diuerſus Planeta a luna XIX. 28. 46.
Antipodes an a Pythagora inuenti XIX. 56.
Antonini Itinerarium cenſetur. XV. 5.
Atheus non eſt Eraſmus, XXI. 11.

B.

Baronum origo XI. 9.
Bellum defenſiuum quodnam ſit. VIII. 3. 5. 6, 11. 12.
non omne iuſtum. VIII. 7.
Bellum defenſiuum ſtatibus imperii licitum. VIII. 16.

Belli indictio indicabat olim bellum offenſiuum. VIII. 10.
Belli initium olim non facile hoſtium alteruter negare ſolebat. VIII. 16.
Belli offenſiui character hodie quinam ſit. VIII. 10.
Bellum offenſiuum non ſemper inchoat iniuriam faciens alii. VIII. 8.
Bellum offenſiuum non omne eſt iniuſtum. VIII. 7. 9.
Benedictio Iudæorum per tres digitos. IV. 5, 7.
Romanorum per tres digitos. IV. 6.
Boiſſardi patria & vita. I. 1. 2.
genealogia & imagines Deorum. I. 16.
liber de diuinatione II. 1.
liber de Diis II. 2.
liber de iconibus Sultanorum II. 13.
liber de iconibus virorum illuſtrium. II. 20.
ſctipta varia. I. II.

C.

Candelburgiorum fratrum hiſtoria. X. 3. 4.
antitheſis Chriſti & Antichriſti X. 5, -8.
Chifletii Patria I. 1.
Cellarii Geographia inſigniter commendatur. XV. 39,
Chymicorum nominum ineptiæ. XIV. 34.
Clerus olim figuris in templis perſtringebatur. X. 2.

Clerus a ſorte dictus eſt. XIII. 17. 18.
de Clypeis ſeptem militaribus. XI. 31.
Cocceius Prof. Francofurtanus collaudatur. XI. 26.
Conſecrationes Epiſcoporum & Canonicorum ſortes comitabantur. XIII. 13. 21.
Controuerſiarum oſor Eraſmus. XXI. 5.
Cupiditas pro auaritia. VI.
Curtii error Geographicus. XV. 7.

D.

Denarius Pythagoræis frequens. XIX 49. 50.
Digitis tribus an olim benedictum fuerit. IV. 5. b.
Dii vatidici II. 9.
de Diplomatum Germaniæ Imperatorum & Regum fide diſſertatio XI. 10.
Diplomatum lingua, literæ, ſigilla, formulæ XI. 10.
Diplomata Regum & Imperatorum Germ. quo ſigno a ſe inuicem internoſcantur. XI, 11.

E.

Eccleſia orthodoxa ſemper dominatum affectauit. X. 1.
Epiſcoporum electionem comitabantur olim ſortes diuinatoriæ XIII. 13. 14. 15. 16.
Epiſtolarum obſcurorum virorum occaſio. IX. 2. 3. 4.

Epiſtolarum obſcurorum Vir. auctor. IX. 5. 10. 13. 15.
fata IX. 8, 9, 29. 30.
Eraſmus an auctor epiſtolarum obſc. Viror. IX. 32.
imperitus Geographiæ. XV. 17. 18. 22.
Eraſmi vita non accurate ſcripta eſt. XXI. 1.
mores depinguntur. XXI. 3. ſeqq.
Eraſmi atheiſmus nullus eſt. XXI. 11.
laudes & vitia XXI. 15.

F.

Feſtum ſolenne crapularium Hallenſe XVIII. 1.
Figuræ Chriſtum & Anti-Chriſtum repræſentantes X, 9, 10.

G.

Galli multos errores Geographicos habent. XV. 29. 33, 34, 35-38.
Geographia veteribus neglecta XV. 1.
Geographia Sacra Merceri & Adrichomii. XV. 23.
Geographiæ ſcientia lectioni veterum ſcriptorum prodeſt. XV. 21.
Geographiæ recentioris nævi crasſiores. XV 28.
Germaniæ mores in diſtinguendis perſonis XI. 27.
Antiquitates callet Hertius. XI. 26.

Ger-

Germanorum ſerui, operæ ruſticæ &c. XI. 27
Germanorum ciues XI. 29.
liberti, opifices. XI. 29.
nobiles XI. 30.
militia XI. 31.
Gloriæ cupidus fuit Eraſmus. XXI. 13.
Gratii epiſtolæ clarorum virorum. IX. 23.
Gratius cur ſæpius nominatus in epiſtolis obſcurorum virorum. IX. 20, 21.

H.

Hæretici vtplurimum ii exiſtimati ſunt, qui excelluerunt Scientiis XX. 1.
Hertianarum diſſertationum commendatio. XI. 18.
Hiſtorici veteres ſedulo legendi. XV. 6.
Hogoſtrati mors IX. 7.
De Hogoſtrato & Hutteno narratio Barthii IX. 11.
De Homine plures perſonas ſuſtinente diſſertatio. XI. 14. ſeqq.
Huttenus auctor epiſtolarum obſc. Viror. IX, 15, 16, 17, 25.
cur interemtus a Duce Wurtembergio. IX, 34.

I.

Ignis quid ſit ſecundum variorum philoſophorum opinionem XVI, 9. 10. 12-14.
Ignis non eſt corpus XVI, 17. ſeqq.

Ignis Carteſianis & Epicureis eodem modo deſcribitur XVI. 26.

Ignis Ægyptiis vocabatur animata belua. XVI. 5.

Ignis Perſis eſſe Deus putabatur. XVI. 6.

Ignis Æthiopibus quoad vſum ignotus. XVI. 7.

Ignis Anaximeni putabatur aer rarefactus. XVI. 8.

Indicis expurgatorii ſpecimen VII.

Indigetes IV. 1.

Vnde deriuetur. IV. 2-4.

Iocos amauit Eraſmus. XXI. 7.

Itineraria terræ ſanctæ fabulis plena. XV. 25.

Iudiciarius proceſſus iudicii Hallenſis Quatuorviralis XVII.

Iudicii Hallenſis quatuorviralis origo XVII. 3.

Ius ſtatuum Imperii militum conſcribendorum VIII. 17.

armamentaria inſtruendi VIII. 18.

muniendi loca & arces. VIII. 19, 20.

ſequelæ & luſtrationis. VIII. 21.

aperturæ & repreſſaliarum VIII, 22. 23, 26.

pacis. VIII. 29.

L.

de Lege clauſula *ne abrogari poſſit* munita; diſſertatio Hertii. XI. 12.

Lex

Lex expreſſa an per conſuetudinem contrariam abrogari posſit. XI. 12, 13.
Locarnenſium eccleſia apud Heluetos vnde orta XX. 12.
Luna habitari creditur Pythagoræis XIX, 36.
an ſit cauſa monſtrorum. Ib.

M.

Magiæ ſpecies. II. 7. 8.
Mameluci quinam dicantur. II. 17.
Andr. Maſii expurganda loca nonnulla. p. 92.
de Mela iudicium. XV. 3. 4.
Metaphyſicæ ſacroſanctæ affectiones entis illuſtratæ. V. 23.
Mixtum quid ſit. XIV. 4. 7.
Monachi ſtuduere mederi tribus vitiis cardinalibus. V. 23.
Mundi orbes nouem. XIX. 17.
Muſæ tres III. 1. 3, 4. 7. 10. 11.
Septem Gyraldi. III. 18.
nouem Plutarchi III, 19, 20.

N.

Corn. Nepotis error circa Mycalen XV. 9.
Noah ſorte diuiſit orbem terrarum. XIII. 1, 2.
Numerus denarius Pythagoræis amatus XIX, 39, 48.

O.

O.

Ochinus quando natus & monachus factus ſit. XX. 2.
an auctor ordinis Capucinorum. XX. 3, 5.
Ochinus cur Italiam reliquerit XX. 8.
Reformatorum religionem amplexus eſt XX, 9.
Ochini uxor quæ fuerit? XX, 11.
doctrina & pietas celebratur. XX, 14.
Ochini dialogorum libri duo. XX, 15.
dialogi damnantur. xx, 16.
Ochinus an iure damnatus ſit. xx, 17-20.
hieme eiectus eſt Tiguro. xx. 21.
quæ fata expertus ſit in Polonia xx. 25.
Ochinus non ſcripſit librum de tribus Impoſtoribus xx, 26.
Atheus non fuit xx, 27-28.
Socinianus non fuit xx, 29, 30, 31.
Oracula Sibillina II. 6.
unde orta. II. 7.
Orationis partes decem ſecundum Pythagoreos xIx. 49.

P.

Plinius cenſetur xv. 3, 4.
Poeſis pro Grammatica III. 15.

Po-

Polybii induſtria in explorando locorum ſitu xv, 8.
Poſtelli virgo Veneta. xii,2-5.
hypotheſes præcipuæ xii, 6-9, 12, 13.
Poſtellus cenſetur xii, 14, 15.
Poſtelli libri xii. 16.
Propriorum hominum ex nobilibus ortus & occaſus. xi. 9.
de Hominibus propriis diſſertatio Hertii. xi. 6
Pythagoras an inventor Antipodum. xix, 56.
Pythagoreorum denarius xix, 29, 48.

R.

Regnorum patrimonialium tutelæ xi, 3.
Repreſſaliæ viii. 24-26.
Reuchlini vita accuratius deſcripta ix, 26-28.
Rhetoricæ tres partes ſecundũ Stoicos. iii. 16.
pars demonſtrativa prima an ultima? iii, 17.
Romana Topographia Boiſſardi i. 7.

S.

Sabellicus confudit Danos cum Dacis xv. 16.
Sanſon *Guil.* notatur xv. 26.
Scanderbegii vitæ ſcriptores. II. 15.
Servitutis ortus & progreſſus in Germania, xi, 6, 8.

in-

interitus. XI. 7.
Sibillina oracula ſuppoſititia ſunt. II, 6. 10.
Sol igneus Pythagoreis & immobilis XIX, 18, 19
Solis contemplationes nouæ Eimmarti. XIX. 58.
Sortes diuinatoriæ unde ortæ. XIII. 3.
Virgilianæ, Homericæ. XIII. 4, 5, 6.
Chriſtianorum XIII, 7-10. ſeqq.
Sortes quomodo diuidantur XIII, 24.
quænam licitæ ſint. XIII, 15, 26.
Sortes vt iuſtæ ſint quid requiratur. XIII, 27.
Sortes reducendæ ſunt in mores noſtros. XIII 30.
Sortibus Chriſtianorum interdictum. XIII, 23.
Stephani liber de vrbibus cenſetur. XV. 5.
Strabo cenſetur. XV. 3, 4.

T.

Textum & mixtum quomodo differant. XIV.
Timiditas Eraſmi XXI, 3. 4.
Topographia Romana Boiſſardi. I. 5.
de Tutela Regni diſſertatio Hertii XI. 2.
Tutela teſtamentaria in regnis patrimonialibus locum habet. XI. 3.

V.

Vates celebriores. II. II.
Veſta gentilium ſolis ignei ſymbolum. XIX, 27.

Vitia

Vitia tria. VI. 3-7.
ſeptem communiter numerantur. V. 2.
Vitia tria cardinalia ſunt fundamentum pſeudoſummi boni. V. 9, ſeqq.
Vita futuri ſeculi multas reliquias ex ethniciſmo habet. XIX. 57.
Voluptatis ſtudioſus Eraſmus. XXI. 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google